6
3-D
37
M

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
1 I
29

125

ex libris
[illegible] Leoncini
[illegible]
Fornano [illegible]
1785

6-3. D 37

14
H
12



Digitized by Google

Ex libris
Aloysii Leoncini
1765

Digitized by Google

G. H.
NIEUPOORT
de
RITIBUS ROMA-
NORUM

ROMULUS REX

NUMA REX

DIVUS IULIUS

S.P.Q.R.


IMP. IX

S. C.

Ale




BIBLIOTECA NAZIONALE V. E.
ROMA


BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

RITUUM,

QUI OLIM

APUD ROMANOS

obtinuerunt,

SUCCINCTA EXPLICATIO;

Ad intelligentiam Veterum Auctorum facili Methodo conscripta

A G. H. NIEUPOORT.

EDITIO NOVISSIMA,

A pluribus, quæ in ceteras irrepserant, mendis expurgata, atque æneis tabulis illustrata:

Cui præter Cl. JOAN. MATTHÆI GESNERI Prolusionem, accedunt nunc primum Columna Rostrata DUILLII, ac perpetuæ GUIL. OTH. REIZII, atque ejus fratris JOANNIS FRIDERICI Adnotationes.







Ad usum Alovsii Lanciani

BASSANI, MDCCLXXIV.

1782

SED PROSTANT VENETIIS
APUD REMONDINI.
SUPERIORUM PERMISSU.



PRÆFATIO

AUCTORIS.





NULLUM umquam imperium, quod quidem literis proditum sit, ad tantam amplitudinem a tam exiguis initiis pervenit, quam Imperium *Romanorum* (*a*); ita ut in ipsos reges dominatum exercuerint (*b*): cujus rei in historia eorum varia exstant exempla (*c*). Et, licet verissimum sit, soli Deo regnorum incrementa deberi (*d*); hoc tamen etiam certum est, eum, ut ad finem sibi destinatum pertingat, hominibus, variisque eorum institutis uti solere: unde sane liquet, eam Rempublicam, quæ præ ceteris adeo emersit, præstantissimis plane legibus & moribus fuisse fundatam (*e*). *Nam*, ut eleganter dicit *Cicero* (*f*), *neque viri, nisi ita morata civitas fuisset, neque mores, nisi hi viri præfuissent, aut fundare, aut tamdiu tenere potuissent tantam, & tam juste lateque imperitantem Rempublicam* (*g*). Et vere Romanos (præsertim, si antiquiora videamus tempora, & paucos excipiamus, quorum mores vulgo sunt improbati) possumus vocare viros in exemplum omnium virtutum natos: ita tamen, ut virtutes eas non ad normam veritatis *Christianæ*, sed ad gentilium Sapientum præcepta exigamus. Nec aliter umquam tot gentes robore, nu-

(a) *Vid. Dion. Halic. L. 1. c. 3. (& 9.)* (b) *Abram. Not. ad Cic. Orat. pro Dejot. c. 1.* (c) *Tacit. Hist. II. 81.*
(d) *Plut. Romul. p. m. 22. C.* (e) *Liv. proœm.*
(f) *De republ. lib. V. apud Augustin. de Civ. Dei, l. 24.*
(g) *Vid. etiam Dion. Hal. III. 11.*

numero, divitiis, aliisque commodis longe excellentiores (*h*) (*Græci* facundia, *Galli* gloria belli ante Romanos fuerunt) (*i*) sibi subjicere, vel subjectas in fide retinere potuissent. Hinc tot Viri insignes, præcipue qui Rempublicam vel domi, vel belli administrandi scientiam sibi comparatam vellent, hujus populi mores & leges pernoscere cupiverunt. Hinc etiam tot viri eruditione conspicui, ut aliorum, quibus vel otium, vel occasio non suppetebat, conatus sublevarent, in Antiquitatibus his explicandis operam suam posuerunt. Altera quoque ratio dari potest, cur non ii tantum, qui ad Rempublicam aliquando sunt accessuri; verum etiam qui Latinos, cujuscumque tandem ordinis sint, scriptores paullo accuratius intelligere cupiunt, necessario huic studio aliquam operam navare debeant: quod scilicet & Oratores, & qui Philosophi, præcipue vero Historici, (quorum lectio ut jucundissima est cunctis, qui non plane ab omnibus artibus humanioribus sunt alieni, ita etiam est utilissima) Historici, inquam, & Poetæ passim alludant ad ritus suo tempore usitatos: ita ut verus auctorum illorum sensus, & recta verborum, quibus utuntur, scientia haberi nequeat absque istorum rituum cognitione. Nam proprium quasi huic eruditionis parti & insitum est facem præferre veterum scriptis: unde non solum linguæ Latinæ copiam; sed civilis etiam prudentiæ præcepta hauriant melioris literaturæ candidati. Præcipue autem iis adolescentibus necessarium est hoc studium, qui Juri civili noscendo operam dant; cum plurimæ leges, imo Tituli Digestorum & Codicis sine ejus ope explicari nequeant. At cum Cl. Vir Jo. Clericus *Artis* suæ *Critic. part. I. c.* 1. §. 3. pluribus tum rationibus, tum exemplis hoc firmaverit, plura non addam, ne aliena scrinia compilasse videar: verum operam meam elegan-

(h) *Veget. de re mil. I.* 1. (i) *Sallust. Catil. c.* 53.

gantioris literaturæ ſtudioſis probatum iri ſperans, paucis cœpti mei rationes prodam.

Cum multis operoſum nimis eſſet tot ſcripta virorum eruditorum, Panviniorum, e. gr. Sigoniorum, Lipſiorum, aliorumque, qui his ritibus illuſtrandis inſudarunt, perlegere; plurimi jam dudum fuerunt, qui breviter eos explicare aggreſſi ſunt: ut Cantelius, Goodwinus, multique alii. Sed nullum adhuc tale compendium vidi, (vidi autem ſatis multa) in quo non defectus aliquot utentibus incommodos animadvertiſſe mihi viſus ſim: vel, quod rebus quibuſdam minus neceſſariis diutius, quam æquum videtur, inhæreant; alia autem majoris momenti vel omnino prætereant, vel breviter ſaltem delibent: vel quod ordine non ſatis congruo utantur. Tum præterea, quod plerique (ut, e. gr. Cantelius) fontes antiquos, unde ſua hauſerunt, non indicent: quod tamen mihi perutile, ſi non plane neceſſarium eſſe videtur, in eorum præſertim gratiam, qui ex ipſis veterum ſcriptorum locis de veritate dictorum convinci cupiunt; aliiſque anſam præbet multa veterum ſcriptorum loca, quæ eatenus non bene intellexerant, explicandi. Verum eſt, Kippingium multos (& nimis ſane multos) auctores citare: at cum ille ſimul ſcateat nugis ineptiſſimis de præſtigiis dæmonum, ſagarum, & ſimilium, corrumpendo potius, quam formando juventutis judicio natus videtur. Mitto digreſſiones maximam partem ab inſtituto ſuo alieniſſimas, quas nullo ordine, nullo modo pertractat; ingentem ubique ſylvam auctorum; veterum, recentiorum; notorum, ignotorum; bonorum, ſequiorum (*k*) abſque ullo delectu citans. Tum ineptiſſimas opiniones philoſophorum de rebus phyſicis, quæ tamen ſua ætate a cordatioribus pleriſque exploſæ erant,

(k) *Ex. gr. Pomponacium, Trithemium, Wierium, Schottum, quatuor viros reipublicæ lycanthropicæ conſtituendæ.*

immiſcet ; & ſtilo paſſim utitur neglectiſſimo (*).

Sed eum mittentes ſeriem potius inſtituti operis noſtri videamus. Diſtributum illud eſt in *ſex* partes, ſive *Sectiones ;* quarum unaquæque rurſus in membra quædam, ſive capita eſt diviſa. *Prima Sectio* agit de variis diviſionibus, & ordinibus populi Romani, ejuſdemque Comitiis. Et *capite* quidem *primo* expoſita breviter Urbis origine, agitur de diviſione Romanorum in Tribus & in Curias; *caput* 2. tractat de Senatoribus, ſive Senatu, quo nihil toto orbe in ſuo genere majus Sol hic umquam vidit : *caput* 3. agit de Ordine Equeſtri ; *caput* 4. de ordine Populari : *caput* 5. de Comitiis in genere : *caput* 6. de Comitiis curiatis ; *caput* 7. de Cenſu, & de Comitiis centuriatis : *caput* 8. de Comitiis tributis. *Sectione Secunda* agitur de Magiſtratibus, tum majoribus, tum minoribus ; tum ordinariis, tum extraordinariis ; tum urbanis, tum provincialibus : & *primo* quidem *capite* de Magiſtratibus in genere ; *capite* 2. de Rege, & qui ei adjunctus erat, Tribuno Celerum ; *capite* 3. de Conſulibus ; *capite* 4. de Prætoribus ; *capite* 5. de Ædilibus ; *capite* 6. de Tribunis plebis ; *capite* 7. de Quæſtoribus. Inde explicantur Magiſtratus extraordinarii : itaque *capite* 8. agitur de Dictatore & Magiſtro Equitum ; *capite* 9. de Cenſoribus, quos alii inter ordinarios recenſent ; *capite* 10. de Interrege ; *capite* 11. de Præfectis Urbi, & de Præfectis Prætorio ; *capite* 12. de Decemviris legibus ſcribendis conſulari poteſtate ; *capite* 13. de Tribunis militum conſulari poteſtate, & de quibuſdam aliis ; *capite* 14. de Magiſtratibus provincialibus, ſive de Proconſulibus, Proprætoribus, eorumque Legatis : & denique *capite* 15. de miniſtris.

(*) (*Quin vel eo nomine juſtum Compendium non dedit quod neque hilum aut de Comitiis, aut de Judiciis differit. Taceo, editorem noviſſimum in eo errores non paucos confiteri, nimis ingenue*).


ſtris Magiſtratuum. *Sectio Tertia* agit de Judiciis, duobus tantum capitibus, quorum *primum* eſt de Judiciis privatis; *alterum* de Judiciis publicis: quæ ex *Sigonii* lib. *de Judiciis*, & ex *Sibrandi Tetardi Siccaniæ duobus de Judicio Centumvirali* libris fere ſunt collecta; cui capiti paupa de ſuppliciis noxiorum apud Romanos uſitatis ccceſſerunt. *Sectio Quarta* Sacra Romanorum explicat: quæ quidem in multis cum Græcorum ſacris conveniunt; ita ut eorum explicatio tam ad Græcas, quam ad Romanas antiquitates pertineat; verumtamen ad ſcopum noſtrum obtinendum (qui, ut diximus, eſt vera Scriptorum Latinorum, & inter eos Poetarum, intelligentia) brevis eorum enarratio plane fuit neceſſaria. In his Sacris primo conſideravimus Deos, quos coluerunt Romani; neque eos omnes, ſed præcipuos; neque omnia de iis diximus, quæ dici poterant, verum ea tantum, quæ maxime neceſſaria eſſe putavimus: & ea *capite primo*. *Caput* 2. agit de Miniſtris Sacrorum, ſive variorum ordinum & variorum Deorum Sacerdotibus: *caput* 3. de ritibus, quibus Diis ſacra facere ſolebant. Sed quia ad Pontifices etiam ſpectabat ordinatio temporis, addidimus huic ſectioni *caput* 4. de Anno, Menſibus, & de Dierum diſcrimine. Denique claudit hanc ſectionem *caput* 5. & ſatis longum de Ludis Romanorum, (qui ſæpiſſime in honorem Deorum fiebant): quorum explicatio noſtris quidem ſpectatis temporibus & moribus levis momenti haberi poſſit; ſed qui apud Romanos (*l*) inter res maxime ſerias numerabantur. Immo in *Acta Urbis* referebatur, quo apparatu, quibuſve ſumptibus hi ludi eſſent editi. Ea autem pars hujus capitis, quæ agit de Amphitheatro, & de Gladiatoribus, tota, ut ingenue fatear, ex Lipſii *libris duobus Saturnalium Sermonum*, & *libro de Amphitheatro* eſt excerpta; niſi

(*l*) *Cic. Epiſt. ad Famil. II. 8.*

quod forte paucula in hac editione ex nostro penu adspersa sint. Sectio Quinta de Militia Romana agens ex ejusdem Lipsii *libris quinque de Militia Romana* potissimum est desumpta: (licet etiam hic varia passim aliunde accesserint) & itidem in quinque capita distributa. Eorum *primum* est de Delectu; 2. de Ordinibus; 3. de Armis; 4. de Acie; 5. de Disciplina militari. In hoc autem Lipsio, ut id obiter addam, præter reliquas ingenii dotes, præcipue admirationem nostram & imitationem meretur ordo accuratissimus, quem cum in aliis suis scriptis, tum in his de militia Romana libris servavit; de quo plura dici possent, si præfationis modulus id pateretur. Sexta denique Sectio, de Vita Romanorum privata agens, *primo capite* enarrat Vestes a Romanis gestari solitas: *caput* 2. agit de ratione Conviviorum: *caput* 3. de Pecunia Romanorum, & simul aliquid tangit de Divitiis eorum & Luxu; tum in hac demum editione breviter hic de mensuris & ponderibus Romanorum egimus: *caput* 4. de Nuptiis Romanorum loquitur: *caput* 5. de Nominibus eorum, Gentibus, ac Familiis; tum de Manumissionibus, & de Patria Potestate: *caput* 6. denique ultimum actum humani dramatis explicat, scilicet ritus, quibus circa Funera Romani sunt usi. In omnibus autem, ut jam diximus, hoc nobis proposuimus, ut ea tantum, quæ ad intelligendos Græcorum Romanorumque libros omnino erant necessaria, poneremus; cum etiam vix ea huic non magnæ molis libro includere potuerimus. Cumque viderimus ex iteratis hujus opusculi brevi annorum spatio quater editionibus laborem nostrum erudito orbi satis gratum fuisse, animum hoc nobis addidit paullo majoris molis opus conscribendi, *Historiam* nempe *Romanam*, quæ jam etiam, Deo favente, intra paucissimos dies, prodibit in publicum (*). Dum-

(*) *Prodiit ea Traj. ad Rhenum. (A. CIƆ IƆ CC. XXIII. mense Septembri).*

Dumque otium cane pejus atque angue oderimus, jam aliam quandam materiam tractandam, si Deus adspiraverit cœptis, animo destinavimus. Tu interim, Lector, hanc opellam benigno animo suscipe; & sicubi erraverimus, humanitatis memor esse velis. Vale, & utere. *Trajecti* apud Batavos CIƆIƆCCXXIII.)



GUIL. OTH. REIZII

PRÆFATIO.

QUANDO earum quidem rerum, quæ ad priſcas literas pertinent, nihil viris doctis hodie ab ullo, nedum ad homine grammatico ſcribi poteſt, quod ex antiquiorum libris haurire non queant; id ſolum ſcripturientibus videtur eſſe relictum, ut ſtudioſæ juventuti ſcribant, cui ſane pro virili quemque prodeſſe decet: ita tamen, ut ne (excuſſis ex eorum manibus majorum gentium ſcriptoribus) intra ejuſmodi ſubſidia conſiſtere doceantur; ſed ut iiſdem tanto magis ad ipſos eruditionis omnigenæ fontes penitius luſtrandos avidiuſque bibendos provocentur. Pluribus hæc jam perſequi nihil attinet: quoniam non aliud propoſitum in edendis his *Ritibus* ſibi ſtetiſſe, ipſe *Nieuportius* in præfatione hujus libelli ſatis candide præ ſe fert. Mihi vero, qui & rogatu bibliopolæ, & maxime hortatu *Jenſii* noſtri, viri clariſſimi atque humaniſſimi, cujus nominandi occaſionem capto, quo magnis ejus non dico officiis, ſed meritis gratias publicas perſolvam: mihi, inquam, qui quartæ editionis curam, auctore ſatis functo, in me ſuſcepi, idem in adſpergendis notulis & correctionibus propoſitum fuiſſe, non eſt quod multis probem. Soleo enim tribus tantum, quod ajunt, verbis oſtendere, ex quibus auctoribus aliqua ſuppleri poſſunt: ut ſic adoleſcentuli ipſorum, quos citamus, volumina conſulere cogantur. Imo ſi licuiſſet per bibliopolam, paſſim nonnulla, quæ *Nieuportius* juſto fuſius tractat, expunxiſſem; ipſis tamen auctoritatibus relictis: non quo vel Manibus ejus vel manui ulla fieret injuria, ſed quia verebar, ne compendii nomen re vera tueri jam amplius non poſſet. Hic enim libellus tertium nunc auctus, plus dimidio exiſtit major, quam

quan-

quantus primum editus fuit. Non potui tamen a me impetrare, quin scribarum Romanorum *notas* sive *siglas* maxime memorabiles adjicerem, ex *Sertorii Ursati Commentario* ac *Mantissa* (*tomo XI. Antiquit. Roman.* a *Grævio* insertis) potissimum excerptas. Quum vero is in *Breviario* & *Mantissa* earum præcipue delectum addiderit, quæ obviæ magis, & frequentius in veterum monumentis & nummis occurrunt; mihi e re tironum videbatur, si ex ipso *Commentario* adderem notas, quæ in fastis & Latinæ linguæ auctoribus, tam Historicis, quam Oratoribus & ICtis, reperiuntur. In quibus brevitati sic studuimus, ut singularium maxime literarum rationem habuerimus. Itaque, si *Ben. Me.* frustra quæsiveris, recurrendum tibi scito, lector, ad singulas *B. M.*

De *servis* etiam appendicem subnectere animus erat, eumque in finem unum *Pignorium*, (qui hanc materiam tam diligenter exhausit, ut perquam pauca vel ex *T. Pompa*, vel ex aliis ei addi possint) excerptum habeo: sed quando præscriptum plagularum additiciarum numerum jam excessi, malo operam lusisse, quam libelli molem ac pretium gravare. Attamen erunt fortasse, qui in hoc compendio quatuor aut quinque capita desiderabunt: *primum* de horologiis & clepsydris; *alterum* de re navali; *tertium* de re vehiculari; *quartum* de veterum libris, & ratione scribendi ac studendi; *quintum* de moribus & religione; quo pertinet liberorum educatio atque institutio &c. Sed hi meminerint, compendium esse juventuti scriptum, maxime juris studiosis: unde factum, ut materiam de Magistratibus, Comitiis, atque Judiciis fusius quam alia executus sit Auctor. Jam vero qua ratione hunc libellum emendare studuerim, clarius aperiam.

I. Neque in orthographia, neque in stilo Auctoris quidquam mutandum duximus, etiamsi non satis Latine locutus videbatur; quod ei tamen non ita sæpe accidit: ut *p.* 1. *noscituro*, *p.* 3. *idem cum eo*, *p.* 4. *juxta Petavium*, *p.* 324. *Pa-*

nem, pro *Pana*. Ea tantum, quæ manifesta operariorum esse σφάλματα apparebat, correximus. Et sic præter accentuum Græcorum notulas sæpius reformatas multa emendavimus, quorum plurimam partem a prima editione, quam DRAKENBORCHIUS pro sua humanitate concessit, firmari, lætus deinde deprehendi: unde pariter

II. Non paucis locis vel male affectis, vel mutilis, etiam medicinam fecimus. Tum

III. In conferendis inter se editionibus ternis haud parum tædii devorandum fuit; namque nulli ex iis tantum præ reliquis fidei tribuendum censui, ut novam hanc ad illam unam exigerem. Itaque ea non modo loca, quæ discrepabant, in ipsis auctoribus quæsivi, ut, utra citatio veracior esset, innotesceret: sed &, si quæ citationes suspectæ erant, eas examinavi, &, ubi opus erat, sedulo castigavi. Perpetuum

IV. Vitium fuit, quod *id.* vel *ibid.* ex prioribus editionibus passim remansisset, etsi alii auctores in editionibus posterioribus interserti erant, quæ suis locis similiter emendavi.

V. Numeros paginarum indices perperam notatos non correxi modo, tum in ipso contextu, tum in toto rerum indice, quem multis etiam locis auxi; sed singulis quoque paginis sectionis opusculi & contenta in fronte adscripsi; quod quantæ sit utilitatis, hic docere supervacaneum est.

VI. Ne autem in eosdem errores operæ librariæ aut speciminum correctores inciderent, placuit literas, auctoritatum indices, quæ in singulis paginis a principe *a* incipiebant, semper ad postremam *z* continuare; & inde ab *a* denuo incipere: nisi quod unam aut alteram, e. c. *i.u.uu.* interdum addiderim aut exemerim, ne veteres totius paginæ mutare cogerer, quod monendum duxi, ne quis citationes aliquot excidisse, inde suspicetur. Si vulgarem eorum, qui tam vendibiles libros denuo emittunt, sequi voluissem morem, multo equidem labore supersedere potueram:

ram: sed malo diligentiæ nimiæ incusari, quam juvenum studiis, quacumque demum ratione, non inservire. Quum enim tota hujus opellæ ἀκρίβεια usufque maximus in scriptorum veterum auctoritatibus consistat, omni eas religione sartas tectas oportuit conservare. Denique in notulis nostris subitaria opera, ubi quid in mentem veniebat, adscriptis, atque ab auctoris manu hac () uncorum nota tam in contextu, quam in margine inferiori secretis, supra dixi, quid propositi mihi fixum fuerit. Quibus autem literas F. R. subjunctas vides, lector, eas Joanni Friderico, fratri amantissimo, mecum acceptas referes.

At, inquiet aliquis, tantos ob minutias grammaticas sumere spiritus, adeoque diligentiam & industriam in tantillis rebus prædicare, putidum est ac puerile. Lubens hoc faterer, si justa causa defuisset. Jam vero non solum bibliopola id a me petit, quo sua merx esset vendibilior, sed eo potissimum talia fusius sum executus, ut appareat, quam mendax sit horum Rituum *editio quarta correctior*, quæ Budissæ in charta vilissima superiori anno prodiit. *Editio quarta correctior* scripsissem, nisi ipse titulus vitiosam alteram præ se ferret inscriptionem. Ex ungue leonem scilicet! Plures ejus editionis nævos persequi haud erit operæ pretium, ubi dixero, omnium primam editionem cum ipsa dedicatione ad v. cl. GER. NOODTIUM tantum modo repetitam, atque erroribus auctam esse. Tu interim, juventus studiosa, nostris conatibus fave, & vale. Dabam *Rotterodami Non. Mart.* CIƆIƆCCXXXIII.

JO. MATT. GESNERI

PROLUSIO.

PROMISIMUS in publico prælectionum catalogo per eam, quæ instat, æstatem recitationes publicas habere in *Nieupoorti succinctam rituum antiquorum explicationem*. Prævidemus animo, etiam si, quantum in nobis erit, id acturi simus, ne qua hora, nostra quidem culpa, ab eo labore vacua sit, etiamsi studiose excludamus, quidquid moram objicere nobis inutilem possit; tamen angustia nos & brevitate temporis laboraturos. Ut igitur vel unam alteramque horam faciamus compendii, prolegomenis, quas *Cicero* vocat, tribuendum alias: hac scriptione ea comprehendamus, quæ forte in præfatione expectari a nobis poterant, idque eo magis, cum forte aliis etiam prodesse aliqua ex parte possint. Ea porro cum ad duo fere capita referri videantur, dispiciamus breviter, cum, *cur tractari conveniat ab optimarum literarum studiosis Romanas antiquitates*; (quo nomine utimur pro locis, hominibus, rebus, actionibus, institutis antiquis) tum, *qua ratione ea felicissime tractentur*.

Tractandas quidem omnino videri, illi fatentur omnes, qui vel libros de ea re magno studio comparant, vel scribendi tirocinia in ea poni volunt a junioribus, cum primum sui gustum dare, & prodire in publicam lucem debent. Sed cur ita videatur doctis hominibus, dispicere operæ pretium est. Ponamus primo, tamquam in prima acie velites quosdam, ea argumenta, quæ nobis non plane nullam illa quidem vim habere videntur, sed neque rem posse conficere. Ipsum sane inspicere res antiquas & cognoscere jam pulchrum est, & inter ea, quæ nascentibus nobis a natura commendata sunt. Ecquis est ita inhumanus ac durus, qui non legendis vel barbaro-

barorum ritibus atque institutis delectetur? Quem non dulcedine quadam afficiunt illæ Argonautarum Americanorum Asiaticorumque narrationes? Quis potest evolvere sine voluptate, sine desiderio quodam deponere, cærimoniarum, ut hoc utar, & consuetudinum religiosarum illa volumina, immortali *Piccarti* cælo illustrata? Quid igitur mirum, deleniri homines institutis ac moribus non barbaræ alicujus gentis cognoscendis, sed ejus populi, cujus fortitudo orbem terrarum subegit, virtus admirationi fuit sæculis, humanitas reliquorum barbariem edomuit? Ut igitur non opus est interrogare, cur pompas, spectacula, domus ornatas, animalia peregrina, urbes, exercitus, videre cupiant homines: sic ipsa illa, quæ inest in antiquitate cognoscenda, suavitas jam satis excusare debet, si qui animum ad illam applicant, si libros id genus animose emunt, exornant splendide, otium in iis contemplandis consumunt. Peregrinationes suscipere nobiles & beati homines solent, ac videre, quæ visu digna apud exteros videntur. Quid vero turpius, & ad ipsum nomen Germanorum stuporis quadam nota dehonestandum potentius, quam si ad tabulas pictas, ad nummos veteres vel novos, ad statuas, ad ignes festivos, ad textilia parietum ornamenta, admissi Semones nostri hiantes adstent, & vel ipso silentio, vel multo magis absurdis sermonibus, prodant ignorantiam, vel inter illa ingenui animi oblectamenta ad canem vel aliam bestiam conversi, illa se, quam humanissimis operibus, magis delectari, id est, tantum similibus sui rebus gaudere, indicent? Neque vero non constat, ad ipsam rem publicam felicius gerendam quædam hinc præsidia suppeditari. Est ne verisimile, ad rei publicæ ordinationem & munera, ad rem militarem, ad ærarii & vectigalium curam, ad agrorum colendorum & ædificandi rationem, non multa hauriri posse a principe terrarum populo exempla ad imitandum? Denique ad orationem vel quotidianam

illam in sermone familiari, vel eam, quæ in publicum proferenda est, tamquam flosculis quibusdam & gemmis exornandam, quantum prosit Romanæ antiquitatis cognitio, cum ab aliis ostensum est, tum a nobis quoque quoties ill. Heineccii, quem semper honoris caussa appello, *de stilo* libellum interpretamur, solet commemorari.

Sunt ista non plane nullius ponderis, sed talia tamen, quæ metuo, ne conficere rem non possint. Sit sane erudita illa voluptas: sed horto similis est, ad quem per spinas & vepreta horrida plerumque pervenitur. Voluptas est ejus modi, quæ admonere aliquem possit Ciceroniani illius Xerxis, copias cogentis innumerabiles, maria ambulantis, & navigantis montes, ut conchas aliquot in littore lectas domum referat. Qui exterorum elegantias volunt inspicere, ii breviori via edoceri possunt, ne suo se sorices indicio prodant. Et ubi sunt illi, qui utilitatem rei publicæ suæ attulerunt a Romana antiquitate? Nonne, qui quam diligentissime in illo vel studii, vel voluptatis genere versati sunt, iidem fere ita se literis abdidere, ut nihil inde in medium, quodque e re publica sit, conferant? Quod est de oratione exornanda, constat, vix tantum illi venustatis a sobrio antiquitatum tractatu accedere, quantum eidem tenebrarum & horroris ab antiquariis quibusdam objectum est, qui sua cum oratione ad Numam Pompilium ablegandi erant.

Quid igitur? siccine a te commendantur, dicat aliquis, quas nobis polliceris operæ antiquariæ? Ego vero unam maximam justissimamque esse caussam ajo, propter quam studio nostra digna sit antiquitatis Romanæ cognitio, *librorum veterum intelligentiam*. Neque vereor, ne quis convincat alterutrum, aut, non opus ei, qui eruditus esse alicujus ordinis ac loci velit, libros veteres cognoscere; aut posse recte intelligi libros veteres ab eo, qui non satis luculentam antiquitatis notitiam habeat. De hoc si quis dubitet, illum explicare jubeam nobilissimi cujusque

que

que ſcriptoris librum, aut locum adeo inſigniorem quemcumque, & videre, utrum vel ſingulorum, vel junctorum etiam verborum aſſequi & interpretari ſententiam poſſit, niſi ex ipſa illa antiquitatis diſciplina notitiam locorum, hominum, munerum, conſuetudinum, habuerit: & puto, quod præſtitit in *Grævio* tum juvene magnus ille (ſi quid noſtris in artibus magnum eſt) *Gronovius*, ut illi planum faceret, non intelligi a ſe (quod ante illum diem putarat) *Tullii* epiſtolas; illud unicuique me oſtenſurum, fruſtra nempe eſſe, ſi quis ſine antiquitatis præſidiis libros antiquos, ſacros, profanos, erectioris præſertim & nobilioris argumenti, tractet.

Sed illud ipſum fortaſſe adhuc dubium eſt, ſintne libri veteres legendi? Hæc diſputatio longior eſt, quam ut, prouti meretur, hic eam agitemus. Eos quidem, qui religionis noſtræ myſteria ex ipſis, quod ajunt, fontibus, idque ſuo velut inſtrumento velint haurire, qui de legum Romanarum ſententia ſibi, non aliis credere; hos igitur librorum veterum lectione ſuperſedere non poſſe, palam eſt. Sed neque eos, qui, quid ante ſe, & a rerum inde origine fecerint, dixerint, ſenſerint, homines, ipſi per ſe cognoſcere, & inde felicem quamdam ſibi ſenectutem, ſubnixamque experientia tot ſæculorum prudentiam comparare, qui illam quaſi pueritiam deponere voluerint, qua efficitur, ut nova multi putent, quæ ſuis a doctoribus audiunt omnia, quibus nimirum omnia nova ſint; magiſtrum ſuum ſolum ſapere, qui alios non norint ſcilicet; aut, ſicut ſolent pueri, ſtulta putent, quæ non intelligunt; ut ſæculum noſtrum vel ſapientiſſimum & feliciſſimum, vel infelix & corruptum, utrumque ſine cauſa idonea, temere pronunciet. Porro libros antiquos Romanorum eſſe legendos, confirmo, vel ob hanc ſolam cauſam, quia nihil eſt in librorum genere (de humanis loquor, & qui ſolis humanis viribus ſcripti ſunt),

præ-

præstantius, nihil ad humanitatem, nihil ad magnitudinem animi, quæ inest in magnifica animi propositione, bene, vel rebus gerendis vel exemplo certe, de hominum genere, suis præcipue civibus, merendi, reliqua autem, quæ in potestate nostra non sunt, contemnendi, accommodatius: nihil proinde aptius ad formandum civem egregium. Nisi forte parum certum putamus, quod & ratione constat, & sæculorum omnium experientia, tales nos fieri, quales ii sunt, quibuscum versamur; aut nisi arbitramur, posse aliquem hodie commodius cum tot maximis prisci ævi animis versari, quam libris eorum diligenter tractandis, quos illi non famis pellendæ ergo, non perfunctorie, ut moribus aut officio alicui satisfacerent, non humili alia caussa, qua hodie plerique libri eduntur; sed eo consilio scripserunt, ut quales ipsi in vita & republica fuere, id est, viri maximi & patriarum suarum principes, virtute omni cumulati, tales etiam ex libris suis cognoscerentur apud posteros, tales ipsos quoque posteros, felici quodam sensuum & morum contagio ex ipsis illis animorum suorum reliquiis hausto, redderent. Si enim recte dixit, quicumque primus dixit, orationem esse ipsum animum nostrum foras prodeuntem: profecto mens, & animus, & virtus *Tullii* est, quæ ad animum meum pervenit, & cum eo conjungitur, quoties scriptis ab illo legendis me intendo. Hæc eadem caussa fuit, cur sapientes viri, & naturæ nostræ periti, in scholas introduxere eos libros, & pueritiam adolescentiamque iis imbui, tamquam salutari primo & nutricio succo voluere: non modo uti sermoni purissimo mature assuescerent, quod non contemnendum, sed minimum inter bona est; verum vel maxime, ut ipsum illum sensum atque animum, qui heroas illos agebat, teneris ætatibus infunderent, eo nempe tempore, quo & facilius formam quamcumque accipimus, & ad fidelius reliquo tempore servandam, parati sumus

(*).

(*). Legendos igitur eſſe antiquos ſcriptores certum eſt, & ut legere illos, id eſt, intelligere queamus, in antiquitate diſcenda elaborandum.

Supereſt altera quæſtio, *quomodo comparanda ſit illa antiquitatis notitia*? Hac in re erratum interdum eſſe ab adoleſcentibus, obſervamus, qui cum audiere, rem præclaram eſſe antiquitatis cognitionem, & ſuo ſtudio dignam, ilicet Roſmum invadunt Demſteri opera locupletatum, ſi ſint tenuiores: ſi in re lauta, primo illam Piſiſci divitem penum comparant, deinde ipſos *theſauros* Gronovii, Grævii, Sallengrii, Montfauconii opera collectos domi ſuæ habere ſtudent; certe, ſi illam Corinthum adire non contingat, quidquid uſquam Meurſianum aut Lipſianum nanciſci licet, cupide coemunt, veterum quoque ſcriptorum editionibus inhiant illis, quæ quam plurimo antiquariæ eruditionis choragio ſtipatæ videantur. Ac partim illorum habere eos libros contenti ſunt, homines amicis certe ſuis, quibus librorum ſuorum uſum indulgent, commodi, & vel hoc nomine amabiles: alii vero vel ſuos vel alienos in hoc genere libros legunt etiam, excerpunt, novos inde libellos conſcribunt, magno conatu nec ſine ornamentis ſua nobis alvearia exhibent; digni ſane illo ipſo ſtudio ſuo, qui melius collocare induſtriam ac tempus diſcant. Nempe ſæpe in ipſis illis antiquarum rerum diſceptationibus indicant, ex rivulis ſe haurire, turbidis non numquam, & multo limo inſalubribus; per longas ambages eo contendere, quo

(*) *Vid. Anton. Blackuulli de præſtantia claſſicorum auctorum liber, quem ex Anglico Latine vertit, atque animadverſionibus inſtruxit conſultiſſimus Ayrebus noſter, cui quantum profuerint hæ literæ ad humanitatem & virtutem, ſumma cum voluptate nec minore utilitate experimur. Tum divinitus hunc locum tractavit in præfatione ad Ciceronem Lipſiæ editum, meus Erneſtus, quem timide ſuſpenſaque manu laudare me illud cogit, quod in illa magis quemdam amoris erga me æſtum, quam ſuum, quod acre alias habet, judicium me commendando ſecutus eſt.*

quo planior, longe certiorque via ducit; hærere in cortice, in foliis, nimis parum de ipso fructu sollicitos. Horum si libellos legas, putes, solum hunc, non alium fructum ab illis putari, qui e literarum Romanarum Græcarumque monumentis petatur, ut, quo ritu unumquodque negotium peragi solitum sit, sciamus. Contra se res habet, viri optimi. Quidquid harum rerum discitur, id eo pertinet unice, ut ritus aliquis (utamur nomine angustiore aliquantum, sed quo tamen velut sub exemplo, quid velimus, indicetur) e loco satis aperto boni auctoris perceptus, aperiat nobis alios vel ejusdem, vel aliorum scriptorum locos, in quibus ad eumdem ritum, sed obscurius, respicitur, qui ritus dum ignoratur, tenebras meras offerat legentibus, agnitus serena luce eosdem perfundat.

Quid igitur agendum est, ut ille locus illustrior & clarior nobis occurrat? Legamus totos antiquorum libros, familiaritatem quandam cum civibus illis Romanis contrahamus, discamus ab ipsis, quo tempore, quibus locis, a quibus hominibus, quo ritu, quidque actum sit, nunc hoc, nunc aliud. Ut qui peregrinantur, hodie vident, quo ritu legatus admittatur, alias judicii formam coram intuentur, alias, quomodo supplicium sumatur de facinorosis; & cum sacris intersunt publicis, nunc rationes conviviorum, nunc militaris disciplinæ particulam aliquam observant, eaque re illud consequuntur, ut paulatim & ipsi intelligere sermones civium de rebus suis possint, & inde ad prudentiam juvari.

Verum usuvenit in antiquitatum Romanarum Græcarumque studio, quod in rebus plerisque humanis. Instrumentum majus habemus laboriosius, pretiosius illis ipsis rebus, propter quas paratur. Facilius profecto aliquis scriptores Romanos bonæ ætatis omnes, tum ex Græcis Plutarchum, Dionysium Halicarnassensem, Polybium legerit, quam ingentem illam librorum recen-

tium

tium de Romanis antiquitatibus multitudinem : Hos novos qui diligenter etiam perlegerit, nisi forte dicat Terentianum illud, *fecistis prope, multo sum quam dudum incertior;* certe multum aberit ab illius prudentia & virtute, qui ipsos harum rerum auctores ipse per se cognoverit. Quin qui uno ex loco illustri partem aliquam antiquitatis semel perceperit, ille plus profecto sciet, plus sapiet, quam si ad *Pitisci* laboriosum opus accedat, & ibi laudatos de illo argumento decem forte scriptores recentioris ævi evolvat unum post alterum: quorum forte duo aut tres ipsi eundem illum locum classicum viderunt, & commendarunt lectori suo; alii secuti priores istos, vel bona fide repetiere superiorum dicta, vel etiam male intellecta corruperunt.

Nec tamen, cum disputamus ista, operam lusisse arbitramur eos, qui vel partem aliquam antiquitatis diligentius explicandam sibi sumpsere, vel qui sub unum quasi conspectum redigere totam studuerunt. Illi difficiles multos optimorum scriptorum locos nobis expedierunt, quo in genere, ut unum exempli causa nominem, immortales gratiæ debentur *Lipsio*, qui, si omnes antiquitatis partes suo illo more persecutus esset, facile multis aliis & æquo animo careremus: hi quam commoditatem adferant studiosis, jam sub ipso *Nieupoortiani* libelli exemplo ostendemus. Nempe illa libelli hujus dos est, quod quasi brevi (si multitudinem rerum spectes) tabella comprehensa nobis offert, quæ in hoc genere maxime observatu digna sunt pleraque, qua ratione, & memoriæ subsidium præstat, & observandi quandam viam præbet, ut sciamus ad quid attendendum nobis sit in lectione antiquorum, habeamusque ad manum, unde ea mox revocemus, quæ alias observata non statim subjicit memoria. Magis illa, spero, patebit utilitas, si statim ostendam rationem, qua in his, quas promisi, commentationibus versari decreverim.

Mo-

Molis parvæ initio libellus sic tamen paulatim quasi nutritus & alitus est, ut jam major sit, quam quem intra semestre illud spatium totum prælegere, & perpetua commentatione persequi liceat; quæ res alioquin uberem satis materiam, nec nimis forte difficilem præstare possit homini verborum & rerum non nominis pauperi. Itaque sive expecto ab auditoribus nobilissimis, uti domi diligenter legant ipsi librum, & testimonia, ad quæ provocatur, quantum potest, ipsi considerent, adferantque adeo ad prælectiones nostras jam aliquam eorum, quæ hic traduntur, notitiam. Tum ego, si qua videbuntur non satis accurata, eum fide & ea humanitate, quæ decet nostras literas, monebo. Loca studiose indicabo tum auctorum veterum, quæ velut classica videbuntur, tum recentiorum hominum, a quibus putamus unamquamque partem feliciter tractatam. Juvabit nos hac in re vicinia bibliothecæ Bolouvianæ, e qua facile depromi ostendique nobilissimis commilitonibus poterunt, quæ privatæ nostræ bibliothecula foruli non capiunt. Quæ deesse videbuntur, necessaria cognitu, supplebimus. Princeps autem nostra opera, propter quam maxime totum hoc consilium cepimus, in eo ponetur, ut diligenter, & quantum licebit, indicemus, quorsum prodesse unius cujusque antiquæ rei, quam trademus, cognitio queat, qua quidem ratione magna vis locorum alias obscurorum clara luce perfundetur, & via aperietur ad multa, quæ abstrusiora sunt in libris optimis, tanto felicius pervestiganda. Denique, quam peculiari libello publice proposito sub initium ipsum professionis hujus commendavi, interrogandi utilitatem, illius hic quoque vos admoneo, commilitones optimi. Non ego illum me puto, qui interrogationibus quibuscumque satisfacere possim; nec ignoro, quo proverbio majores nostri usi sint, quod deterrere aliquem a concedenda temere omnibus interro-

rogandi se facultate possit. Sed qui discendi amore interrogabunt; hos enim solos quam humanissime possum invito; iis vel e vestigio, vel post aliquod inquirendi spatium, si minus eruditionis copiam, certe ingenuam ignorantiæ fatendæ modestiam, approbabo. P. P. *Gotting. prid. Kal. April.* MDCCXXXX.



NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la fede di revisione, ed approvazione del P. F. *Gio. Tommaso Mascheroni* Inquisitor Generale del Santo Officio di *Venezia* nel Libro intitolato : *Rituum qui olim apud Romanos obtinuerunt succincta explicatio a G. H. Nieupoort &c. Stamp.* non v' esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica , e parimente per attestato del Segretario nostro , niente contro Principi, e buoni costumi , concediamo licenza a *Giuseppe Remondini* Stampator *di Venezia* che possa essere stampato , osservando gli ordini in materia di stampe , e presentando le solite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 8. Marzo 1774.

(*Andrea Querini Rif.*
(*Girolamo Grimani Rif.*
(*Sebastian Foscarini Cav. Rif.*

Registrato in Libro a Carte 154. al Num. 12.

Davidde Marchesini Segr.



RITUUM, QUI OLIM APUD ROMANOS OBTINUERUNT, SUCCINCTA EXPLICATIO.

SECTIO PRIMA.

De variis divisionibus & Ordinibus Populi ROMANI, ejusdemque Comitiis.

CAPUT PRIMUM.

De origine Urbis Romæ, & divisione Romanorum in Tribus & Curias.





ANTIQUITATES Romanas noscituro operæ pretium est breviter ipsius urbis Romæ originem altius paullo repetere; quam juxta vulgarem, & quæ apud plerosque hactenus obtinuit, opinionem explicabimus, de ipsa rei veritate non anxie nimis solliciti; quia id tantum agimus, ut Latini scriptores penitius ab harum literarum studiosis intelligantur: nec compendii brevitas eam disquisitionem patitur. Sed commodiore loco & paulo latius de hac re agimus in *prolegomenis* ad *Compendium Historiæ Romanæ*, quæ videri possunt.

§. I. *De prima urbis origine.*

Nihil in antiquiorum apud *Græcos* temporum historia celebratius est, quam excidium *Trojæ*; de quo præter infinitos alios auctores, scripserunt duo poetarum principes, *Homerus*, & *Virgilius*. Hac urbe a Græcis capta *Æneas*, *Anchisæ* & *Veneris*, ut fingitur, filius, ((*a*) regio certe genere ortus), post varios errores oraculi monitu in regionem *Italiæ*, quæ *Latium* dicebatur, appulit (*b*), ductaque ibi *Lavinia*, *Latini* regis filia, *Lavinium* urbem ex uxoris nomine condidit. Æneæ hujus ex priore uxore *Creusa* filius *Ascanius* a noverca diffidens post triginta annos *Albam longam* exstruxit: ubi ei in regno successit *Sylvius Postumus*, Æneæ ex Lavinia filius (*c*), a quo omnes deinceps *Albani reges Sylvii* sunt cognominati; quorum seriem vide apud *Liv. 1. c. 3.* & apud *Dionys. Halic. l. 1. c. 70. seq.* Duodecimus a Postumo *Procas* duos reliquit filios, quorum minor natu *Amulius* fratrem majorem *Numitorem* per vim paterno honore privavit: utque regnum scelere partum sibi posterisque suis servaret, *Ægestum* Numitoris filium inter venandum interfecit (*d*), filiam vero Numitoris *Iliam*, sive *Rheam Sylviam*, ut se *Vestæ* cultui consecraret, coegit: specie quidem honoris, revera autem, ne ullam prolem ederet, quia illius Deæ sacerdotes in perpetuum viris se abstinere debebant. At Ilia a viro aliquo militari (quem, quia *Deus auctor culpæ honestior erat* (*e*), *Martem* fuisse finxerunt) compressa geminum partum, & quidem masculum, edidit; qua re cognita Amulius pueros in *Tiberim* projici jussit (*f*). Cum vero is fluvius forte ripis restagnasset, in proxima allu-

(a) *Virg. Æn. 1. 329. & alibi sæpissime.*

(b) *Vid. Dion. Hal. & Tit. Liv. initiis historiar. suarum, (A. ante C. N. 1180. ut vulgo numeramus: at immortalis vir memoriæ If. Newtonus Trojæ excidium accidisse statuit a. 904. ante C. N. qui fuerit 76. post Salomonis regis obitum.)*

(c) *Dion. Hal. l. 1. c. 70. Sext. Aur. Vict. de or. gent. Rom. ex Valer. Antiate, & paulo aliter Liv. l. 3.*

(d) *Dion. Hal. I. 76.*

(e) *Liv. I 4.*

(f) *Vid. ingens fragm. de expositione Romuli ex Q. Fab. Pict. ap. Dion. Hal. I. 79.*

alluvie ministri eos deposuerunt, ubi *a pica* & *lupo* (g) (quæ animalia Marti sacra sunt) enutriti finguntur: hodieque Romæ in Capitolio exstat æneum lupæ simulacrum, ex cujus uberibus *Romulus* & *Remus* pendent: quod idem esse creditur cum eo, de quo loquitur Cic. in *Catil.* III. *c.* 8. vid. Marlian. *Urbis Romæ topogr. l.* II. *c.* 9. sed rei veritas esse videtur, eos a *Faustulo*, regii pecoris magistro, fuisse inventos, & ab ejus uxore, (cui ex moribus *lupæ*, hoc est, *meretricis* (h) cognomen adhæserat), fuisse educatos. Hi pueri cum adolevissent, Numitoris avi sui pastores latrocinia exercentes pulsant (i), eaque occasione capti, ad regiam perducti, & ab avo agniti Amulium obtruncant, avum reponunt, qui nepotibus suis statim novæ urbis condendæ auctor fuit (k): tum, ut urbanam multitudinem quondam sibi adversam exhauriret; tum, ut juvenum ambitioni satisfaceret. Ne autem dissensio inter duos fratres, (quibus Romulo & Remo nomen erat) oriretur, uter regnaret, auspiciis, more tunc temporis usitato, decerni placuit (l). Remus prior in *Aventino* colle sex vultures; Romulus, sed posterior, in *Palatino* duodecim vidit: inde contentione & pugna orta cæsus est Remus; licet alii eum fossam a Romulo novæ suæ urbi circumdatam per ludibrium transilientem interfectum fuisse velint: fossæ enim urbium, ut & muri & portæ sanctæ apud veteres habebantur (m). Romulus porro ita solus superstes urbem, vel proprie arcem tantum, in monte Palatino, (ad cujus radices cum fratre expositus fuerat), condidit, eamque a nomine suo *Romam* dixit (*). Condita est urbs, juxta *Petavium*, *Rationar. tempor. part. II. lib. III. cap.* 2. anno mundi 3231. qui fuit *Periodi Julianæ* 3961. ante *Christum* natum a. 753. (ita ut hodie a die Palilium, sive ab XI. Kal. Maji 1722. incipiat annus urbis conditæ 2475.) *Olympiadis* VI. anno tertio, post

(g) *Ovid. Fast. III. 37. S. Aur. Vict. de orig. gent. Rom. Plut. Quæst. Rom. n.* 21. (h) *Vid. Plaut. Epid. III. III.* 22.
(i) *Liv. I.* 5. (k) *Dion. Hal. I.* 85.
(l) *Ib. I.* 86. *seq. Liv. I.* 7.
(m) §. 10. *Inst. de rer. divis.* (*) (*De arcano urbis hujus nomine vid. Serv. ad Æn. I.* 277. & 281. & *Falsterii Amœnit. philolog. part. II. pag.* 136. 7.)

Trojam eversam an. 431. cum in *Judæa* pius rex *Joatham* quintum jam annum regnum obtineret: juxta alios vero uno anno serius (*n*). Eo tempore Romulus ætatis annum decimum octavum agebat. (*) Dies, quo urbs condita est, fuit XI. Kal. *Maji*; (*o*) qui dies *Palilia*, a *Pale* pastorum Dea, cui tum sacra fiebant, dicebatur; & postea semper festus fuit habitus (*p*). Urbe ita condita, cum Romulus de forma regiminis ad populum retulisset, communi omnium consensu regnum ei est delatum, captisque prius rite auspiciis rex fuit renunciatus; quod deinde semper servatum est (*q*), ne quid publice, nisi *captis auspiciis*, gereretur.

Ut vero multitudinem civium augeret Romulus, inter Palatinum & *Capitolinum* montem *asylum* aperuit (*r*), quod patebat servis fugitivis, obæratis, & maleficis (*s*): dicebatur autem *asylum* ab *a.* privativo, & verbo συλάω, h. e. *spolio*; quia aliquem ibi *spoliare*, vel inde detrahere nefas erat (*t*).

§. II. *De ulteriore Urbis incremento.*

Verum cum etiam sic penuria mulierum res Romana hominis dumtaxat ætatem duratura videretur, (*u*) nec finitimi filias suas Romanis, (collecticiæ quippe undique hominum turbæ), elocare vellent, eos cum filiabus suis (*x*) & sororibus ad spectaculum equestre in honorem Dei *Consi*, sive *Neptuni* celebrandum invitavit Romulus; &, ut quisque civium suorum uxorem sibi ex constituto inde raperet, jussit. Ab hac injuria bellum cum istis gentibus est ortum; & primum quidem cum *Caeni-*

(n) *Vid. Pigh. Ann Rom. tom. I. pag. 11. Scalig. de emend. temp. lib. V. p. 385 ed. Genev. 1629. (Petav. Rat. temp part. II. lib. II. cap. 10. & imprimis Dion. Hal. I. 74. 5. ubi multis probat, annum primum VII. Olymp. natalem fuisse Romæ. Octo diversæ de Romana æra opiniones examinantur in memoriis litterariis Acad. Paris. tom. IV. aut verius tom. III. pag. 54. seq. At cl. Newtono urbs condita videtur a. post captam Trojam 277. ante C. N. 627. regnante in Judæa Josia pio.)*

(*) (*Dionys. Hal. II. 55. f.*)

(o) *Plut. Romul. p. m 23. E.* (p) *Propert. IV. 4. 73.*

(q) *Dion. Hal. II. 6. Cic. de Divin. I. 16.*

(r) *Dion. Hal. II. 15. Liv. I. 8.*

(s) *Virg. Æn. VIII 342. Juven. VIII. 272. (Quod etiam colligitur ex Tacit. Ann. III. 60.)*

(t) *Vid. Serv. ad Virg. Æn. II. 760.*

(u) *Liv. I. 9. Dion. Hal. II. 30 Flor. I. I. §. 10.*

(x) *Ovid. de arte amand. I. 101.*

Cæninensibus, qui a Romulo victi, & saluberrimo consilio (quo etiam semper fere deinceps Romani sunt usi (y), *quodque inter præcipuas caussas incrementi hujus tanti imperii censeri debet* (z)) non deleti, sed in civitatem recepti sunt; ut etiam (a) mox *Antemnates*, & his potentiores *Crustumini*. At ultimum, ob hanc caussam, & gravissimum bellum fuit cum *Sabinis*, qui proditione *Tarpejæ* virginis (sed vide, quæ de veritate an falsitate hujus narrationis diximus in *Hist. reip. Rom. lib. I. cap.* 1. §. 4.) arce Romanorum in monte *Tarpejo* potiti media in urbe prælium cum iis committebant, cum raptarum (quæ jam maritis suis erant conciliatæ) intercessione pax non tantum, sed & arctissimum fœdus inter duos hos populos factum est, ita, ut Sabini, quotquot vellent Romam migrarent (b); urbs a Romulo pristino nomine (c) *Roma*; cives vero *Quirites* dicerentur, vel a *Curibus* Sabinorum oppido; vel, quod *Curis* (d) Sabinorum lingua *hastam* (*fortitudinis* symbolum, ut quod præcipuum telorum olim esset, vide *Virg. Æn. XII. v.* 95.) denotet; Sabinorum autem rex *T. Tatius* æquato cum Romulo imperio regnaret. (*)

§. III. *De Tribubus.*

Postquam autem rex esset constitutus Romulus, universum, quem possidebat, (e) agrum in tres partes divisit; quarum una ministeriis sacrorum, & templis exstruendis inserviret; altera usibus publicis, ut foris & basilicis; tertia denique usibus privatis reservaretur. Hæc postrema rursus in triginta partes æquales pro numero triginta *curiarum* fuit divisa. Nam omnem populum Romulus in tres partes distribuerat; quæ vel a *tributo dando* (f); vel *a numero ternario* (g); vel denique (quod veriss-

A 3

(y) *Vid. Plut. Romul. p.* 27. *A.*
(z) *Cic. pro Balbo c.* 13. (a) *Dion. Hal.* II. 35.
(b) *Dion. Hal.* II. 46. (c) *Plut. Romul. p.* 30. *A.*
(d) *Dion. Hal. II* 48. (*Ex* 1. *ed. addo Ovid. Fast. II.* 477.)
(*) (*De magnitudine tam urbis, quam civitatis Romanæ agit Lipsius singulari libro. Et J. B. Casalius de splendore Romani imperii. Adde Stat. Silv.* IV. 11.)
(e) *Dion. Hal.* II. 7.
(f) *Ascon. ad act. in Verr.* I. 5.
(g) *Plut. Rom. p.* 31. *B. Auson. Grypho.* X. 75.

rissimum est), a Græca voce τριττύς, (quæ apud *Athenienses tertiam tribus partem* notavit) *tribus* sunt dictæ (*h*): easque singulas iterum divisit in decem *curias*; de quibus mox paullo latius. Unicuique tribui a Romulo *tribunus* præfectus dicitur (*i*); quod tamen posterioribus temporibus non obtinuit, nisi hoc prius de tribuno militari intelligas. Erat autem hæc divisio apta ad delectum militarem habendum; nam ex quaque tribu primo illo tempore mille legebantur pedites, (unde etiam *miles* est dictus a *mile* pro *mille* (*k*), quia veteres consonas in medio vocis non geminabant), & centum equites; ex quibus prima *legio* Romana constitit.

Post pacem, de qua diximus, cum Sabinis initam, licet plurimum aucta (*l*) civitate, (præsertim, cum multi, qui ex Latio & *Etruria* Romulo auxilio venerant, in urbe restitissent), idem tamen tribuum numerus mansit, sed nomina tum demum sortitæ sunt, ita, ut prima diceretur *Ramnensium* a *Romulo*, ut volunt (*m*), in quam omnes Romani, & postea a *Tullo Hostilio* rege etiam Albani conjecti sunt: (*Varro & Propert. IV.* 1. 31.) hujus tribus cives *Ramnes* vocant: ut etiam *Horatius*, *Art. poet. V.* 342. *Liv. X. 6.* ubi vid. *Gronov. Et Varro* dicit, omnia illa vocabula *Tusca* fuisse; ita ut frustra, vel certe sine operæ pretio iis explicandis insudetur; secunda *Tatiensium*, a *T. Tatio* Sabinorum rege, in qua Sabini omnes; tertia denique *Lucerum*, dicta vel a *Lucumone* Etrusco, qui Romulo adversus Sabinos suppetias tulerat; vel a *luco*, in quo asylum Romulus aperuerat: & in hanc tribum omnes peregrini, qui tum erant, & qui postea ante novam tribuum divisionem a *Tullio* institutam ex victis gentibus accesserunt, sunt relati.

Procedentibus temporibus, cum quotidie res Romana augeretur, primus *Tarquinius Priscus* (*n*) quintus Romanorum rex numerum tribuum duplicavit

(h) *Grav. Præf. in tom. I. Ant. Rom. Voss. Etymol. hac voc.*
(i) *Vide Dion. Hal. l. prox. cit.* (k) *Vid. Isid. Orig. IX. 3. & Varr. de lingu. Lat. IV. p.* 23. *ed. Dordrecht.*
(l) *Vid. Plut. Romul p.* 33. *A.*
(m) *Vid. Weitz. ad Pervigil. Ven.* 72. *& Acron. ad Hor. de art. poet.* 342. *Varr. de lingu. Lat IV.* 9.
(n) *Vide Fest. voc. Sex Vestæ Sacerdotes.*

cavit (*o*), retentis tamen iisdem nominibus; ita, ut dicerentur *primi Ramnenses*, & *secundi Ramnenses*, & sic porro. *Servius* vero *Tullius* rex Romanorum sextus, cum Lucerum præcipue tribus immensum augeretur, totam hanc rationem mutavit, & universam urbem in quatuor, agrum vero Romanum in quindecim, vel septemdecim, (variant enim auctores) (*p*) portiones divisit, quarum quædam dicebantur tribus *urbanæ*, quædam *rusticæ*; ita ut illæ tribus, quæ ex Romuli institutione distinctæ erant juxta genera hominum, distinxerit juxta loca habitationis, sive quot * ἐκ τῶν γενικῶν fecerit τοπικάς. Vid. *Sigon. de ant. jure civ. Rom.* I. 3. *Urbanæ* tribus fuerunt (*q*) *Suburana*, (quæ & Sucusana dicebatur (*)) *Esquilina*, *Collina*, & *Palatina*, a locis ita denominatæ (*r*) in quas initio omnes nobiliores homines conjecti sunt. Sed hi, postquam *Fabius* censor a. u. 450. omnem turbam forensem in eas conjecisset (*s*), & postea iis accessissent etiam libertini, in rusticas tribus sunt relati (*t*), ideoque probrosum fuit a censoribus ex rustica tribu in urbanam transferri: postea vero A. U. 584. Ti. Gracchus censor omnes, qui servitutem serviissent, & quibus quinquennio major filius, prædiave rustica pluris XXX. M. HS. non essent, in unam tribum Esquilinam conjecit, *Liv. XLV.* 15. (*u*). Rusticæ tribus vel a *locis*, vel a *gentibus* sunt denominatæ; a *locis*, ut *Romilia*, (*x*) *Crustumina*, &c. a *gente*, *ut Fabia*, *Horatia*, & sic porro (*y*). Nomen autem tribus sæpe tamquam agnomen reliquis nominibus additur; ut C. Septimus T. F. Quirina, M. Oppius M. F. Terentina. Cœlius ad Cic. *Fam. VIII.* 7. & sæpissime in *Inscriptionibus*. Instituit præterea Servius Tribuum, vel Vicorum præfectos (z), qui nomina, sexum,

 æta-

(o) *Vid. Manut. de comit. Rom. c. 2. tom. I Thes. Antiq. Rom. Græv. n. 481. D.* (p) *Vid Dion. Hal IV.* 15.

(*) (*Malim scripsisset atque.*) (q) *Vid omn Sigon. de ant. jur. civ. Rom. I.* 3. (*) (*Varro de ling Lat. p m* 15. & *Sertorius, de notis Romanor. h. v.*) (r) *Vid. On. Panv. de civit. Rom. cap.* 48. *edit Græv.* (s) *Liv. IX* 46.

(t) *Vid. Ascon. ad Cic. pro Mil.* 32. *Epit. Liv. XX.*

(u) *Plin. Histor. nat. XVIII.* 3.

(x) *Varr. de ling. Lat. IV.* 9.

(y) *Inscript. ap. On. Panvin. de rep. Rom. c.* 49.

(z) *Dion. Hal. IV.* 14. *seq.*

ætatem, opes &c. tribulium suorum scire debebant; vetuitque quemquam ex tribu sua demigrare. Postea diversis temporibus aliæ adhuc tribus additæ sunt, ita ut tandem triginta quinque numero essent, a locis pleræque dictæ, ut *Stellatina*, *Pomptina*, &c. (vid. *Panvin. de civ. Rom. c. 1. tom. I. Græv.*) Post bellum *Marsicum* tota Italia civitate donata, octo vel decem etiam aliæ tribus sunt adjectæ (*a*), verum paullo post ad pristinum numerum sunt redactæ (*b*). Atque hæ sunt triginta quinque illæ tribus, in quarum aliqua quisque civis Romanus, sive intra, sive extra urbem degeret, censeri debebat. Manumissi tamen tribum, sive jus suffragii non statim accipiebant: hoc enim non nisi a populo olim, & postea a Principe concedebatur. Tempore autem Pandectarum hoc jus emebatur: unde legimus patronos aliquando jussisse, ut hæredes sui tribum libertis suis emerent, *L. 31. pr. D. de legat. 3.*

§. IV. *De Curiis.*

Diximus a Romulo singulas tribus in decem *curias* fuisse divisas, quibus a raptis Sabinis nomina fuisse indita quidam volunt (*c*), sed cum ea (maximam saltem partem) ad nos non pervenerint, incerta hæc sunt: dictæ autem sunt *curiæ* juxta quosdam a *curando*, scilicet *sacra*; quæque enim curia sacra quædam sibi peculiaria habebat, quæ a *Curione*, (is curiæ præerat) (*d*) curabantur. Unde curiæ similes fere erant parœciis vel parochiis, ut corrupte hodie dicuntur. Vid. *Fam. Nardinum, Roma vet. libr. II. tom. IV. Græv.* Omnibus vero Curionibus præerat, qui *Curio maximus* dicebatur. Vel forte ita sunt dictæ, quod rem publicam *curarent*; hoc enim primis illis temporibus comitiis *curiatis* (de quibus suo loco) faciebant *curiæ*; unde etiam locus, ubi senatus Romæ habebatur, *curia* est dictus: vel denique, & hoc verius est, a Græco κυρία (*e*), quemadmodum Atheniensibus diceba-

(a) *Vid. App. Alex. Civ. I. p. 641. edit. Toll.*
(b) *Vid. Gruch. de Comit. Rom. I. 4.*
(c) *Liv. I. 3. Aliter Dion. Hal. II. 47. ex Varr. & Plut. Romulo p. m. 30. Vid. Fam. Nardini Romam vet. II. 1. tom. IV. Græv. n. 548.* (d) *Vid. Plaut. Aulul. I. II. 29.*
(e) *Vid. Græv. Præf. tom. I. Antiquit.*

cebatur tota populi concio legitime convocata ad vetandum, jubendumve, quod e re publica esse censebat. In curiarum aliquam descripti erant omnes cives in urbe vel in agro Romano degentes; coloni enim & municipes suas quasdam peculiares (*f*) curias in coloniis & municipiis habebant. Numerus triginta curiarum semper mansit, licet postea tribuum numerus augeretur *.

CAPUT II.

De Senatoribus.

§. I. *De Institutione & numero Senatorum.*

REgnum adeptus Romulus tres *ordines* populi Romani fecit. Et primum quidem eos, qui virtute, ætate, genere, vel opibus excellebant, a reliquis secrevit, (*a*) eosque (*) *patricios* dixit, cujus appellationis variæ traduntur rationes. Quidam patricios fuisse dicunt eos tantum, qui a primis *patribus*, sive *senatoribus* erant orti: alii propterea *patricios* eos appellatos ajunt, quod soli *patrem ciere*, sive *nominare* possent, quasi alii essent fugitivi, vel servi, neque suos patres ingenuos nominare possent (*b*). Sed verius est, (juxta *Vossium Etymolog. voc. patricii*,) duas posteriores syllabas in voce *patricius* esse tantum *patris* vocis productiones, quemadmodum ab *ædilis* fit *ædilicius*, a *novus novicius*, &c. Ex his porro patriciis Romulus jussit (*c*) ut singulæ tribus ternos, quos maxime probassent, viros legerent; & idem etiam singulis curiis mandavit: tum his nonaginta novem viris unum, quem ipse maxime idoneum judicasset, adjecit, cui rerum urbanarum curam committeret, quoties ipse exercitum extra fines

 agri

(*f*) *Vid. Gruch. ad poster. Sigon. disp. refut. c. 6.*

(*) (*Fuse de tribub. agitur in Memoriis literariis Academ. Parisiensis, to.* II. *p.* 91. *seqq. it. tom.* V. *a p.* 88. *ad* 150.)

(a) *Dion. Halic.* II. 8.

(*) (*Quem tamen contra se citat. Namque is cum Livio* I. 8. *f. patres eos ait fuisse dictos, progeniemque eorum patricios.*)

(b) *Plut. Romul. p.* 24. *D. Festus voc. patricius.*

(c) *Dion. Halic.* II. 12.

agri Romani ducturus esset: & hi centum viri *senatores* & *patres* honoris, benevolentiæ (*d*), & ætatis causa sunt dicti (*e*). Et sic hodie (ut majoris lucis causa hoc addamus), in *Anglia* dicuntur *Aldermanni*, *Hamburgi die Oberalton*, qui quinque parœciarum nomine reliquis senatoribus adjuncti sunt. Hinc etiam est Gallorum hodierna vox *seigneur*, quasi *seniorem* dicas: & in patriæ metropoli *Dordrechto* senatores *Oud-raaden* dicuntur. Etiam Christianis *presbyteri* sunt sacrorum ministri: & *Vossius de vitiis serm. II.* 8. putat Belgice *Graven* dici comites a *grauuw*, *canus*: nam olim *graviones* illi judices tantum fuerunt. Et hæc obiter adjecta sunto. Possunt etiam dicti fuisse *patres*, quia revera nullos alios in senatum legerit Romulus, nisi qui *patres* (*) essent, cum tales majorem rei publicæ curam gesturos esse censeri debeat.

Paulo post urbem conditam Romanis & Sabinis societate junctis, ex his etiam centum curiarum suffragio in senatum lecti sunt: (*f*) *Tullus* quidem *Hostilius* tertius Romanorum rex senatorum numerum non auxit, sed Albanis Romam traductis, & nobilissimis eorum familiis, (quales fuerunt Juliæ, Serviliæ, Quinctiæ, &c. (*g*)) inter patritios adscitis senatum supplevit: (*h*) Tarquinius vero Priscus, qui homo novus & peregrinæ originis erat, potestati suæ firmandæ (*i*) centum ex præstantissimis plebeiis inter patritios, & inde inter senatores retulit (**), *factionem haud dubiam regis*, *cujus beneficio in curiam venerant* (*k*): ita ut trecenti jam numero essent. Hi postremi senatores tunc quidem dicti sunt *minorum gentium*: nam aliis senatoribus a *Bruto* allectis tractu temporis *majorum gentium* dici cœperunt; itaque conciliandus est *Tacitus Annalium XI.* 25. cum *Livio I.* 25. *Junius* enim *Brutus*, (vel, juxta alios, *P. Valerius Poplicola*) cum *Tarquinius Superbus* patricium & senatorium ordinem cædibus exhausisset,

(d) *Plut. Rom. p.* 24. *E. Sall Catil.* 6.
(e) *Flor. I* 1. (*) (*Quod clare significas Liv. l. d.*)
(f) *Dion. Hal. II.* 47.
(g) *Liv. I.* 30.
(h) *Vid. Dion. Hal. III* 22. (i) *Ibid.* 67.
(**) (*Malim; centum in patres legit, cum Livio.*)
(k) *Liv. I.* 35.

set, (nam qui justo majorem potestatem cupiunt, ejusmodi concilia abolere conantur, ut præterito sæculo in Francia factum, in Anglia tentatum fuit), præcipuis ex equestri ordine inter *patres conscriptis* senatum supplevit (l); unde *patrum conscriptorum* appellationem, (quæ deinceps solennis fuit, ut nempe in senatum vocarentur, *qui* patres, quive conscripti essent) ortam fuisse multi volunt: *Panvinius* vero (*de civit. Rom. c. 9.* ex 1. *edit.*) omnes post Romuli primam lectionem assumtos *patres conscriptos* fuisse dictos asserit. *C. Gracchus* tribunus plebis a. u. 631. trecentos ex equitibus in senatum allegisse a *Plutarcho* dicitur; (m) at verius est, eum talem aliquam legem quidem tulisse, sed non pertulisse. Vid. *Sigon. de ant. jur. civ. Rom. II.* 2. (n) A. u. 622. *M. Livius Drusus* tribunus plebis de trecentis equitibus in senatum legendis legem tulit (o); verum ea, æque ac aliæ omnes ab eodem latæ, statim eo cæso abrogata est. *Sullam* dictatorem senatum auxisse certum est; (p) sed quot senatores adjecerit, incertum: hoc constat, post Sullam ultra quadringentos fuisse (q). Tempore vero Julii Cæsaris & per insecutas turbas triumvirorum multis indignis, (facile patientibus triumviris, ut ita eorum tyrannis etiam magis firmaretur), in senatum se ingerentibus, numerus senatorum vel ad mille excrevit; ideoque ab *Augusto* (r), postquam rerum potitus est, ad pristinum numerum sexcentorum debuit redigi. Et hæc de numero & institutione senatorum dicta sunto.

§. II. *De Lectione senatus*.

Lectus fuit *senatus* primo quidem, uti vidimus, ab ipsis regibus, iisque pulsis, a consulibus. Nam, licet ex verbis *Ciceronis*, *pro Sextio*, *c.* 65. (*deligerentur autem in id consulium* ab *universo populo*) vide-

(l) *Liv. II. 1. Dion. Hal. V 13.*

(m) *In ejus vita p. m. 837 B qui locus tamen aliter explicari possit: nempe, ut ex equitibus*, 300. *judices legerit Gracchus, qui simul cum* 300. *senatoribus omnes causas judicare possent.*

(n) *Vid Pigh. Annal. ad a. u.* 631.

(o) *Appian Alexand. civil. I. p* 630. *edit. Toll.*

(p) *Id. p* 650. *&* 688. (q) *Vid. Cic. ad Att. I.* 13.

(r) *Suet. Aug.* 35.

videri possit, ante censores creatos, senatores nominante consule a populo fuisse cooptatos, rectius tamen & *Hottomannus & Cl. Grævius* apud *Ciceronem* pro *ab* legunt *ex*. Quod non videtur observasse R. Abbas *Vertotius* in *Ep. ad Ill. Stanhopium de difficultatibus quibusdam circa constitutionem senatus Rom. p.* 20. donec a. u. 310. *censores* crearentur, quibus id munus peculiariter fuit demandatum: & semel tantum libera republica *dictator senatui legendo* creatus legitur, post cladem scilicet *Cannensem*, *N. Fabius Buteo* (*s*). Sub imperatoribus *triumviri senatui legendo* creati sunt (*t*). Cujus senatoris nomen a censore senatum legente primum recitabatur, ille erat, & dicebatur *princeps senatus*; isque olim quidem fuit, qui primus censor ex iis, qui viverent, fuisset. Sed post a. u. 544. quem censor dignissimum censuisset, eum senatus principem legebat (*u*). Licet autem hæc dignitas nec imperium, nec potestatem conferret, tamen amplissima omnino habebatur, quia scilicet nemo, nisi vita innocentissime acta, eo adspirare poterat, unde honoris causa sæpe aliquis inde designatur (*x*): ac fere, qui semel princeps senatus lectus fuerat, sequentibus lectionibus eam dignitatem retinebat (*y*): eaque dignitas *principatus* dicitur (*z*): & hinc postea ipse imp. *princeps* fuit dictus; quæ vox proprie tantum *ordinem* notat, non potestatem.

Singulis lustris senatus ab alterutro censore recensebatur; & si quis moribus esset amplissimo ordine minus dignis, vel censum minuisset senatorium (*a*), in recitatione catalogi senatorii nomen ejus silentio prætermittebatur; ita tamen, ut præteritioni causa adderetur. Vide *Valer. Maxim. II. 9. num.* 2. 3. 4. 5. atque eo ipso nulla alia nota adscripta *senatu motus* habebatur, hoc est, *senator porro non erat*. Senatu tamen moti infames non erant, nisi infami judicio, vel de ambitu damnati essent,

---

(*s*) *Liv. XXIII.* 23. (*In meis exempl. legitur M. Fabius Buteo: solus autem Sigonius malebat N.*)

(*t*) *Suet. Aug.* 37. (*u*) *Liv. XXVII.* 11.

(*x*) *Cic. pro Rabir.* 7. *Id. Phil. VIII.* 40.

(*y*) *Liv. XXXIX* 52.

(*z*) *Cic. fragm. Or. pro Scauro. Vid. Onuphr. Panvin. Fast. lib.* 5.

(*a*) *Cic. Fam. XIII.* 5.

essent, *Dio Cassius XXXVI. p.* 8. *seq. ed. regiæ* 1548. ita ut etiam in judices legi possent, *Cic. pro Cluent. c.* 42. *seq.* Porro lege Cassia cautum fuit, ut quem populus damnasset, cuive imperium abrogasset, in senatu nec esset. *Ascon. ad Corn. I. pag.* 969. *ed. Græv.* *)

§. III. *Requisita, ut quis Senator esse posset.*

In senatoribus legendis hæc quinque potissimum spectabantur, *genus*, *ordo*, *census*, *ætas*, & *magistratus*. *Primo*, antiquissimis temporibus solis patriciis aditus in senatum patuit; adeo ut illi, qui a Tarquinio Prisco (*b*), & deinde a Junio Bruto ex plebe fuerunt allecti, prius inter patricios cooptari debuerint (*c*); at circa tempora decemvirorum, sive circa a. u. 302. plebeji directo in senatum admissi videntur (*d*). *Secundo*, quod ad ordinem, servatum est, ut ex equestri maxime ordine senatores legerentur; unde equestris ordo *seminarium senatus* (*e*) appellatus fuit: sed hoc tamen perpetuum non fuit; *Appius* enim *Claudius* censor etiam libertinorum filios in senatum legisse traditur (*f*). *Tertio* etiam ratio fuit habita *census*, qui antiquissimis quidem temporibus nullus spectatus fuisse videtur (*g*); sed florente republica fuit 800. HS. sive 800000. *nummorum sestertiorum*, qui faciunt nostra moneta 20000. *Philippeorum*; vel, ut alii, *Imperialium*: verum Augustus jussit (*h*), ut census senatorius esset 1200. *HS.* hoc est, 30000. *Philippeorum*, vel *Imperialium*; juxta *Dionem* vero *Cassium*, *lib. LIV.* 1000. *HS.* Nempe *Svetonius loco in margine citato* posuit censum, quem primum invenit Augustus ad remp. accedens; & quem reliquit moriens. *Dio* vero talem posuit, ut primum post bellum civile con-

(*) (*Sub finem Orat. pro C. Cornelio.*)
(b) *Dion. Hal.* III. 67. (c) *Id. V.* 13.
(d) *Vid. omn. Sigon. de jure ant. civ. Rom.* II. 2.
(e) *Liv.* XXXXII. 61.
(f) *Id.* IX. 46. *Svet. Claud. c.* 24. (*Qua in re proauctorem generis sui se sequi, falso dictitavit Claudius Cæsar. Svet. ib.*) (*Appii lectionem tamen per vim & ignominiose factam, ex utroque auctore adparet. F. R.*)
(g) *Plin. Hist. nat. praef. lib.* XIV.
(h) *Svet. Aug. c.* 41.

constitutus fuerat; & ut deinde primo fuerat auctus. *Quarto*, *ætatis* quoque habitam fuisse rationem certum est (*i*): sed quæ ea fuerit, non satis constat: verum cum, ut *Quinto* loco innuimus, ex iis fere tantum, qui jam *magistratuum* aliquem gessissent (*k*), lecti sint, primusque, qui in urbe caperetur, magistratus fuerit quæstura, (nempe ex muneribus honoratioribus; nam vigintiviratum, e. g. etiam juniores capiebant) consequens est, neminem ante quæstoriam ætatem senatorem fieri potuisse (*l*): ea autem probabiliter fuit annus ætatis vicesimus quintus (*m*), ut infra dicemus (v. pag. 48. & 74.). Licet autem aliquis magistratum gessisset, propterea tamen continuo senator non erat (*n*), nisi a censoribus in senatum esset lectus; sed equites, qui curulem magistratum gesserant, licet senatores proprie non essent, tamen jus suffragii in senatu habebant; ita, ut ipsi quidem sententiam non dicerent, sed ut *pedibus in aliorum sententiam irent*; (qui mos hodieque a Cardinalibus in eligendo Papa servatur, vid. *Amelott.* ad *Tacit. Annal. VI.* 12.) unde hi senatores *Pedarii* sunt dicti (*o*). Verum, ut hoc addam, probabilis satis videtur *Manutii* opinio, qui vult (*de Sen. Rom. c.* 1.) quæstores tribunos, & ædiles plebis, quamdiu magistratum gererent, aditum in senatum habuisse; curules vero magistratus semper; immo hos in legendo senatu a censoribus, nisi sontica causa esset, præteriri non potuisse.

§. IV. *Insignia Senatorum.*

Insignia senatorum fuerunt, *Primo latus clavus*, sive *tunica laticlavia* (*p*) (χιτὼν πλατύσημος) hoc est, *cui linea purpurea oblonga & quadrata instar fasciæ erat adsuta* (*q*), quæ fascia *clavus* dicebatur; *latus* autem, quia equites *angustiorem* habebant; de quo suo loco: *Secundo calcei nigri* (*r*) ad me-

(i) *Tacit. XV.* 28. (k) *Vid. Sigon. de ant. jur. civ. Rom. II.* 2. (l) *Vid. Zamosc. de senat. Rom. I.* 8.

(m) *Vid. omn. Dion. LII. pag.* 323. *ed reg.* (*Quinct. XII.* 6. & *imprimis Lipsii Excurs. D. ad Tac. Annal. III.* 29.)

(n) *Gell. III.* 18. (*Cic. in Verr. II.* 51. *pr.*

(o) *Id. d. l.* (*At ipse Gellius eam opinionem reprobat, aliamque veriorem proponit: quam ibi velim legas.*)

(p) *Ovid. Trist. IV.* 10. 35. (q) *Vid. Grav. Praef. tom. VI. Ant. Rom.* (r) *Horat. Serm. I. VI.* 27.

medium usque crus subducti, (hinc proverbium: *calceos mutare*, de quo vide *Erasmi Chil.*) *Tertio*, *lunula argentea*, sive *figura numeri centenarii in calceis* (s), quod scilicet primi senatores *centum numero* fuissent: *Quarto*, *locus separatus in spectaculis* proxime podium, vel arenam; qui locus dicebatur *orchestra*, unde hæc vox aliquando pro *ipso senatu* ponitur (t), quæ proprie quidem significat *locum, ubi histriones saltabant*; (ab ὀρχέομαι, *salto*) juxta quem proxime senatores sedebant; verum a theatro etiam ad alia spectacula hæc vox translata fuit.

§. V. *De ratione habendi Senatum.*

Jus convocandi senatum habebant olim quidem reges, regibusque pulsis consules, dictatores, magistri equitum (u), prætores, tribuni plebis, præfecti urbis; & qui extra ordinem reipublicæ præfuerunt, decemviri legibus scribendis, tribuni militum consulari potestate, & triumviri reipublicæ constituendæ; de præfecto urbis Latinarum causa dubitatum fuit, quum ea ætate fieret, quæ senatoria non esset (x): verius tamen videtur eum senatum cogere potuisse. Observandum autem est, minorem magistratum non potuisse habere senatum, nisi absente majore, ut Cornutus prætor urbanus absentibus consulibus senatum habet more majorum, *Cic. Famil. X.* 12. & hoc etiam non nisi in re nova fieri poterat, *ib. VII.* 28. quod tamen non obtinuit in tribunis plebis, qui etiam invito consule senatum vocabant, ut colligi potest ex *Cicerone*, *de orator. lib. III. in init.* Convocabatur autem senatus vel edicto, in quo causa convocationis addi solebat, vid. *Tacit. Annal. II.* 28. *f.* vel per præconem (y); & si quis senator non adesset, pignoris captione multabatur (z). Haberi non potuit senatus nisi in *templo*, hoc est, *in loco ab auguribus consecrato* (a); unde in curiis *Hostilia*, *Julia*.

(s) *Juven. VII.* 192. (t) *Id. III.* 178.
(u) *Liv. VIII.* 33. *Dio l. XXXXII. pag.* 197. *ed. Lat.*
(x) *Gell. XIV.* 8.
(y) *Vid. Zamosc. de senat. Rom. II.* 4. *Juven. IV.* 72.
(z) *Cic. Phil. I.* 5. *Liv. III.* 38.
(a) *Gell. XIV.* 7.

lia. *Pompeja* templa constituta sunt: verum etiam sæpe in templis vulgo ita dictis habebatur (*b*), ut in templo *Honoris*, *Apollinis* (*c*), *Concordiæ*, (*d*) &c. Et hinc templum Vestæ non fuit augurio consecratum, ne illuc conveniret senatus, ubi erant virgines (*e*). Legatis autem, quos in urbem admittere nolebant, & magistratibus, qui ad urbem erant, senatus in æde *Bellonæ* extra urbem dabatur. *Liv. XXXI. 47. XXXIII. 22. & 24.* &c. *Festus, voc. Senacula.*

Legitimum *tempus* habendo senatum erant Kalendæ, Nonæ, & Idus cujusque mensis: sed, si necessitas urgeret, omnibus diebus haberi poterat; nisi *comitiales* essent, hoc est, *quibus re ipsa comitia haberentur*, non quibus haberi possent; uti abunde probat *Zamoscius, de Senat. Rom. II. 7.* Ex instituto vero Augusti singulis modo Kalendis & Idibus habebatur senatus; ita tamen, ut mense Septembri, & Octobri nullos alios adesse necesse esset, quam sorte ductos, per quorum numerum senatusconsulta confici possent (*f*): nam e. g. nemo legibus solvi poterat, nisi ducenti senatores adfuissent, ex lege quam tulit Cornel. Tr. Pl. a. u. *686.* (*g*) quod fecit Augustus specie quidem, ut molestiam muneris senatorii levaret; sed revera, quia minus expediebat ei, qui libertatem patriæ suæ oppresserat, frequenter adeo tam augustum procerum concilium convenire.

Nullum ergo senatusconsultum fieri potuit, nisi legitimus adesset senatorum numerus (*h*); quis vero ille fuerit, non satis constat: ante Sullam numerus centenarius sufficisse videtur; sed Augusti ætate quadringenti desiderabantur, quod tamen ipse abolevit; &, ut infra eum numerum senatusconsultum fieri posset, jussit (*i*), ut etiam ea ratione sensim senatus potentiam enervaret. Hinc autem mos inoleverat, ut qui senatusconsulto intercedere vellet, diceret magistratui ad senatum aliquid referenti, (*) *Numera senatum*.

Ma-

(b) *Lib.* XXXVII. 52. *Sallust. Catil.* 47.
(c) *Cœlius ad Cic. Famil.* VIII. 8.
(d) *Sallust. Catil.* 47. (e) *Serv. ad Virg. Æn.* VII. 157.
(f) *Suet. Aug.* 35. (g) *Ascon. argum. in Orat.* I. *pro Corn.* (h) *Vid. Liv.* XXXIX. 18.
(i) *Dio Cassius lib.* LIV. *f.*
(*) (*Vide Fest. his vocib. & Brissonium de formulis, pag.* 183.)

Magistratus, qui senatum habiturus erat, ante curiam hostiam immolabat, & auspicabatur; (*k*) atque ita demum curiam intrabat. Olim *fere* servabatur, ut primus sententiam rogaretur princeps senatus (*l*); &, si post (*m*) comitia consularia senatus haberetur, consul designatus: & hoc merito, ut, nempe, cautius & circumspectius censeret, quia executio decretorum senatus facile, & plerumque se in eorum consulatum extenderet. Vid. *Appian. Alex. Civ. lib. II. num.* 430. *Celeberr. Jo. Vinc. Gravin. de ortu & progr. jur. civ. l.* 1. §. 18. *fere* dico; nam jam olim libertatis consularis fuisse videtur, ut eum, quem vellet, primum rogaret (*n*). Tempore vero Julii Cæsaris, vel paullo ante, consul, (*o*) quem voluisset, primum rogabat, (modo ex consularibus (*p*) esset), & inde reliquos pro ordine dignitatis, (honoris enim & amicitiæ signum hoc erat) (*q*) ut primum consulares, deinde prætorios, & sic porro: post ædilicios autem ordo ætatis in rogandis sententiis servatus esse videtur (*r*): & aliquando honoris causa quibusdam concessum est, ut consulari loco sententiam dicerent, licet consules numquam fuissent (*s*). Tum etiam servatum fuit, ut quem consul Kalendis Januariis primum rogasset (*t*), eum deinceps toto anno primum rogaret; sed postea hoc, ut alia, quoque neglexit Cæsar: & Augustus nullum ordinem servavit: prudenti consilio, ut ita parati ad dicendum venire cogerentur (*u*). Quod si res maximi momenti esset, aliquando jurati senatores sententiam dicebant (*x*). Fiebant senatusconsulta ordinarie *per discessionem*, hoc est, ita, ut, qui censuisset, in certam curiæ partem *discederet*, eumque, qui idem censerent, sequerentur; unde *pedibus in alicujus sententiam ire* dicimus pro *eam amplecti* (*y*), (& contra: *discedere in alia omnia*) cujus locutionis exempla passim sunt obvia.

§. VI.

(k) *Vid. Suet. Jul.* 81. (l) *Gell.* XIV. 7.
(m) *Cic. Philipp.* V. 15. *Sallust. Catil.* 50.
(n) *Liv. V.* 20. (o) *Suet. Jul.* 21.
(p) *Vid. Cic. Fam.* X 12. (q) *Vid. eumd. post red. in sen.* 7.
(r) *Dion. Hal.* VII. 21. (s) *Cic. Phil.* I. 6.
(t) *Gell.* IV. 10.
(u) *Suet. Aug.* 35.
(x) *Liv.* XXVI. 33. *& ibi Gron. Id.* XXX. 40. XXXXII. 12.
(y) *Vid. omn. Plin. Ep.* VIII. 14.

§. VI. *De ratione referendi ad senatum.*

Referre magistratus *ad senatum* debebat, primum de rebus divinis, tum de humanis (z): neque magistratus tantum, qui senatum habebat, ad eum referre poterat, verum omnes, quibus jus senatum convocandi competebat; unde aliquando legimus diversa a diversis magistratibus eodem tempore fuisse relata (a). Sed consul vetare poterat, ne quid se invito ad senatum referretur: quod de tribunis plebis tamen non est intelligendum; nam illi non tantum de alia aliqua re referre poterant, & ad relationem consulis aliquid addere, vel eam mutare (b); verum etiam, si ille referre nollet, ipsi id facere poterant, (c) vel etiam ejus relationi intercedere (d), quod jus quoque omnibus, qui parem majoremve cum referente magistratu potestatem habebant (e), competebat: potuit etiam consul videns, quo animi inclinaturi essent, antequam omnes sententiæ dictæ essent, orationem paræneticam interponere; cujus rei exemplum est *quarta Catilinaria*; eam enim Cicero habuit antequam *Cato* sententiam dixisset. Perdita autem rep. princeps, licet consul non esset, de una, duabus, tribus rebus referre poterat; quod jus primæ, secundæ, tertiæ relationis dicebatur. Vid. *Casaub. ad Svet. Jul. cap.* 20. *Lips. ad Tacit. Annal. XV.* 22. *Barberiac. ad Gron. de leg. regia, p.* 48. *seqq. ed. Gall. Gravinam, l. sing. de Rom. imp. p. m.* 473. (f) Quod si aliquis in dicenda sententia plures res complexus esset, quisque senator dicere poterat, *divide*: ut scilicet de unaquaque re seorsim referretur. (*) Et magna hæc vis erat referentis ad senatum, quod duas res aliquando ita una rogatione comprehenderet, ut dividi vix possent. Vid. *Polyb. Exc. leg. num.* 129. Senatorum

(g)

(z) *Gell. XIV.* 7.
(a) *Cic. Phil. VII. init.*
(b) *Vid. Manut. ad Cic. Famil. I.* 1.
(c) *Ibid. X.* 16. (d) *Vid. Tacit. Ann. I.* 83.
(e) *Cic. de legib. III.* 3. *Gell. XIV.* 7.
(f) *Ascon. ad Verr. III.* 46.
(*) (*Cic. Fam. I.* 2. *Senec. Ep.* 21. *sub f. Plura dabit Brisson. de formulis, l. II. p.* 182. 3. *Adde omnino Ascon. in Milon. c.* 6.)

(*g*) etiam singulorum (**) jus erat, cum de aliqua re consules retulissent, & ad se ordo dicendi pervenisset, de alia quadam re, quam e republica esse ducebant, sententiam suam addere, & petere, ut consules de ea re ad senatum referrent, quod *censere* dicebatur (*h*): & hoc aliquando faciebant, ut *diem dicendo eximerent*; (sic enim proprie loquebantur, (*i*) vel *diem consumere*. *Cic. Att. IV.* 2. & *in Verr. II.* 39. & *tollere diem*, *id. de legib. III.* 18.) nam post horam decimam nova relatio in senatu non poterat fieri (*k*): nec post solis occasum senatus consultum fieri poterat (*l*). Sententiam stantes dicebant, unde *excitari* dicitur *Postumius* apud *Liv. IX.* 8. cum jubetur sententiam dicere. Vid. etiam *Cic. ad Att. I.* 13. (*) Quod si aliquis intercessisset, non *senatusconsultum*, sed *senatus-auctoritas* perscribebatur; quod etiam fiebat, si senatus alieno loco, aut tempore, aut non legitimo edicto, aut numero convenisset (*m*). Hoc casu de ea re ad populum referebatur; cujus rei insigne exemplum est in *epistolis Cælii ad Ciceronem*, quæ exstant inter eas, quas vulgo *ad familiares* dicunt, *libro octavo*. Consul autem sententiam, quam vellet, primam pronunciare poterat, ut in eam discessio fieret; quæ ipsius maxima vis in senatu erat (*n*), ejusque formula talis fere erat: *qui hoc censetis illuc transite; qui alia omnia, in hanc partem*: rationem hanc subjicit *Festus* (*o*): *his verbis præit, omnis videlicet causa, ne dicat, qui non censetis*; quæ ex ridicula veterum superstitione desumpta sunt. Primus autem discedebat, qui retulisset. (*p*) Senatus-consulto facto, ii, in quorum sententiam factum erat, nomina sua subscribebant (*q*); de qua re

(g) *Ascon. ad Cic. pro Mil. 6. Vid. exempl. apud Liv. VIII.* 14. *& omn. Sen. de vita beata*, 2. *& ep. 11.*

(**) (*Non adeo singulis hoc licebat, sed præcipuis tantum; nam juniores non rogabantur, vid. Zamosc. de sen. Rom c.* 10. *quamquam neque Gron. mox citandus hoc distinxit.*) *F. R.*

(h) *Vid. Cic. pro Sext. c.* 32. *Græv. ad Svet. Jul. cap.* 20. (*Gron. Obs. l.* 22. *& Svet. Aug. c.* 35. *F. R.*) *c. II.* 4. 10.

(i) *Quinctil. dial. de orat.* 19. (k) *Senec. de tranquil. animi. cap. ult.* (l) *Cic. Phil. III.* 10.

(*) (*Confer notulam Annæ Fabri ad Hom. II A.* 18.)

(m) *Dio l. LV. non procul ab init qui locus est clariss.*

(n) *Cic. Fam. l.* 2. *ubi vid. Manut. & Gron.*

(o *Vid. voc. qui hoc censetis, &c.*

(p) *Manut. ad Cic. l. d.*

(q) *Vid. Cic. Fam. XV.* 6. *Liv. XXXIX.* 4.

re festive loquitur *Cicero*, *Fam. IX.* 15. & tum in ærarium condebatur, (r) ubi etiam leges & alia scripta ad rempublicam pertinentia adservabantur: olim vero in ædem Cereris ædilibus custodienda dabantur (s). Locus autem, ubi *tabulæ* publicæ custodiuntur, *tabularium* dicitur (t). His peractis senatus dimittebatur ab eo, qui senatum habuerat, solemni formula: *Non amplius vos moramur, patres conscripti* (u). Res, de quibus ad senatum referebatur, erant omnes, quæ reipublicæ administrationem spectabant, præter creationem magistratuum, lationem legum, & belli vel pacis arbitrium (x), quarum rerum potestas penes populum erat. Erat itaque senatus consilium sempiternum reipublicæ (*) propositum: deligebantur autem in id consilium ab universo populo, aditusque in illum summum ordinem omnium civium industriæ ac virtuti patebat. Senatus reipublicæ custos, præses, propugnator collocatus erat; & hujus ordinis auctoritate uti magistratus, & quasi ministros gravissimi consilii esse, voluerunt majores (y). Judices etiam ex senatu legebantur usque ad legem *Semproniam* a C. *Sempronio* Graccho a. u. 631. latam, qua judicia a senatu ad equestrem ordinem transtulit; quæ tamen postea cum senatu rursus sunt communicata. Denique ærarii quoque cura suprema penes senatum fuit (z). Ex quibus omnibus rebus patet, dignitatem senatoriam in republica Romana fuisse maximam; unde etiam hic ordo *amplissimus* ordinario cognomine dicebatur (a). *Sanctissimum ordinem* eum vocat *Cic. pro Rege Dejotaro c.* 3. *summum populi Rom. populorumque & gentium omnium ac regum consilium*, idem *pro domo sua c.* 28. (maximum ordinem *Martial. IV.* 2.) *patrum sanctum concilium*, *Horatius Od. IV.* 5. *& curiam Cicero pro Milone*, *c.* 33. *templum sanctitatis*, *amplitudinis*, *mentis*, *consilii publici*, *caput urbis*, *aram sociorum*, *portum omnium gentium*, &c. Sub Imperatoribus sane, comitiis ad sena-

(r) *Tac. Ann.* III. 51. (s) *Liv.* III. 55.
(t) *Cic. pro Rabir.* 3. *Liv.* XXXXIII. 16.
(u) *Capitol. in Anton. Phil.* 10.
(x) *Dion. Halic.* IV. 20. *&* VI. 66.
(*) (*An voluit*, præpositum? *& mox*: ex universo populo?)
(y) *Vid. Cic. pro Sext.* 65. *& de singulorum ordinum officiis potestate vid. omn. Polyb.* VI. 13. *seqq.*
(z) *Polyb.* VI. 11. (a) *Leg.* 30. *pr. ff. ad SC. Vellej.*

senatum translatis, hic in jura populi successit. Vid. Cl. *Gravinam l. sing. de Rom. Imp.* §. 16. *seq.* & ita etiam legislatoria potestas ad senatum transiit, *ibid.* §. 20. Et hæc de primo ordine dicta sufficiant; transeamus jam ad *secundum ordinem*, sive *equestrem*.

CAPUT III.

De Ordine Equestri.

§. I. *De origine Ordinis Equestris.*

Romulus, cum populum Romanum in tres tribus divisisset, ex quaque tribu centum juvenes genere, opibus, reliquisque dotibus præstantissimos legit, qui *equo* mererent, quorumque opera ad custodiam corporis sui uteretur. Hi *celeres* primo sunt dicti, sive a primo eorum præfecto *Fabio Celere*; sive potius a Græco Κέλης, (*Æolice*, Κέλης) quod *celerem* notat, ut recte censet *Jul. Cæs. Scaliger*, *Poetices* I. 22. Distributi autem fuerunt a Romulo in tres centurias, quæ *Ramnensium*, *Tatiensium*, & *Lucerum*, iisdem nominibus, ac priscæ illæ tribus, dicebantur. Tarquinius Priscus numerum eorum auxit, ita ut essent mille & octingenti, (*) eodem tamen centuriarum numero retento: Servius vero Tullius octodecim equitum centurias conscripsit: & hæc origo equestris ordinis fuit. Et hic summæ utilitatis in rep. fuit; inter senatum & plebem, ut vinculum aliquod medium intercedens (*a*). Postea autem *equites* sunt dicti non omnes proprie, qui *equo* merebant; sed ii tantum, qui a censoribus in ordinem equestrem lecti, & *equo publico* erant donati; (omnes enim patricii non erant equites, ut qui, exempli gratia, censum equestrem non habebant, (*b*)) quidam vero etiam equo privato militabant.

§. II. *Quid requisitum fuerit, ut quis Eques esse posset.*

In equitibus legendis spectabatur *ætas*, *genus*, & *census*. Primo, *ætas* requirebatur octodecim circiter

(*) *Liv. I. 36.* (a) *Vid. Gravin. de or, jur. civ. II. p. m. 304.* (b) *Liv. III. 27.*


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

citer annorum. (c) Secundo, *genus* quidem erat promiscuum, patricium & plebejum; sed tamen ingenui esse debebant, nisi quod sub imperatoribus aliquando libertini hac dignitate donati sunt. (d) Tertio, spectabatur *census*, qui florente republica fuit 400. *HS.* hoc est, *florenorum Hollandicorum* 25000. (e)

§. III. *De insignibus equitum*.

Insignia equitum fuerunt primo *equus publicus*, quo censor eos donabat (f), vel etiam dux exercitus militiæ tempore. Secundo, *annulus aureus*: (g) plebs enim *ferreis annulis* fere utebatur; (h) unde dictio est orta: *annulo aureo donari* (i), qua significatur *inter equites legi*. Tertio, *angustus clavus*, (k) sive *tunica angusticlavia*, στενόσημος χιτών; cum senatores, ut vidimus, *latum clavum* gestarent: & sine his insignibus in publico conspici tam equiti, quam senatori turpissimum erat. (l) Quarto, *locus separatus in spectaculis publicis*: *Roscius* (m) enim *Ottho* tribunus plebis a. u. 686. legem tulerat, (n) ut equites in *quatuordecim gradibus* proximæ orchestræ junctis sederent; unde dicimus, *sedere in quatuordecim*, (o) pro equitem esse: pro quo etiam dicebant: *sedere in equestribus*. (p)

§. IV. *De muneribus equitum*.

Munus equitum erat primo, ut bella obirent; nam in iis vel præcipuum robur exercitus Romani consistebat: (q) secundo, ut judicia exercerent (r) utique post legem Semproniam, qua, (ut capite præcedente diximus), judicia a senatu ad equestrem ordinem sunt translata; sed quæ, ut ibidem

(c) *Dio l. LII. p. 476. ed. Lat.* (d) *Svet. Galba, c. 14.*
(e) *Mart. V. 26. (& 39. It. IV. 67.) Juven. XIV. 323. Horat. Ep. I. 1. 57.* (f) *Liv. V. 7. Græv. Præf. ad tom. I. Ant. Rom.* (g) *Horat. Serm. II 7. 53. Juven. XI. 43.*
(h) *Plin Histor. nat. XXXIII. 1. (Quod tamen sero cœpit: quum vel triumphantes annulis ferreis antea usi fuerint. Jocum Martialis vide Epigr. III. 29. Addo Juven. III. 154. 9. ex 1. ed.)*
(i) *Svet Jul. c. 39.* (k) *Ovid. Trist. IV. 10. 35.*
(l) *Hor. l. d. Gell. XIII. 21.* (m) *Liv. Epit. 99.*
(n) *Hor. Ep. I. 1. 62. (Quam legem Domitianus revocavit, Martial. V. 8. & 14. & 36.)* (o) *Svet. l. prox. dict. (Martial. V. 28.* (p) *Vide Petron. c. 126.* (q) *Liv. XXXXII. 161.*
(r) *Senec. de benef. III. 7.*

dem vidimus, rursum cum senatu commmunicata sunt. Equites etiam Romæ vectigalia conducebant (*); idque in societates quasdam divisi. *Cic. Fam. XIII. 9.* Quique tali societati præerat, *magister societatis* dicebatur, *ib.* Et adeo honorati hi erant, ut *scriptuarios*, sive publicanos *amplissimos homines* vocet *Cicero, ib. ep. 65. honestissimos & ornatissimos, orat. pro leg. Manil. c. 7. & pro Plancio c. 9.* dicit, *florem equitum R. ornamentum civitatis, firmamentum reip. publicanorum ordine contineri.*

§. V. *De transvectione equitum.*

Dignitas equitum senatoriæ proxima fuit, quia ex iis senatores legebantur; (s) *unde* hic ordo *senatus seminarium* est dictus; (*minor ordo Martiali* vocatur IV. 2.) (t), quam dignitatem etiam census & reliqua, quæ jam diximus, adstruunt: & hic quoque *splendor* equitibus proprie tribuitur. (u) Nec parvum huic ordini splendorem afferebat *annua transvectio*: (x) quæ fiebat hoc modo. Quotannis idibus *quinctilibus*, hoc est, decimo tertio (*legend. decimo quinto*) die *mensis Julii* omnes equites corona oleaginea cincti, togas palmatas (y) sive *trabeas* induti, equis suis insidentes, & ornamenta militaria, quæ ab imperatoribus virtutis causa acceperant, manu gestantes ab æde *Honoris* extra urbem ad Capitolium transvehebantur. Et hoc quidem quotannis fiebat: (eoque tempore etiam in jus eos vocare non licebat) (z) sed quinto quoque anno, dum ita transveherentur, ad censorem in sella curuli ante Capitolium sedentem accedebant, & ex equis descendentes manu eos ante censorem traducebant. Quod si tum eques aliquis esset corruptis moribus, (a) vel censum suum equestrem minuisset, vel denique equum negligentius habuisset, (b) censor, ut *equum venderet*, jubebat, (isque proprie *impolitiæ*, hoc est, *incuriæ* nota-

---

(*) (*Vid celeb Burmanni Differt. de vectigal. pop. Rom.*))
(s) *Vid. Ovid. Trist. IV. 10. 35.*
(t) *Liv. XXXXII. 61. Lamprid. Alex. Sev. c. 19.*
(u) *Cic. Fam. I. 3. & ibi Manut. quem vide & ad att. in Ver. II. 71.* (x) *Vid. Dion. Hal. VI. 13.* (*Addo Valer. Max. II. 2. ext. 9. e prima edit.*)
(y) *Vide Octav. Ferr. de re vest. II. 5. & 8.* (*Plin. XV. 4.*)
(z) *L. 2. D. de in jus voc.* (a) *Vid. Suet. Caj. c. 16.*
(b) *Gell. IV. 20.*

notari dicebatur (*c*); atque eo ipso talis eques ordine equestri motus censebatur; sin placuisset eques, *equum traducere* jubebatur (*d*). Recitabat etiam censor hac occasione equitum catalogum; &, quem primum recensuisset, is *princeps juventutis* dicebatur (*e*): non quidem quod revera omnes juvenes essent, (multi enim in hoc ordine consenuerunt & quidem viri illustrissimi, ut e. g. *Mæcenas* ille Augusti Imperatoris amicus, & Pomp. Atticus) sed quod prima institutione ita fere fuissent: & præterea ætas juvenilis olim apud Romanos ad annum ætatis quadragesimum quintum extendebatur (*f*): nec ex nostris hodie moribus de hac appellatione, & similibus, judicari debet, cum *adolescentulus* etiam dicatur Julius Cæsar, cum pontificatum maximum peteret, (*g*) cum tamen esset annorum triginta sex, ut ex *Svetonio* patet, qui eum quæsturam anno demum trigesimo tertio ætatis gessisse scribit; (*h*) & postea etiam ædilitatem, antequam pontifex fieret, gessit (*i*). Et seipsum *adolescentem* vocat *Cicero*, cum jam esset consul (*k*). Sub principibus hæredes imperii *principes juventutis* sunt dicti (*l*).

CAPUT IV.

De Ordine Populari.

§. I. *De differentia vocum populus & plebs.*

P*Opuli* appellatio diverse sumitur: *Primo* enim notat *universam aliquam gentem*, ut cum dicimus, e. g. *clementiam populi Romani*, *fortitudinem populi Carthaginiensis*. *Secundo*, aliquando opponitur *senatui*, ut in celebri illa formula, quæ his literis denotatur S.P.Q.R. significantibus, *senatum*, *populumque Romanum*. *Tertia* significatio est, cum omnes, qui neque senatores, neque equites sunt, *de populo* esse dicuntur; atque ita in hujus capitis inscriptione sumitur. Hac autem notione *Cicero* (*a*) & *Livius* aliquando voce *plebis* utuntur; (*b*) licet hæc

(a) *Id.* IV. 37 (d) *Ovid. Trist.* II, 89. (e) *Vid. Tac. Annal* I. 3. (f) *Dion. Hal.* IV 16. (g) *Sall. Catil* 49. (*Et Liv.* IX. 17. *Alexandrum M. adolescentem ait decessisse. Plura in Synonymis nostris dabimus.*) (h) *c.* 7. (i) *Vid. Manut. ad Sallust. d. l.* (k) *Phil.* II. *f.* (l) *Vid. numm. ap. Spanh. Diss.* XII. *p.* 353. (*Suet. Calig.* 35. *Tac. Ann.* I. *F. R.*)

(a) *Pro Balbo c.* 15. (b) *Etiam Ovid. Fast.* II. 127.

hæc vox proprie *genus* potius, quam *ordinem* significet; ut, cum dicimus, *consules esse creatos de plebe*, hoc est, *ex iis, qui patricii non erant*. Itaque, postquam senatores de plebe legi cœperunt (quod a decemviris primum factum est, ut diximus (c)) triplex ordo & patriciorum & plebejorum exstitit, ita, ut diceretur aliquis *civis Romanus patricius senator*, *patricius eques*, *patricius de populo*; & rursus, *civis Romanus senator plebejus*, *eques plebejus*, & *plebejus privatus*.

§. II. *Differentia inter patricios & plebejos*.

Hic porro notandum, *patricios*, Εὐπατρίδας Græce, apud Romanos fere similes fuisse iis, quos nos hodie *nobiles* vulgo dicimus; scilicet, fuisse eos, qui ex antiquissimis familiis erant orti, licet ipsi honores nullos gessissent: (*) *nobiles* vero eorum convenisse cum iis, quos nos hodie vulgo *patricios* vocamus; ii nempe erant, qui vel ipsi, vel quorum majores magistratus curules gesserant, & inde *jus imaginum* habebant, hoc est, qui majorum suorum imagines in atriis ædium servare, (d) &, ut illæ in pompa funebri præferrentur, curare poterant; licet ex antiquissimis illis familiis orti non essent. Dico autem hoc jus non fuisse, nisi eorum, qui magistratus curules gesserant; nam tribunatus, quæstura, & alii inferiores magistratus hoc jus non dabant. Hæ imagines, ut ὡς ἐν παρόδῳ illud addamus, nihil aliud fuerunt, (e) quam expressæ humerorum tenus corporis e cera effigies (f); quas in atriis ædium collocare solebant ligneis thecis, sive armariis inclusas, easque non nisi diebus festis aperuisse videntur. Iis subscripti erant *tituli*, sive *indices honorum*, & rerum in iis honoribus gestarum (g): & hinc *imagines* aliquando pro *ipsa nobilitate* ponuntur (h). Aliquando autem in eadem gente erant & patriciæ, & plebejæ familiæ (i); ut, e. g., in gente *Claudia*, in qua fuerunt

(c) *Vid. Sigon. de antiquo jur. civ. Rom. II.* 2.
(*) (*Vid. etiam Hist. Acad. liter. Paris. tom.* 1. *p.* 164.)
(d) *Vid. Juven. Sat. VIII. init.* (e) *Plin. XXXV.* 2.
(f) *Juven. l. d.* (g) *Vid. vet. Scholiast. ad Juven. X.* 57. & *hinc* vir honoratissimæ imaginis futurus ad posteros *dicitur* *ap. Liv.* III. 58. (h) *Tacit. Hist.* II. 76.
(i) *Vid. infra sect.* VI. *c.* 3. §. 1.

Claudii Regillenses, *Pulchri*, *Nerones*, omnes patricii: *Claudiorum* vero *Marcellorum* familia plebeja erat, (*k*) licet patriciis ejusdem gentis familiis longe nobilior. Hoc autem accidebat (*l*) duabus potissimum de caussis: primo, si patricius aliquis ad plebem se contulisset, quod sæpe faciebant patricii; vel, ut tribuni plebis fieri possent, eaque ratione inimicos suos vexare; (cujus rei exemplum illustre habemus in nobili illo, non virtutibus, sed flagitiis, *Clodio*, Ciceronis inimico (*m*)) vel, ut facilius honores favore plebis consequerentur. Secunda hujus rei causa erat *civitatis beneficium*; qui enim civitate donabantur plebeji fiebant, non vero patricii; & tamen ejus, cujus beneficio in civitatem venerant, nomen assumebant: quemadmodum videmus in *Cornelio Balbo*, qui *L. Cornelii Lentuli* beneficio (*n*) civitatem adeptus erat. Quod si patricius a plebejo, aut plebejus a patricio adoptaretur, ille quidem in ordinem adoptantis transibat; verum hoc personam ejus non excedebat (*o*).

Initio reipublicæ ingens differentia inter patricios & plebejos fuit; ita, ut illi soli sacra facere, & sacerdotia ac magistratus gerere possent; neque plebs jus connubiorum cum ipsis haberet (*p*): sed hæc fere omnia sensim cum plebe sunt communicata, ut suis locis docebimus.

§. III. *De patronis & clientibus*.

Ut autem nexus aliquis inter patricios & plebejos esset, Romulus instituit, ut quisque homo plebejus (*q*) quem vellet ex patriciis *patronum* sibi deligeret; cujus ipse, quod eum *coleret*, *cliens* diceretur. *Patroni* (τοῦ προστάτου) (*r*) *munus* erat clienti de jure respondere, lites pro eo suscipere: uno verbo, ejus caussa facere quidquid parentes liberorum causa vulgo facere solent. *Cliens* vero patronum omni modo, qua viribus, qua opibus juvare de-

(k) *Svet. Tiber. c.* 1. (l) *Vid. Strein. de gent. Rom. apud Græv. tom. VII. Ant. p.* 1124. (m) *Svet. Jul. c.* 20.
(n) *Vid. P. Manut. argum. in orationem Cic. pro Balbo.*
(o) *Vid. Strein. de gent. Rom. p.* 1124. (p) *Liv. IV.* 2.
(q) *Dion Halic. II.* 9. (r) *Plut. Romul. p. m.* 25. (*Eidem cliens dicitur* πελάτης, *& sic in Gloss. Lab.*)

re debebat. Patroni etiam clientum, si intestati decessissent, legitimi hæredes erant; & ideo quoque legitimi liberorum eorum tutores; (*s*) quia plerumque ubi successionis est emolumentum, ibi & tutelæ onus esse debet. Jus hoc erat hæreditarium, & sanctum adeo, ut clientes hospitibus & cognatis præferrentur. (*t*) Hujus juris similitudine crescente republica universi populi in clientela illustrium familiarum fuerunt, ut *Siculi* in clientela Marcellorum (*u*), *Allobroges* in clientela *Fabiorum*, (*x*) *Cyprus* & *Cappadocia* in clientela *Catonis*, (*y*) *Bononienses* in clientela *Antoniorum* (z). Vid. *Dial. de Caussis corr. eloq. c. 36.* Erant autem fere in clientela familiæ ejus Imperatoris, qui eos primum subegerat, quemadmodum in majore parte allatorum exemplorum videmus.

Atque ita vidimus tres illos ordines, ex quibus populus Romanus constitit, (*a*) si vocem *populus* sumamus ea notione, quam primam initio hujus capitis posuimus. Hac mente capite secundo diximus, penes populum fuisse potestatem creandi magistratus, ferendi leges, & pacis bellique arbitrium; quod jam inde ab initio reipublicæ obtinuit, ita ut regi nihil fere præter curam sacrorum (*b*) relictum esset, & præter administrationem rerum bellicarum, quæ plerumque celeritatem desiderant, & ab uno facilius peragi possunt: unde constat *majestatem penes populum fuisse*, quod etiam ex *provocatione*, quæ ad populum semper fieri poterat, etiam (ab) rege (*c*), & (*d*) ex *submissione fascium*, quæ populo fiebat, patet (*e*).



(s) §. un. *Inst. de legit. patron. tutel.*
(t) *Gell. V. 13. & XX. 1.* (u) *Vid. Eminentiss. Noris ad Cenotaph. Pisan. diss. II. 7.*) & *Cic. divin. in Verr. c. 1. ibique Ascon.*] (x) *Sall. Catil. 51.*
(y) *Cic. ad famil. XV. 4.* (z) *Suet. Aug. c. 17.*
(a) *Vid. Ovid. Fast. IV. 203. Martial. VIII. 15.*
(b) *Vid. Serv. ad Virg. Æn. III. 80.*
(c) *Liv. I. 26.* (d) *Liv. ib. & III. 55.*
(e) *Vid. infra sect. II. cap. 3. §. 2. Liv. II. 7.*

CAPUT V.

De Comitiis in genere.

§. I. *De Comitiis in genere.*

Comitia dicta sunt a *coeundo*, sive *comeundo*, ut veteres loquebantur; (*a*) unde etiam *comitium* dictus est locus in foro, ubi ad comitia curiata, & quandoque ad lites decidendas conveniebatur (*b*); sunt enim *comitia* nihil aliud, nisi *conventus universi populi ad ferendum de aliqua re suffragium*. Dico, *universi populi*; nam, si pars tantum conveniebat, *concilium* (*c*) potius dicebatur; licet hæ voces non nimis accurate loquentibus sæpius confundantur. (*d*) Dico præterea, *ad ferendum de aliqua re suffragium*; nam, si alia de causa populus conveniebat, non erant comitia.

Habebantur comitia a *magistratu*, vel in quibusdam caussis a *Pontifice maximo*; (licet de Pontifice maximo dubitetur, Vid. cl. *Græv. Præf. ad tom. V. Antiq. Rom.*) hoc est, *magistratus*, vel *pontifex maximus comitiis præerat, eaque dirigebat*; & quidem ab uno ex magistratibus, cui id vel sorte, vel comparatione, vel consensu obtigerat. Comitiis agebantur omnia, quæ summam rem publicam spectabant, & quorum potestatem penes populum fuisse diximus: iis scilicet magistratus omnes, & quidam sacerdotes creabantur: nam quidam cooptabantur a collegio, ut augures; leges ferebantur, (inter quas vel præcipue erant leges de bello indicendo, & de pace facienda), & judicia publica extraordinaria exercebantur. Magistratuum comitia semper in campo Martio habebantur; ad leges vero ferendas, vel ad judicia exercenda aliquando in foro, aliquando in Capitolio. Non poterant autem haberi comitia nisi *diebus comitialibus*, hoc est, *quibus cum populo agere licebat*.

§. II. *Comitiorum distinctio.*

Tria porro fuerunt *comitiorum genera*: primo nempe *curiata*, instituta a Romulo: secundo, *centuriata* ex

(a) *Fest. voc. Comitiales.* (b) *Varro de lingu. Lat. IV. 32. Vid. Plaut. Curc. IV. 1. 9.* (c) *Gell. XV. 27.*

(d) *Vid. P. Merul. de comit. pag. 4. edit. 1675. Grucch. Pref. ad libr. de comit. Rom.*

ta ex præscripto, sive commentariis (*e*) Servii Tullii habita; tertio, *tributa*, a tribunis plebis a. u. 263. primum introducta. Nam *kalata* quæ dicuntur *comitia*, non faciunt aliud comitiorum genus, sed ita dicuntur aliquando curiata & centuriata *comitia* ἀπὸ τῦ καλεῖν, sive ab antiquo verbo *kalo*, hoc est, *voco*; & quidem proprie ea comitia, in quibus testamenta (*f*) condebantur, vel sacerdotes creabantur.

CAPUT VI.

De Comitiis Curiatis.

§. I. *De modo habendi Comitia Curiata.*

Curiata comitia erant, quando populus curiatim, hoc est, *in curias* (κατὰ φρατρίας, unde legem curiatam νόμον φρατρικὸν dicit *Dio Lib. XLI. pag.* 112. *e. lit. regiæ* 1548.) *divisus suffragia ferebat; ita ut, quod plures curiæ jussissent, id jussum populi diceretur*: ergo statim ac sexdecim curiæ in unum consensissent, finis erat comitiorum; cum universus populus in triginta curias, ut vidimus, esset divisus. Habebantur autem hoc modo: convocatis per præconem curiis, is qui comitia habebat, rogationem suam populo exponebat; tum populus in suas quisque curias discedebat, quæ deinde eo ordine, quo sorte exiverant, suffragium dicebant: quæ autem curia prima exibat, *principium* dicebatur (*a*). Haberi hæc comitia debebant *auspicato* (*b*); atque adeo augures adesse oportebat. Requirebatur etiam in iis *auctoritas patrum* (*c*), sive *senatus*, hoc est, *ut id, quod pluribus curiis placuisset, ad senatum referretur*: sed postea crescente plebis auctoritate, patres *in incertum comitiorum eventum auctores fiebant*, hoc est, *promittebant, se id, quod populus jussisset, ratum habituros* (*d*). *Locus* his comitiis erat, ut præcedente capite jam diximus, *comitium*.

§. II. *Causæ Comitiorum Curiatorum.*

Causæ comitiorum curiatorum primis quidem temporibus, cum nulla alia comitia essent, fuerunt

 omnes

(e) *Liv I.* 60. (f) §. 1. *Instit. de testam ordin. & ib. omn. Theophil.* (*Vid. Gell. XV* 27.) (a) *Liv.* IX. 38. *Vide legem antiquam apud Frontin. de aquæd. lib.* II. *n.* 1667. *tom.* IV. *Græv.* (b) *Vide Gell.* XIII. 14. *Cic. pro domo c.* 15. *de har. resp. c.* 23. (c) *Dion. Halic.* II. 14. *Cic. pro Planc.* 3. *omn.* (d) *Liv.* I. 17.

omnes res, quas populi arbitrio permissas fuisse diximus. Verum postea, institutis primum comitiis centuriatis, & deinde etiam tributis, hæc comitia minus celebrari cœperunt; maxime cum lex *Publilia* de minoribus magistratibus tributis comitiis creandis perlata esset (*). Ergo post hæc duæ tantum generales causæ horum comitiorum habendorum fuerunt: scilicet prima causa fuit, ut leges quædam ferrentur; secunda, ut sacerdotes quidam crearentur. Prima & præcipua lex his comitiis lata fuit de *imperio magistratibus dando*, hoc est, *de administratione rei bellicæ*, (e) sine qua lege nemini rem militarem attingere licebat (f): magistratus autem, quibus imperium dabatur, erant dictatores, consules, proconsules, prætores, proprætores; & denique quæstores, qui jure prætorio in provincias mittebantur. Verum postea ad usurpationem quamdam vetustatis, & auspiciorum causa triginta tantum lictores, qui curias convocare solebant, in suffragia iverunt, si lex de imperio ferenda esset. Secundo, lex de *Camillo* ab exilio revocando his comitiis fuit lata. (g) Tertio, lege curiata etiam fiebant *arrogationes*, cum civis R. injussu populi statum suum mutare non posset (h); (quæ sunt *hominis sui juris in filium assumtiones* (i)) eaque lex arbitris pontificibus ferebatur; scilicet ita, ut illi, an justa causa arrogationis esset, cognoscerent. Quarto, antiquissimis temporibus quidem *testamenta* sua his comitiis condebant; & tum proprie *kalata* comitia dicebantur. (k) Quinto, in iis fiebant *sacrorum detestationes*, (l) hoc est, *hæredi, aut legatario cuidam denunciabatur, sacra, quæ hæreditatem sequebantur, esse suscipienda. Cic. de legib. II. 9.* unde apud *Plautum* (m) *sine sacris hæreditas* vocatur, *quæ sine ulla incommoda appendice alicui obvenit*. Talia sacra fuerunt e. g. in gente *Nautia*, *Serv. ad Æn. II. 166. III. 407. V. 704.* in gente *Horatia*, *Liv. I. 26.* in gente *Fabia*, *id. V. 46.*

Se-

(*) (*Vid. cap. 8. §. 1. pag 44*) (e) *Vid Liv V. 52. Cic. de leg. agr. or. II. 12. & Philipp. V. 16.* (f) *Vid. Grucch. & Sigon. disputationes de hac materia in tom I. Thes. Grev.*
(g) *Liv. V. 45.* (h) *Vid. celeberr Noodt. ad tit. D. de adopt.* (i) *L. 1. §. 1. ff. de adopt. Tac. Hist. 1. 15.*
(k) *§. 1. Inst. de testam. & ibi Teophil.*
(l) *Vid. Grev. Præf. ad tom. I. Thes. Antiqu. Rom. Scalig. ad Fest. voc. Puri.* (m) *Captiv. IV. 1. 8. Fest. voc. sine sacris.*

Secunda horum comitiorum causa fuit *sacerdotum* quorundam *creatio*, qui erant *flamines*, & *curio maximus* (n). Quod autem diximus subsecutis primam rempublicam temporibus triginta tantum lictores in suffragium ivisse, (o) sciendum est, hoc dumtaxat factum fuisse dicis causa, cum lex militaris esset ferenda. Habebantur hæc comitia non nisi a majoribus magistratibus, quia scilicet auspicato haberi debebant; (minores enim magistratus auspicia non habebant (p)) initio nempe reipublicæ a rege; postea a consule, dictatore, prætore, & interrege; sacerdotum vero creandorum caussa a pontifice (q): licet hoc postremum non satis certum sit.

CAPUT VII.

De Censu, & de Comitiis Centuriatis.

ALterum, & præcipuum quidem, comitiorum genus fuerunt *comitia centuriata*, (ἡ λοχῖτις ἐκκλησία) quæ etiam *majora* dicuntur (a) *quibus populus per classium centurias* (κατὰ λόχυς) *divisus suffragia ferebat; ita ut, quod plures centuriæ jussissent, id ratum haberetur*. Sed ante quam de iis plura dicamus, prius explicandum est, quid fuerit census; absque eo enim, quæ classes (συμμορίας vocat Dion. Hal. VII. 59.*) quæ *centuriæ* fuerint, intelligi nequit.

§. I. De Censu.

Census est enumeratio populi cum æstimatione facultatum. Instituit eum Servius Tullius sextus Romanorum rex sapientissimo plane consilio; qui jussit, ut omnes cives, sive intra sive extra urbem habitarent, bona sua jurati *censerent*, (b) hoc est, *æstimarent*; & illum censum, ac simul numerum & nomina uxorum, liberorum, & suam libero-

B 4 rum-

(n) *Vid. Grucch. de comit. Rom. III. 2.*
(o) *Cic. Agr. II. 12.* (p) *Gell. XIII. 15.*
(q) *Vid. Grucch. d. lib. III.* (a) *Cic. post. redit. in senat. 11.* (*) (*It. IV. 18. & 16. etiam* συντάξεις.
(b) *Dion. Hal. IV. 15.*

rumque ætatem (*c*)) servorum, & libertorum, item domicilii locum indicarent (*d*); qui secus fecissent, eorum bona publicarentur, ipsi virgis cæsi venumdarentur (*e*), quasi qui sibi ipsis libertatem abjudicassent. (*f*) Præterea prudentissime instituit, ut cum *Paganalia* celebrarentur in singula capita certum numismatis genus conferretur; sed aliud a viris, aliud a mulieribus, aliud denique ab impuberibus (*g*). Et hac ratione certo, breviter, & quasi uno intuitu omnium civium numerum & opes, atque adeo totius civitatis vires poterat cognoscere. Inde omnes cives pro ratione census in sex *classes* distribuit, (*h*) quæ rursus in *centurias* erant divisæ modo, quem tabula juncta indicat. (*) Et in acie etiam singulis classibus locum digniorem pro ratione census adsignavit, ita, ut quintæ classis cives non nisi inter velites militarent (*i*). In infima *classe*, (licet hæc proprie *classis* non haberetur, unde quinque dumtaxat classes nominat *Livius* III. *cap.* 30.) videmus nominari *proletarios*, & *capite censos*. (*k*) *Proletarii* ita dicebantur, quod quasi *proli* tantum *procreandæ* vacarent; unde *proletarium sermonem* pro *vili* eleganter dicit *Plautus Milit. glor. A.* III. *S.* 1. *vers.* 157. *Capite censi* vero erant, in quibus non pecuniæ, sed capitis tantum ratio habebatur; & qui nihil aliud quam civium numerum augebant. Qui in prima classe censebantur, soli proprie *classici* dicebantur, reliqui omnes *infra classem* (*l*); (illos Græce τὸς ἐν τιμήματι dicas; nam τιμήματα *classes* vocat *Plut. Solon. p. m.* 87. *f.* nisi potius λαβεῖν τὰ τιμήματα τῶν πολιτῶν apud eum significat, *censum agere*) unde

(c) *Id. V.* 75. (d) *Vid. L.* 4. *ff. de censibus.*
(e) *Cic. Or. pro Cæcin.* 34. (f) *Ib. l. l. cit.*
(g) *Dion. Hal.* IV. 15. (*Conf. Levitic.* XXVII.)
(h) *Liv. I.* 43. (*) (*Notulæ in hanc tabulam. In 1. serie n.* 1. *lege* Civium. *In 3. serie n.* 1. *lege* secundum Livium. *Ib. n.* 2. *adde*: huic classi Dionysius Hal. illa fabrum centuriam adjicit. *Ib. n.* 4. de accensis nihil Dionys. sed σαλπιστῶν, τυμπανιστῶν, & βυκανιστῶν meminit. *Ib. n.* 5. *lege* seniorum XV. juniorum XV. Livius in his accensos, cornicines, tibicinesque in tres scribit centurias distributos. *Postremo in* 4. *serie adde*: arma singularum classium recensent Livius I. 43. & Dionysius Hal. IV. 16. 17. Hic ib. c. 18. CLXXXXIII. centurias omnino fuisse ait.) (i) *Dion. Hal. IV.* 16. *seq.*
(k) *Gell. XVI.* 10. (l) *Id. VII.* 13.

TABULA CLASSIUM & CENTURIARUM PRO RATIONE CENSUS.

PRIMA CLASSIS civium ditiſſimorum.	CENSUS C. ∞. ſive 100000. æris, hoc eſt noſtra moneta 1000. imperiales, vel, ut alii, Philippei.	CENTURIÆ LXXX. Seniorum xxxx. juniorum xxxx. quibus additæ 18. equitum centuriæ, & duæ fabrorum ſecundum LIVIUM.	Seniores ad urbis cuſtodiam præſto eſſe, juniores foris bella gerere debebant. Vide notulam.
SECUNDA CLASSIS ditiorum.	CENSUS LXXV. ∞. ſive 75000. æris, hoc eſt, 750. imperiales.	CENTURIÆ XX. Seniorum X. juniorum X. Huic claſſi DIONYS. HAL. illas fabrum centurias adjecit.	
TERTIA CLASSIS divitum.	CENSUS L. ∞. ſive 50000. æris, hoc eſt, 500. imperiales.	CENTURIÆ XX. Seniorum X. juniorum X.	
QUARTA CLASSIS mediocrium.	CENSUS XXV. ∞. ſive 25000. æris, hoc eſt, imperiales 250.	CENTURIÆ XX. Seniorum X. juniorum X. quibus additæ 2. tibicinum & accenſorum, juxta DION. HAL. Vid. not.	
QUINTA CLASSIS modicorum.	CENSUS XI. ∞. ſive 11000. æris, hoc eſt, imperiales 110.	CENTURIÆ XXX. Senior. XV. juniorum XV. Livius 3. tibicinum & accenſorum centurias huic claſſi adſcribit. Vide not.	
*SEXTA CLASSIS tenuiſſimorum.	CENSUS Minor XI. ∞. æris, hoc eſt, minor 110. imperialibus.	CENTURIA UNA Dumtaxat, in qua etiam proletarii & capite cenſi, qui omnes a militia & tributis immunes.	

de hodieque *classicos auctores* (*m*) pro *antiquis & probatis* vulgo dicimus. Hinc quinque tantum classes memorat *Sallust. Or.* II. *de rep. ord. Liv.* III. *c.* 30. *Ascon. in Cornel.* I. *p.* 968. *edit. Grev.* Arma quæque classis habebat digniora (*n*) pro ratione census; quinta autem classis nihil habebat præter fundas (*o*), & extra ordinem militabat (*p*). Mirum autem nemini videri debet, tot centurias fuisse ditissimorum, mediocrium pauciores, infirmorum tantum unam; sciendum enim est ditiorum centurias parvo admodum civium numero constitisse, cum ultima centuria omnibus aliis simul sumtis forte major fuerit: & hæc in tres quasi classiculas subdivisa fuisse videtur (*q*).

§. II. *Causa hujus instituti.*

Causa hujus instituti non una fuit. *Prima* erat, ut in ferendis suffragiis omnis fere potestas penes ditiores esset: cum enim in comitiis centuriatis singularum centuriarum singula valerent suffragia, & ditissimorum (equitum & fabrorum centuriis illis additis) centuriæ essent centum, reliquorum autem tantum nonaginta & tres, manifestum est adversus illorum consensum reliquas classes nihil potuisse (*r*). Et hinc C. Gracchus legem promulgavit, ut ex confusis quinque classibus forte centuriæ vocarentur (*s*). *Altera* causa fuit, ut tributorum onera maxime in ditissimos inclinarentur (*t*), cum non amplius per capita, sed pro ratione census tributum penderetur. *Tertia* denique causa fuit, ut militiæ gerendæ onus in eosdem derivaretur; cum enim pauciores essent ditissimi, & in plures centurias divisi, sine ulla fere intermissione militabant. Unde etiam resp. fidelioribus militibus utebatur; cum ditiorum magis interfit remp. salvam esse. Atque ita licet omnis in republica potestas revera penes ditiores tantum esset (*u*), non tamen hoc inique ferebant pauperes, cum divites simul omnia fere onera sustinerent: & cum præterea pauperiores quoque viritim in suis quisque centuriis sententias rogaren-

(*m*) *Id. XIX.* 8. (*n*) *Liv. I.* 23. (*o*) *Dion. Hal. V.* 67. (*p*) *Dion. Hal. IV.* 17. (*q*) *Vide Lips. de mil. Rom. I* 2. (*r*) *Dion. Hal. VII* 5. (*Liv. I.* 43.) (*s*) *Sall. de rep. ord. or* 11. (*t*) *Dion. Hal. IV.* 19. (*Liv. I.* 47. *f.*) (*u*) *Ibid. c. seq.*

garentur, omnes se pari jure rempublicam administrare arbitrabantur (*x*), quemadmodum ima plebs sæpe talibus artibus deludi amat. Et hæc reipublicæ apud Romanos constitutio, quamdiu ipsa respublica salva, hoc est, libera fuit, est servata.

§. III. *De Censu & Lustro.*

Censu peracto *lustrum condidit* Tullius, hoc est, in campo Martio *suem*, *ovem*, & *taurum* circum exercitum, sive circum populum Romanum ibi congregatum ducendo eum *lustravit* : (unde *lustrare* etiam pro *circumire* ponitur. *Virg. Ecl.X. vers.*55.) eaque animalia mox immolavit; quod sacrificium *suovetaurilia*, vel potius *solitaurilia* est dictum; quia *solidum*, sive *integrum* (*y*) (id enim *sollum Oscorum* lingua (*z*) significat) *taurum* mactabant. *Lustrum* autem vocatum est a *luendo*, hoc est, *solvendo*; quia eo tempore omnia vectigalia a publicanis *luebantur*, sive *persolvebantur* censoribus (*a*): & quia hoc *quinto* quoque anno fiebat, *lustrum* pro *tempore quinquennali* sæpe, Poetis maxime (*b*), ponitur; differt autem lustrum ab *olympiade*, quæ quarto quoque anno finito apud Græcos celebrabatur (*). *Condi* solebat *lustrum* (hæc enim est propria huic rei dictio) olim a rege; eoque pulso a consule; donec a. u. 310. censores, proprius huic rei magistratus, crearentur : & olim quidem condebatur in foro; postea in *villa publica* in campo Martio (*c*). Censa sunt primo lustro civium *octoginta millia* (**). Et hæc de censu: de ipsis porro comitiis centuriatis jam dicemus.

§. IV. *De ipsis Comitiis, & primo de ipsorum caussis.*

Centuriata comitia habebantur tribus de caussis. Primo, *ut magistratus crearentur*: secundo, *ut leges ferrentur*: tertio, *ut judicium perduellionis exerceretur*.

Primo, magistratus his comitiis *creabantur*, omnes magi-

(x) *Dion. Hal. l. d.* 21. (y) *Virg. Æn. VI.* 253.
(z) *Fest. voc. Solitaurilia.* (*Quint. l* 5. *f.* & *qui ad eum laudantur.*) (a) *Varro de ling. Lat. V.* 2.
(b) *Horat. Od. IV.* 1. 6. *Stat. Syl. II.* 6. (*) (*Doctorum dissidium circa olympiadis notionem facillime ex Dionys. Halic. I.* 74. 75. *&c. componitur.*) (c) *Liv. IV.* 24.
(**) *Liv. I.* 44. *At Dion. IV.* 22. *e censoriis tabul. LXXXV. millia, demtis CCC. numerat.*

magistratus majores ordinarii, hoc est, consules, & prætores: tum extraordinarii, quales fuerunt censores, decemviri legum scribendarum, & tribuni militum consulari potestate. (Qui sic creati in annum sequentem *designati* dicebantur. Vid. unius *Ciceronis* titulos *epistolarum*.) Unus præterea *sacerdos* his comitiis creatus est; nempe *rex sacrorum*; qui quidem magistratus non erat, sed ei dignitas tamen a populo non alia ratione, quam si fuisset magistratus, dabatur.

Secundo, *leges* his comitiis *ferebantur* fere omnes, quæ a magistratibus majoribus promulgabantur; nam quasdam curiatis comitiis latas fuisse vidimus: sic, e.g. lex *Valeria de provocatione ad populum*, leges *duodecim tabularum* (d), lex *de Cicerone ab exilio revocando* (e), & similes his comitiis latæ sunt; eæque *plebiscitis*, quæ tributis comitiis constituebantur, opponuntur. Tum lex, qua *bellum* populo alicui, aut regi *indicebatur*, centuriatis comitiis ferenda fuit (f); nam *de pace facienda* ferebatur comitiis tributis. Tertio, *judicium* unum, idque capitale, his comitiis exercitum fuit, nempe *judicium perduellionis* (g): sic enim in lege duodecim tabularum erat; *de capite civis, nisi per maximum comitiatum*, (hoc est, *comitiis centuriatis*) *ne ferunto*. *Perduellis* autem est, (h) *qui hostili in rempublicam animo esse deprehenditur*; (vel brevius, si quis eum *hostilitatis reum* diceret) *perduelles* enim veteres *hostes* vocabant (i). *Angli* hodie illud crimen vocant *High treason*; (*Hoog verraad* nobis) *Galli* vero barbare, *crimen læsæ majestatis in primo capite*. Diversum igitur est hoc crimen a *crimine majestatis*, & eo gravius: nam perduellionis crimine tenetur, (k) qui civem Romanum quasi peregrinum tractaverit; aut contra leges *Porciam* (Vid. *Vaill. de fam. Rom. gent. Porcia num.* 10.) & *Semproniam* servili supplicio affecerit: vel etiam qui regnum affectavit; quod *crimen regni* vocat *Ovid. Fastor. VI. vers.* 189. Cum igitur jus civitatis plane penes populum esset, merito, qui hoc jus aliqua ratione violasset, judicio populi subjiciebatur. Deinde hoc

(d) *Liv III.* 34. & 37. (e) *Ipse Cic. ad Attic. IV.* 1. (f) *Liv.* 6. 30. (g) *Vid. Liv. VI.* 20 (h) *L. ult. D. ad leg Jul. majest.* (i) *L.* 234 *pr. D de verb. signif.* (k) *Vid. Cic. in Verr. l.* 5. *Grucch. de comit. Rom. l.* 2.

hoc crimine reus est, qui, aut regnum affectavit, aut omnino aliquid per proditionem contra reipublicæ commodum molitus est. *Majestatis* vero crimen erat seditionem in exercitu concitasse, magistratui pro imperio agenti restitisse, & similia.

§. V. *De iis, qui his Comitiis interveniebant.*

Hæc comitia *habebantur* a magistratibus majoribus (*l*), hoc est, a consule, prætore, dictatore, vel interrege, & ab hoc tantum, si magistratus creandi essent: censores enim populum quidem centuriatim convocabant; sed hæc tamen proprie comitia non erant, ut ex data comitiorum definitione patet; non enim conveniebat populus ad *ferendum de aliqua re suffragium*. At si rex sacrificulus esset creandus, habebantur a Pontifice.

Interesse iis poterant omnes, qui *pleno jure* cives Romani erant, hoc est, *qui jus suffragii habebant*, sive illi in urbe, sive extra urbem in municipiis, vel coloniis, quibus id juris datum esset, habitarent. Anno urbis 663. a *L. Julio Cæsare* consule lata lex est, qua universæ Italiæ civitas cum suffragio data fuit; licet *Grucchius* (*m*) putet etiam temporis Ciceronis colonias quasdam jus suffragii non habuisse.

§. VI. *De iis, quæ ipsa Comitia præcedebant.*

Ante comitia per *trinundinum*, hoc est, per *tres nundinas* (*vis.* (*n*) τρίτην ἀγορὰν) sive per *dies viginti & octo* (*) edictum proponebatur, (saltem tem-

(*l*) *Vid. Gell. Noct. Att.* VII. 9. (*Nullum ibi de comitiis verbum, sed videatur* XIII. 15.) (*m*) *De com. Rom.* L. 3.

(*n*) *Dion. Hal.* VII. 58.

(*) (*Sed rectius Puteanus de Nund. Rom.* III. *trinundinum nit dierum septem & decem fuisse. Vid. Gronov. ad Gell.* XX. 1. *Sic sane hodie de ternis promulgationibus, quas proclamationes dicimus, & quæ octavo quoque die fiunt, postrema in diem* XV. *incidit, non in* XXII. *Et tamen aliter etiam erratum in numero* XXVIII. *dierum; quasi nundinæ decimo quoque die recurrissent: saltem* XXV. *dies numerari oportuisset: Non ignoro quidem Macrobio Sat.* I. 16. *rusticos dici octo diebus in agris opus fecisse: nono autem die venisse Romam &c. Sed, nisi pro* VII. *sciolus quis* VIII. *scripsit, ille quam maxime falsus est: cum inter duas nundinas septem tantum dies medii fuerint, ut non modo Halic. scribit* VII. 58. *sed & Kalendarium vetus ostendit, in quo octonæ literæ* a b c d e f g h *continue recurrunt. Quem (Macrobii) librarii errorem fere omnes certatim sunt secuti. Et similis circa olympiadas commissus a multis error. Ignoscas quæso, lector, si, quia Puteani libello careo, justo longior fui. (Videatur omnino Cl. Drakenborch. ad Liv.* III. 35. *F. R.*)

tempore Ciceronis: antea enim in magistratibus creandis hoc omissum videtur) quo dies comitiorum edicebatur, ut cives in agris, vel extra urbem degentes etiam adesse possent; idque lege *Junia Licinia* cautum erat. *Cic. ad Att. II. 9. & ib. Manut.* Vid. *eumd.* & *Abram. ad orat. pro Sext. c. 64.* Quod si legibus ferendis comitia essent, etiam summarium legis proponebatur, ut ita quisque, an ea suadenda, an vero antiquanda esset, apud animum statuere posset; & nundinis a *latore legis* recitabatur, ac ab amico aliquo diserto (qui *auctor legis*, (o) Græcis ὁ γράφων, (p) dicebatur) oratione habita suadebatur; qualis fuit, e. g., *oratio Ciceronis pro lege Manilia*, (& hoc idem fiebat in judiciis) quod proprie est *promulgare legem*. Auctoritas senatus etiam his comitiis, ut curiatis, accedere debebat; sed posterioribus temporibus patres ante suffragia in incertum comitiorum eventum auctores fiebant, quemadmodum capite præcedente de curiatis comitiis diximus. (q) Præterea ante comitia *auspicia* rite *capi* debebant intra pomœrium: unde *augusta centuriarum auspicia* dicit *Cic. pro Mil. c. 16.* quod si non recte esset factum; vel, si esset *obnunciatum*, hoc est, si *infausta signa de cælo* essent *nunciata*, vitiosa erant comitia, & in alium diem rejiciebantur solemni formula auguris dicentis, *Alio die* (r): posterioribus autem temporibus auspicia dumtaxat ad usurpationem vetustatis retenta sunt. Non poterant hæc comitia, ut neque alia, haberi nisi *diebus comitialibus*, sive *quibus cum populo agendi jus erat*. Tali ergo die, sacris in urbe prius rite peractis, populus in campum Martium descendebat: nam hæc comitia in urbe haberi non poterant, quia non nisi *exercitu imperato* habebantur; (s) in urbe autem exercitum imperari nefas erat. Et olim quidem universus populus armatus, & sub signis conveniebat: postea vero pars populi in Janiculo monte excubuit, vexillo ex arce sublato; quod postremum *Dionis Cassii* tempore adhuc obtinuit (t). Ita inchoata comitia adhuc dirimi poterant, si etiam tum obnunciatum esset;

(o) *Cic. ad Att. I. 15. Suet. Jul. 16.*
(p) *Lucian. Timone p. m. 151.* (q) *Liv. I. 17.*
(r) *Vid. Cic. Phil. II. 33. & ibi Manut.* (*Brisson. de form. p. 119.*) (s) *Fest. voc. Justi dies. Dio Cassius lib. XXXVII.* (*Gellius XV. 27*) (t) *Dio Cassius d. l.*

esset, vel, si aliquis *morbo comitiali* (quem *caducum* nos vulgo dicimus, & olim etiam *major* dicebatur (*u*)) corriperetur: vel etiam si tribunus plebis, aut alius magistratus ejusdem auctoritatis (*x*), ac ille erat, qui comitia habebat, intercessisset solemni illo verbo, *Veto* (*y*); aut etiam si vexillum e Janiculo monte avulsisset. (*z*) Etiam tempestate exorta dirimebantur comitia, ita tamen, ut magistratus, qui jam creati essent, vitiosi non redderentur. (*a*)

§. VII. *Ipsorum comitiorum ratio*.

Congregato populo magistratus, qui comitiis præerat, concionem ad populum habebat, & tales conciones interdum etiam inter ipsa comitia habebantur ad emendicanda populi suffragia (*b*). Et quidem, si lex ferenda esset, ut eam populus vel juberet, vel vetaret: si vero magistratus creandi essent, ut ex iis candidatis, qui legitime petierant, quorumque adeo nomina accepta erant, ita ut eorum ratio comitiis haberi oporteret, magistratus eligeret: & ante legem tabellariam etiam alios, quam candidatos, populus creare potuit, modo ut legibus eorum ratio haberi posset.

§. VIII. *De Candidatis*.

Candidati autem dicebantur, *qui bonores petebant*, *& hoc intra legitimos dies professi* (*c*) *erant* (*d*), a *candida toga*, quæ petitionis erat signum: nam omnes quidem ditiores Romani vulgo *albam* togam gestabant, non tamen *candidam*; qualis erat cum fullones eam creta addita (*e*) splendidam fecissent: *candidum* enim proprie est *resplendens* a verbo *candere*, quod idem notat ac *splendere*; unde *Horatius* etiam *purpuream* vestem *candere* dixit (*f*), & idem rursus *purpureos* vocat *olores* (*g*): & sic quoque Græci λάμπρον *candidum* (*h*), λευκὸν vero *album* ver-

(u) *Fest. voc. Prohibere*. (x) *Vid. Ascon. ad Verrin. III.* 46. (y) *Liv. VI.* 35. (z) *Dio lib. XXXVII. de Rabir. perduellionis reo*. (a) *Liv. XXXX. fin.* (b) *Vid. insigne exemplum apud Liv. XXIV.* 8. (c) *Cic. Agr II* 9. *Vell. Pat. II.* 92. (d) *Sallust. Catil.* 18. (e) *Pers. Sat. V.* 177. (f) *Serm. II.* 6. 103. (g) *Od. IV.* 1. 10. (*Vid. hic Dom. Jerium*). (h) *Vid. Lips. Elect. I.* 13. *Grucch. de comit. l.* 3.

vertunt. Tunicas autem non gestabant candidati, sive, ut ita submissiores viderentur, sive, ut cicatrices adverso corpore acceptas facilius monstrare possent (*i*). Candidatorum causa a magistratibus cognosci debebat, ne a populo honores indignis mandarentur; an, scilicet, etiam tum minores (*) essent candidati; an publico, vel turpi judicio notati, aut ambitus damnati, vel denique an eo tempore criminis alicujus rei agerentur. Quod si *eorum rationem habendam* esse magistratus censuissent (nam poterant eorum *nomina* non *recipere* (*k*)) tum hi candidati per trinundinum (*l*) Populum *prensabant*, hoc est, *hominum obviorum manus prehendebant*, eosque amice compellabant; unde *officiosissimam nationem candidatorum* eleganter dicit *Cic. orat. in Pison. cap.* 23. (*m*), & hoc jam biennio ante *annum suum* faciebant occasione comitiorum; at anno demum sequente petebant (*n*). Cum dies comitiorum venisset, amicos quosdam, qui gratiosi essent ad populum, secum habentes, ab iisque in campum deducti (*o*) candidati in *colle Hortulorum*, qui campo Martio imminebat, consistebant; ut ita ab omnibus possent conspici: præterea in concione ad populum se petituros profitebantur, & jam aliquid in ejus gratiam, si honorem consecuti essent, facturos pollicebantur (*p*). Habebant etiam servos, quos *nomenclatores* vocabant (Græc. ὀνοματολόγους (*q*)) qui eos de *nominibus* civium obviorum monerent; (*r*) & *divisores*, qui argentum populo *dividerent* (*s*): licet hoc sæpe vetitum, vel ad certam summam usque dumtaxat concessum sit (*t*). (*u*) Tum præterea erant *sequestres* (Græc. μεσέγγυοι) qui submittebantur ad corrumpenda populi suffragia (*x*), & apud quos pecunia promissa deponebatur;

(*i*) *Plut. Coriol. p. m.* 220. *A.* & *in problem. p.* 275.
(*) (*i. e. an justos ad petendum honorem annos non haberent.*
(*k*) *Vid. elegans exemplum ap. Val. Max.* III. 8. 3.
(*l*) *Cic. ad Fam.* XVI. 12.
(*m*) *Et pro Muren. c.* 33.
(*n*) *Vid. Manut. ad Cic. Att.* I. 1. *init.*
(*o*) *Vid. Casaub. ad Cic. Att.* I. 1. *p.* 12. *edit. Græv.*
(*p*) *Vide Cic. ad Att.* II. 18. & *ibi Græv.*
(*q*) *Plut. Cat. Min. p. m.* 761.
(*r*) *Horat. Ep.* I. 6. 50.
(*s*) *Cic. Verr.* II. 8. & *ibi Ascon.*
(*t*) *Vid. Cic. Att.* I. 18. *Vid. omn. etiam Suet. Jul. c.* 19. *Lucan.* I. 178.
(*u*) *Vid. Petron.* 119.
(*x*) *Vid. Cic. pro Cæl.* 7. 13. & *alibi.*

rebatur; (y) & denique *interpretes*, per quos pactio (de suffragio alicujus pro certa pecuniæ summa obtinendo) indiceretur (z).

§. IX. *De ratione ferendi suffragia.*

Cum jam populus in centurias suas discessisset, *sortitio* (inter classis primæ centurias) instituebatur; & centuria, quæ prima sorte exibat, dicebatur *prærogativa*, (a) ejusque suffragium maximi erat momenti, (Vid. exemplum apud *Liv. XXVI.* 22.) unde *prærogativa* pro *signo futuræ voluntatis* ponitur apud *Cic. Verr. I. 9.* & *Catonem ad Cic. Fam. XV.* 5. Hæc itaque a magistratibus vocata per *ponticulos* (b) quosdam in *septum*, sive *ovile* (c) transibat, (qui locus erat in campo Martio cancellis clausus (d), vel, si alio loco comitia haberentur, septa *extensis funibus* faciebant, unde περισχοινίσματα ea vocat *Appian. Alex. Civil. III. p.* 885. *ed. Tollii*) eamque deinceps ordine reliquæ centuriæ sequebantur. Tulerat quidem C. Gracchus legem, ut ex confusis quinque classibus sorte centuriæ vocarentur; sed eam perferre non potuit. (e) Et olim quidem ante a. u. 614. voce suffragia ferebant; sed hoc legibus *Gabinia*, *Cassia* (f), aliisque *tabellariis* (ut Papiria an. 622. Cælia a. 630. qua etiam in judicio perduellionis tabella data est) abrogatum erat; ut ita plus libertatis populus in ferendis suffragiis haberet. Ergo in introitu ponticulorum quisque civis a *diribitoribus* (g) (hi a *diribendo*, hoc est, *distribuendo* sunt dicti) accipiebat tabellas, (h) quibus, si magistratus creandi essent, inscripta erant nomina candidatorum. Si leges essent ferendæ, in altera tabella erant literæ *U. R.* significantes, *uti rogas* (i); quibus notabatur, eum, qui suffragium dederat, ita censere, quemadmodum ille, qui legem tulerat, *rogasset*: unde formula initialis legum erat, *Coss. populum jure rogaverunt, populusque*

(y) *Id. pro Planc.* 18. (z) *Ascon. ad Cic. Verr. II.* 10.

(a) *Liv. XXIV.* 7. (b) *Cic. ad Att. I.* 9. (*de Prov. Sexagenarios de ponte dejicere. vid. Erasm. & Sigon. de A. Jure I.* 17.) (c) *Lucan. II.* 197. (d) *Ovid. Fast. I.* 53.

(e) *Sallust.* (*vel alius or. II. de rep. ord.* seu potius Ep. *II.* ad Cæs. c. 8. (*al.* 16.) vulgo Sallustio adscripta.)

(f) *Vid. Vaillant. in Numm. famil. gente Cassia n. V. Cic. de legib. III.* 16. (g) *Cic. post red. in sen. c.* 11.

(h) *Id. ad Attic. I.* 14.

(i) *Id. l. d. & de leg. III.* 17.

quae jure scivit (*k*): in altera vero tabella erat litera A. hoc est, *antiquo*. Si denique judicium habendum esset, in altera tabula erat litera *A.* notans *absolvo*; in altera litera C. notans *condemno*; in tertia literae *N. L.* hoc est, *non liquet* (*l*): & hinc *tabella* pro ipso *suffragio* ponitur. (*m*) Ex his tabellis quisque, quam vellet, in cistam (*n*), quae in introitu ovilis a *rogatoribus* (*o*) (ita dicebantur, *qui tabellas rogarent*, sive *reposcerent*) monstrabatur, conjiciebat. Tum *custodes* (erant autem hi omnes, ut & rogatores, & diribitores ex viris nobilissimis; (*p*) & quidem ex amicis ejus, cujus res comitiis agebatur; (*q*) qui quo essent majoris dignitatis, eo major candidati gloria habebatur (*r*): postea vero certi quidam *custodes* ex equestri ordine sunt creati) *custodes*, inquam, tabellas educebant, & *punctis* in alia tabella notatis singulorum sententias numerabant, (unde *puncta* vocantur *singulorum* hominum *sententiae* (*s*)) & quod pluribus placuisset, per praeconem pro istius centuriae suffragio pronunciabatur. Sic dimissa centuria praerogativa, vocabantur aliae centuriae, quae dicebantur *jure vocatae* (*t*): & hoc eatenus fiebat, donec major numerus centuriarum, nonaginta septem scilicet, in eamdem sententiam convenissent: ac quod illae censuissent, omnino ratum habebatur. Quod si paria puncta unius centuriae essent, nullum ejus suffragium pronunciabatur, praeterquam in judiciorum comitiis; ubi centuria, quae non damnasset, absolvisse credebatur (*u*).

§. X. *Finis Comitiorum*.

Candidatus, qui suffragiis vicerat, statim a magistratu comitia habente appellabatur; & precatione solemni habita designabatur, ac magna pompa domum deducebatur. (*x*) Primum autem a populo pronunciari perhonorificum habebatur (*y*).

Postquam consules Kalendis Januariis magistratum

(k) *Cic. Philip. I. 10.* (l) *Vid. Gell. XIV. 2.*
(m) *Cic. Famil. I. 9.* (n) *Auctor ad Heren. I. 12. II. 12.*
(o) *Cic. post red. in Sen. c. 11.* (p) *Id. in Pison. c. 15.*
(q) *Id. post red. in Sen. c. 7.* (r) *Ib. 11.* (s) *Horat. de arte poet. 343. Cic pro Mur. c. 34. Id. pro Planc. cap. 22.*
(t) *Vid. Liv. XXVII. 6. Ascon. ad Act. in Verr. I. 9.*
(u) *Vid. Dion. Hal. VII. 64.* (x) *Cic. Act. in Verr. I. 7.*
(y) *Cic. pro leg. Manil. c. 1. Id. in Pis. c. 1.*

tum inire cœperunt, comitia consularia Julio vel Augusto mense habita sunt; prætoria paullo post, & censoria circa idem tempus: sed censores statim ac creati essent inibant (z). Et mature adeo hoc fiebat; tum, ne periculum esset interregni; tum, ut spatium haberent discendi ea, quæ ad munus suum pertinerent; &, ut inquiri posset, an per ambitum essent designati.

Manserunt hæc comitia (ut etiam tributa, de quibus mox dicemus) libera, ad Julium Cæsarem usque, qui comitia cum populo partitus est, ita, (a) ut, exceptis consulatus competitoribus, de cetero numero candidatorum pro parte dimidia, quos populus vellet, pronunciarentur; pro altera parte, quos ipse dedisset. Ab Augusto libertas comitiorum aliqua ex parte restituta est (b): sed a Tiberio penitus neglecta sunt; (c) & postea omnino in principis potestate fuerunt; ita tamen, ut etiamnum haberentur (d).

CAPUT VIII.

De Comitiis Tributis.

§. I. *Definitio & origo horum Comitiorum.*

TErtium genus comitiorum erant comitia *tributa*; (ἡ φυλετις ἐκκλησία) *quibus ex regionibus & locis*, hoc est, *tributim* suffragia ferebantur. (a) Haberi primum cœperunt altero anno post creatos tribunos plebis, hoc est, a. u. 263. occasione C. *Marci Coriolani*; (b) qui in judicium a tribunis plebis vocabatur, quod in magna annonæ caritate enixe in senatu contendisset, ne frumentum e *Sicilia* advectum populo divideretur: (c) qua ratione plebem ad ultimam necessitatem redigere volebat, ut ita optimatibus obsequentior esset. Quia autem apud optimates gratiosus erat Marcius, & centuriata comitia, ut diximus, in potestate ditiorum fere erant; fore videbant tribuni plebis, ut Co-

(z) *Liv. XXXX.* 45. (a) *Suet. Jul. c.* 41. (b) *Id. Aug. c.* 40. (c) *Tac. Annal. I.* 15. (d) *Vid. Cl. Noodt. Observ. I.* 7. (a) *Lelius Felix apud Gell. XV.* 27. (b) *Dion. Halic. VII.* 59. (c) *Liv. II.* 34.

Coriolanus absolveretur: ergo voluerunt, ut populus *tributim* vocaretur; quo casu æque pauperiorum, ac ditiorum suffragia valebant. Sed magis hæc comitia frequentari cœperunt post legem *Publiliam* latam a. u. 282. qua cavebatur, (*d*) ut plebeji magistratus tributis comitiis fierent.

§. II. *Causæ horum Comitiorum*.

Habebantur hæc comitia ob quatuor *causas*: quarum prima erat *magistratuum creandorum*; secunda, *sacerdotum subrogandorum*; tertia, *legum ferendarum*; quarta, *judiciorum exercendorum*.

Magistratus, qui his comitiis creabantur, erant primo, *omnes magistratus urbani minores ordinarii*; quales erant ædiles curules & plebeji, tribuni plebis, quæstores, triumviri capitales, (*e*) nocturni, monetales, tribuni militum comitiales (*f*), (licet hos inter urbanos magistratus non referam) &c. Secundo, *magistratus urbani minores extraordinarii*, ut præfecti annonæ, duumviri navales, quæstores parricidii, curatores viarum, &c. Tertio, *magistratus provinciales ordinarii*; proconsules nempe (*g*), proprætores, & proquæstores. Quarto, *magistratus provinciales extraordinarii*, ut triumviri, vel quinque viri coloniarum deducendarum, vel agrorum dividundorum caussa creati.

Secunda horum comitiorum caussa erat *subrogatio sacerdotum*. Et quidem ante legem *Domitiam* (*h*) latam a. u. 650. solus Pontifex maximus his comitiis creabatur, reliqui vero sacerdotes a collegiis suis cooptabantur: postea vero non tantum omnes *pontifices*, sed etiam *augures*, *feciales*, *septemviri epulones*, & *quindecimviri sacris faciundis* his comitiis creati sunt.

Tertio, his comitiis *ferebantur leges*, quæ dicebantur *plebiscita* (*i*); & erant variæ, ut de imperio triumphaturis die triumphi sui in urbe decernendo (*k*), de civitate danda, de solvendo aliquem legibus, de quæstionibus publicis constituendis, & maxime de fœdere cum hostibus feriendo (*l*).

Quarto denique comitiis tributis *exercebantur judi-*

(d) *Ib.* (e) *Cicero pro Cruent. c. 13.*
(f) *Vide Ascon. ad Act. I. in Verr. 10.* (g) *Liv. VIII. 23. XXIX. 13. &c.* (h) *Vid. Suet. Neron. c. 2.*
(i) *§. 4. Inst. de jure nat. gent. & civil.*
(k) *Liv. XXVI. 21.* (l) *Liv. XXXIII. 25.*

dicia, non quidem capitis; (quod centuriatorum erat, ut diximus) sed quibus alicui mulcta irrogabatur (*m*); vel etiam, si quis capitis damnatus ad populi judicium venire recusaret, hæc comitia ad exilium ei indicendum sufficiebant (*n*).

§. III. *De personis, quæ his Comitiis interveniebant.*

Habebantur hæc comitia, si magistratus creandi essent a dictatore, vel consule, vel tribuno militum consulari potestate: nisi quod tribuni & ædiles plebis a tribunis plebis crearentur (*o*). Sacerdotum comitia nemo, nisi consul, habebat: (quod ex *Ep.* 4. *Ciceronis ad Brutum* colligi potest) judiciorum vero & legum comitiis consules, prætores, vel tribuni plebis præerant.

Interesse his comitiis poterant omnes, qui centuriatis, nempe cives jus suffragii habentes: quamquam Latinis etiam aliquando datum sit ex indulgentia magistratuum, ut in tribu prærogativa suffragium ferrent (*p*). Quidam duas habebant tribus, alteram, in qua erant nati, alteram, vel jure adoptionis; (ut Augustus Fabiam & *Scaptiam*, *Suet. c.* 40.) vel in præmium accusationis de repetundis (*q*); vel denique emptam, ut quis majorem in distributionibus partem haberet (*r*).

§. IV. *Ratio horum Comitiorum.*

Reliqua fere cum centuriatis comitiis communia habebant, sed hoc his comitiis peculiare erat, quod etiam inconsulto senatu haberi possent (*s*); & quod auspiciis non impedirentur, nisi hactenus si de cælo servatum esset (*t*); plebeji enim magistratus auspicia non habebant; (*u*) & hoc quia ex institutione Romuli sacra solis patriciis erant commissa (*x*): unde plebis in his comitiis major erat potestas (*y*).

Locus his comitiis erat, si magistratus quidem creandi essent, campus Martius; si leges ferendæ, vel judicia exercenda, forum, vel capitolium, vel etiam aliquando circus Flaminius (z): & si forum, loca ibi singulis tribubus funibus tensis distin-

(m) *Id. IV.* 41. & *XXVI.* 3. (n) *Id. XXV.* 4. & *XXVI.* 3. (o) *Val. Max. VI.* 3. *ex.* 2. (p) *Vid. Liv. XXV.* 3. (q) *Cic. pro Balbo c.* 23. & *seqq.* (r) *Panvin. de civ. R.* 283. *edit. Græv.* (s) *Dion. Hal. IX.* 41. (t) *Cic. in Vatin. c.* 8. (u) *Liv. IV.* 6. (x) *Dion. Hal. II.* 9. (y) *Vid. Vales. ad Liv. II.* 56. (z) *Liv. XXVII.* 21. *Plut. Marc. p. m.* 314.

ſtinguebantur; (*a*) quod etiam *Athenis* olim uſitatum fuit (*b*).

Singulare etiam in his comitiis erat, quod ſi ſacerdotes creandi eſſent, non omnes tribus in ſuffragium irent, ſed ex lege Domitia (quam abrogavit Sulla, reſtituit Labienus tr. pl. a. u. 690. (*c*)) ſeptemdecim duntaxat ad id ſorte legerentur; ita ut, qui a novem tribubus renunciatus eſſet, ſacerdotium obtineret (*d*).

Magiſtratuum comitia habebantur circa Kalendas ſextileis; ſacerdotum, cum aliquis ſacerdos obiiſſet; reliqua vero, ut legum & judiciorum, omnibus comitialibus diebus haberi poterant.

Deſierunt hæc comitia eodem tempore & modo, quo centuriata.

SECTIO SECUNDA.

CAPUT I.

De Magiſtratibus in genere.

§. I. *Magiſtratus definitio & etymon.*

M*Agiſtratus* ſpecies eſt *honoris publici; publicus enim honor eſt jus & titulus ſuper ceteros lege, aut moribus conceſſus*: & eſt vel *divinus*, ut *ſacerdotum*; vel *humanus*: qui rurſus eſt vel *dignitas*, ut *ſenatorum*, & *judicum*; vel *poteſtas*, quæ eſt *extra urbem*; vel denique *magiſtratus*, qui eſt *in urbe*: & omnes quidem magiſtratus cum *poteſtate* erant; ſed cum *imperio* illi tantum, quibus id nominatim lege a populo datum eſſet.

Dicitur autem *magiſtratus* a *magiſtro*: *magiſter* porro eſt, *qui plus aliis poteſt*. (*a*) Omnes olim *prætores* dicti ſunt; (*b*) vel, quod ceteros honore *præirent*; vel, quod aliis *præeſſent*. Sic *dictator* apud *Livium* VII. 3. in lege antiqua de *clavo figendo* dicitur *prætor maximus*: & de conſulibus ita loquitur *Cic. de legibus* III. *Regio imperio duo ſunto; iique præeundo, judicando, conſulendo, prætores, judices,* con-

(a) *Dion. Hal. VII. 59.* (b) *Vid. Poll. Onomaſt. VIII. 5. 20.*
(c) *Dio lib XXXVII p 27. edit. reg.* (d) *Vid. Cic. Agr. II. 7.*
(a) *L. 57. De verb. ſig. Feſt. voc. Magiſtrare.*
(b) *Aſcon. ad Cic. in Verr. I. 14.*

consules appellantur. Immo etiam *proconsules*, *legati Cæsaris*, sive *præsides*; quin & *præfecti vigilum*, & *ædiles*, *prætores* quandoque vocantur. Imo prætor dicitur pro sacerdote apud *Gruter.p.*318. *n.* 6. 7. & *p.* 398. *n.* 7. (*c*)

§. II. *Magistratuum divisio.*

Magistratus Romanorum fuerunt varii generis, & *dividuntur* primo a *temporibus*, quod alii sint *ordinarii*, qui statis temporibus & semper in republica fuerunt; alii *extraordinarii*, qui non semper. *Ordinarii magistratus* fuerunt consules, prætores, ædiles, tribuni plebis, quæstores, aliique: *extraordinarii*, dictator cum suo magistro equitum, censor, interrex, & plures suo loco dicendi.

Secunda distinctio magistratuum procedit *a personis*, quod alii sint *patricii*, *alii plebeji*, alii denique *mixti*. Et initio quidem reipublicæ omnes magistratus erant ex patriciis; sed processu temporis honores omnes cum plebe communicati sunt, præter solum interregnum; quemadmodum de singulis mox dicemus. *Plebeji* autem magistratus fuerunt tribuni & ædiles plebis; reliqui omnes *mixti*.

Tertio dividuntur magistratus a *qualitate* in *majores* & *minores*, idque duplici ratione: primo enim *majores magistratus* dicuntur, qui *majora* habent *auspicia* (*d*), scilicet consules, prætores, & censores: *minores*, qui *minora*: inter quæ differentiam non aliam statuit *Messala* apud *Gellium* loco in margine citato, quam quod majora minoribus magis rata essent: secundo *majores* dicuntur, qui lictorem, vel viatorem habent: quos nec ædiles, nec quæstores habuerunt.

Quarto ab *insignibus*; fuerunt enim magistratus quidam *curules*, quidam *non curules*. *Curules* magistratus erant, quibus jus erat *sella curuli* (*) utendi; quod competebat dictatori, consuli, prætori, ædili curuli: *non curules*, quibus id jus non competebat, qui erant reliqui omnes.

Quinta denique inter magistratus differentia fuit a *locis*: quidam enim erant *urbani*, quidam *provinciales*; quales fuerunt proconsules, proprætores, & proquæstores.

§. III.

(c *Vid. Celeb. G. Noodt. Probab. I. 6.* (d) *Gell. XIII. 15.*
(*) *Hujus voc. etymon vid. apud Gell. III. 18.*

§. III. *De iis, qui apti ad Magistratus, & de lege annali.*

Habilitas ad magistratum gerendum duplex requirebatur, altera a *gente*, altera ab *annis*. A *gente* olim quidem maxime, cum soli patricii magistratus gerere possent (e): sed hoc paullatim, ut diximus, mutatum est; & per factiones & secessiones plebis effectum fuit primo, ut a. u. c. 261. crearentur (f) tribuni & ædiles plebis, qui peculiares plebi magistratus fuere. Deinde a. u. 344. primi de plebe quæstores sunt creati. (g) A. u. 353. primus tribunus militum consulari potestate, (h) & a. 387. primus de plebe consul factus est; (i) anno autem sequente primi ædiles curules. (k) A. u. 397. primus dictator, (l) cum jam a. 385. magister equitum de plebe dictus esset. (m) A. u. 402. idem ille, qui primus de plebe dictator fuerat, censuram est (n) adeptus: & denique annus urbis 417. primum prætorem plebejum (o) vidit, ita ut sola interregia potestas penes patricios remanserit, nec plebi unquam communicata fuerit.

Habilitas altera fuit ab *annis*, utique post *legem annalem*, sive *annariam* (p) a. u. 573. a *L. Villio Tappulo* latam (q); qua certus ætatis annus singulis magistratibus capiendis præfixus fuit; (r) quamquam forte jam antea aliquid ea de re constitutum fuerit: sed vix aliquid certi; (Vid. *Cic. Phil. V.* 17. *Tac. Ann. XI.* 22.) & hæc lex novam quamdam formam illi rei induxisse videtur; unde etiam ille Tappulus *Annalis* cognominatus est. Quis autem annus cuique magistratui petendo præfixus fuerit, non satis liquet. Quidam quæsturæ nullum certum annum, alii tricesimum primum, alii vicesimum septimum adsignant: *Lipsius* autem (s), ut mihi quidem videtur, verosimilius vicesimum quintum. Tribunatui & ædilitati *Lipsius* septimum vel octavum & vicesimum annum adscribit; cum alii dicant

(e) *Dion. Hal.* II. 8. 9. (f) *Liv.* II. 33.
(g) *Id.* IV. 54. (h) *Id.* V. 12. (i) *Id.* VII. 1.
(k) *Ibid.* (l) *Id.* VII. 17. (m) *Id.* VI. 39.
(n) *Id.* VII. 22. (o) *Id.* VIII. 15.
(p) *Fest. hac voc. Lamprid. Commodo c.* 2.
(q) *Liv.* XXXX. 43. (r) *Ovid. Fast.* V. 65.
(s) *De Magistrat. Rom. c.* 5.

cant ædilitatem anno demum tricesimo septimo ætatis geri potuisse. *Manutius* vero *de legibus c. 6.* putat hanc legem curules tantum magistratus spectasse. Quidquid sit, constat præturam biennio post ædilitatem geri fuisse solitam (*t*). De consulatu certum est, quadragesimum tertium (*u*) annum ei præfixum fuisse: sub principibus autem hæ leges fere sunt neglectæ. De extraordinariis magistratibus quid obtinuerit, adhuc incertius est; nisi quod constat dictatores (*x*) & censores fere ex consularibus creatos fuisse. In municipiis quoque & coloniis talis quædam lex fuit; (*y*) quemadmodum etiam de senatoribus & equitibus similia diximus. Observari hic velim ritum singularem, qui sub Impp. obtinuit (sub rep. id non invenio) ut pro singulis liberis gratia unius anni petenti fieret; quod retulit *Ulpianus l. XIX. ad leg. Jul. & Pap.* (*z*).

§. IV. *Communia Magistratuum*.

Leges præterea omnibus magistratibus communes fuerunt, *lex Romuli*, *ne quis magistratum aliquem iniret, nisi addicentibus avibus*: *lex Cornelia*, *de ordine in magistratibus gerendis servando*; ne scilicet quis, exempli causa, præturam ante quæsturam, vel consulatum ante præturam gereret (*a*); quemadmodum ex ædilitate omissa prætura consulatum petere licitum non fuisse videmus apud *Ciceronem Phil. XI. 5. ubi omnino vide notas in editione Grævii*. *Lex* etiam *prisca* fuit *de intervallo magistratuum*, quæ vetabat, *ne intra decennium idem magistratus repeteretur*. (*b*) Magistratus etiam plures (majores certe & ordinarii) ab uno simul geri non poterant; sed labascente libertate hæ leges, ut reliquæ similes, vulgo neglectæ sunt. Commune præterea omnium magistratuum erat, quod intra quinque dies quam magistratum inivissent, in leges jurare co-

(t) *Cic. Fam. X. 25.* (u) *Cic. Phil. V. 17.* (*Sequentia ex 1. edit. hic repetere non ab re fuerit*: sed stante rep. aliquando cives gratiosi his legibus soluti sunt. *Liv. XXV. 2.*)
(x) *Liv. II. 18.* (y) *Plin. Ep. X. 84.*
(z) *L. 2. D. de minorib.* (a) *Appian. Alex. Civ. I. 413. Ascon. ad Or. pro M. Scauro p. 175. ed. Lug. Bat. 1675.*
(b) *Liv. X. 13. Plut. Coriol. p. 214. init.*

gerentur (*c*): & quod iis magistratu defunctis diem dicere liceret, si quid forte ea occasione deliquissent (*d*). Atque hæc fere sunt communia magistratuum; transeamus jam ad singulos.

CAPUT II.

De Rege, & de Tribuno Celerum.

§. I. *De Rege.*

NAscente urbe Roma, ut jam supra vidimus, *regium imperium* more illorum temporum (*a*) reliquis est prælatum: sed illud non absolutum, verum arctis satis limitibus circumscriptum: præcipua enim regum munia erant hæc, (*b*) quæ sequuntur: sacrorum omnium curam supremam habere; legum, morum, & juris patrii custodiam gerere; injurias maximas judicare; senatum habere, ejusque decreta ad populum referre, atque ita rata facere (*c*); populum ad concionem vocare, ejusque & senatus decreta exsequi. Et hæc quidem in pace; in bello vero maximam potestatem habebant, quia res belli celeritatem plerumque & arcanum desiderant, ita ut pluribus facile communicari nequeant: sed hoc ita tamen, ut summum rerum arbitrium, ac jus belli & pacis semper esset penes populum (*d*), quemadmodum jam alibi diximus.

Insignia regum fuerunt *corona aurea* (*e*), *sceptrum*, & *sella* ex ebore *curulis*: (Græc. δίφρος ἐλεφάντινος (*f*)) tum *trabea*, sive, *toga purpurea immixto albo*; *lictores* duodecim cum *fascibus* & *securibus*, quos jam inde a Romulo institutos fuisse quidam volunt, alii a Tullo Hostilio, plurimi, & verius, ut videtur, a Tarquinio Prisco (*g*). Regnatum est Romæ per annos 243. (verius 244.) a septem Regibus, quorum ultimus fuit Tarquinius, qui, distinguendi a superiore Tarquinio causa, a scriptoribus *Superbus* est dictus, (non enim ei viventi hoc nomen adhæsit, non magis quam *brevibus*, *calvis*, *balbis*, &c. *Franciæ* regibus; vel ei, qui pa-

(c) *Liv.* XXXI. 50. (d) *Id.* XXXVII. 57. *Exempl. vid. ap. Suet. Jul. c.* 23. (a) *Just.* I. 1. (b) *Dion. Hal.* II. 14.
(c) *Id.* VII. 38. (d) *Dion. Hal. l. d.*
(e) *Id.* IV. 74. & 75. (f) *Vid. Pollux.* X. 2. 47.
(g) *Flor.* I. 5.

patriam nostram olim injuria oppressit, *Godefrido Lotharingiæ* duci *Gibboso* vulgo dicto) & propter superbiam & crudelitatem urbe fuit ejectus (*b*). Et hinc postea ortæ fuerunt locutiones: *regii spiritus, regia superbia, regie facere* pro *crudeliter*, (vid. Amplisf. H. R. *Schelium de jure imperii*, *p. m.* 107.) licet non nominis regii pertæsos fuisse Romanos, sed fastum crudelitatemque regis perosos testetur *Horatius* apud *Livium III.* 39.

§. II. *De Tribuno Celerum.*

Institutus est etiam a Romulo *præfectus*, vel *tribunus celerum*, quorum primus dicitur fuisse, ut jam *c.* 3. *præc. sect.* diximus, quidam *Fabius Celer* (*i*): hic equitibus proprie præerat, & proximam a rege dignitatem & potestatem in bello obtinebat (*k*), sicut postea apud dictatorem magister equitum: sed pulsis regibus etiam hic honos fuit gestari desitus; imo a Numa jam dimissos celeres vult *Plutarchus* in *Numa p. m.* 64.

CAPUT III.

De Consulibus.

§. I. *De nomine & institutione Consulum.*

SUmmus libera republica *omnium bonorum populi finis* fuit *consulatus* (*a*): unde Græci eos ὑπάτυς vocant, quasi *summos* dicas (*b*). Et sub Impp. consulatum ipsa præfectura prætorii superiorem fuisse ex *Lib.* 1. *de senator.* probat egregium hujus Academiæ decus Cl. *Ev. Otto* in *Papiniano suo c.* 14. §. 7. Olim triplici nomine hic magistratus appellatus fuit: ita *enim* loquitur *Cicero* in loco *capite primo hujus sectionis* citato, *regio imperio duo sunto: iique præeundo, judicando, consulendo, prætores, judices, consules appellantur. Consulere* autem hic videtur significare *ad senatum referre*: nam hoc inter præcipua consulum munera fuit. *Quintil.* vero *Instit. oratoriar.* I. 6. dicit *consulere*

(h) *Liv.* I. 60. (i) *Dion. Hal.* II. 13. *Plut. in Romulo p. m.* 23. & 34. (k) *L.* 2. §. 15. *D. de orig. jur.*
(a) *Cic. pro Planc. c.* 25. (b) *Dion. Hal.* IV. 70.

sulere verbum idem olim significasse, quod *judicare;* atque inde quosdam putare *consules* esse dictos. *Pomponius* denique IC. *L.* 2. §. 10. *D. de orig. jur.* (c) *Consules*, ait, *dicti sunt ab eo, quod plurimum reipublicæ consulerent*. *Prætores* autem sunt dicti, quod *præirent jure & exercitu* (d).

Instituti sunt consules statim post reges exactos (e) a. u. (*) 244. cum respublica gubernatoribus carere non posset. Creati autem sunt *bini*, ne unius imperium libertati periculosum foret: nam, ut *Q. Catulus* dicebat, *non sæpe unus consul improbus, duo vero numquam post Romam conditam fuerant, excepto illo Cinnano tempore* (f): *annui* sunt creati, ne diuturnitate imperii insolescerent (g); unde etiam, si alter consul mortuus esset, in reliquum anni tempus alius ei subrogabatur (h), qui dicebatur *suffectus*; sed hic comitia rogandis consulibus habere non poterat (i).

§. II. *Insignia Consulum*.

Insignia consulum fuerunt primo, *lictores duodecim cum fascibus* (k) *& securibus:* (quibus etiam aliæ gentes Latii utebantur (l)) & initio quidem quisque consul duodecim fasces habebat; sed mox ex lege *Valerii Poplicolæ* penes alterum dumtaxat consulem (m), idque alternis mensibus, fasces fuerunt: licet paulo aliter hæc explicet *Dion. Hal.* V. 2. qui etiam tradit, penes eum consulem, qui fasces habebat, imperium quoque fuisse. Præcedebant singuli & in lineam; unde lictor, qui proximus erat consuli, *postremus* dicitur (n). Antiquis temporibus prior fasces sumebat major natu (o): post legem vero *Juliam de maritandis ordinibus* latam ab Augusto Imperatore a. u. 736. ille, qui plures liberos habebat; vel, si par numerus liberorum esset, ille qui ma-

(c) *Vid. etiam Cic. de orat.* II. 39. (d) *Varro de ling. Lat* IV. 14. *Vid. omn. eumd. de vita* P. R. II. *apud Nonium* p. 53. *edit. opt.* (e) *Liv.* I. 60. (*) (*Verius* 245. Alias autem annorum passim citatorum differentias adnotare supersedemus.) (f) *Cic. post red. in senat. c.* 4. (g) *Flor. l. d.* (h) *Liv.* II. 8. (i) *Id.* XXXXI. 18. (k) *Horat. Od.* II. 16. 9. *Ovid. Pont. El.* IV. 9. 42. (l) *Dion. Hal.* VIII. 44. (m) *Val. Max.* IV. 1. *exempl.* 1. (n) *Cic. Div.* I 28. *quem secum non habet Lips. Elect* I. 23. *ubi fusissime agit de lictoribus.* (o) *Plut. Popl. p. m.* 103. *Gell.* II. 15.

maritus erat (*q*). Invenio etiam priorem habuisse fasces consulem, qui primus renunciatus erat (*r*). Alterum autem consulem *accensus*, hoc est, *minister quidam publicus* præcedebat, lictores pone cum virgis & bacillis sequebantur (*s*): aliquando autem servatum fuit ut alternis diebus fasces permutarentur (*t*). Secures etiam Poplicola (qui, quod tot leges *populares* tulisset, a *populo colendo Poplicola* est dictus (*u*)) fascibus exemit, saltem in urbe; nam extra urbem eas retinuerunt (*x*). Secundo utebantur *sella curuli eburnea*, ut antea reges. Tertium fuit, *toga prætexta*, hoc est, quæ in extrema ora purpuram *prætextam* haberet; & hanc olim quidem ante deos Penates primo magistratus sui die sumebant; postea vero ex templo *Jovis Capitolini*, ubi publicitus servabatur (*y*). Quarto gestabant *scipionem eburneum*, (*z*) quod vulgo minus notum. Sub Imperatoribus imminuta quidem consulum auctoritate, *sed* aucto fastu, plura insignia accessere, ut *toga picta*, (*a*) *laurus* in fascibus, (*b*) & *secures* iterum iisdem additæ &c. (*c*).

§. III. *De Consulum potestate & munere*.

Sunt itaque, ut vidimus, consules loco regum creati, & initio quidem pleno eorum jure; (*d*) quemadmodum etiam omnia eorum insignia primi consules tenuere (*e*): unde recte *Cicero* loco paullo antea citato imperium eorum *regium* vocat. (*f*) Sed primo statim institutionis eorum anno hoc jus imminuit ille, de quo jam diximus, Poplicola, lege lata *de provocatione* ad populum: nam ea quidem, ut notum est, jam tempore Tulli regis obtinuerat (*g*); sed tyrannide Tarquinii Superbi oblitera-

(q) *Svet. Jul. c.* 23.
(r) *Liv.* IX. 8.
(s) *Svet. Jul. c.* 20.
(t) *Diarium vetus apud Pigh. ad a. u.* 383.
(u) *Dion. Hal.* V. 19.
(x) *Id.* X. 59. *Liv.* XXIV. 9.
(y) *Vid. Capitol. in Gordian. c.* 4.
(z) *Dion. Halic.* III. 62. *Juven Sat.* X. 43. *Vopisc. Aurelian. c.* 13. (a) *Lamprid. Alex Sev. c.* 40.
(b) *Martial.* X. 10. (c) *Vid. Claudian. prol.* II. *in Eutrop.* 7. (d) *Liv.* IV. 3. (e) *Id.* II. 1.
(f) *Vid. & Ovid. de Pont.* IV. *Eleg.* IX. 65.
(g) *Vid. Liv.* I. 26.

tam renovavit Valerius; tempore vero Ciceronis in desuetudinem abiisse videtur. (*b*) Huic addidit leges *de fascium submissione* (*i*), quæ populo fiebat, & *de magistratu injussu populi non gerendo* (*k*). Postea vero eorum potestas etiam magis imminuta fuit, cum tribuni plebis fuerunt instituti, quibus jus datum fuit intercedendi omnibus omnino magistratuum actis. Tamen etiam postea aliquando extra ordinem summa potestas (& eadem, quæ dictatoris: vid. omnino *Liv.* VI. 19. quod Pompejo in III. consulatu obtigit, vid. *Asc. ad Orat. pro Mil. c.* 25.) illis delata fuit; turbidis, scilicet, & in summum discrimen adductis civitatis rebus, solemni senatusconsulti formula (*l*): *viderent consules, ne quid respublica detrimenti caperet*. Hoc Græci dicebant, διὰ φροντίδος αὐτοὺς ἔχειν, ὥςε μηδεμίαν ἀποτριβῆν τῷ δημοσίῳ συμβῆναι: (*m*) eaque forma senatus consulti ultimæ semper necessitatis habita est: (*n*) & aliquando etiam prætores, tribuni plebis, & proconsules, qui ad urbem erant, ea formula comprehensi fuerunt. (*o*)

Et semper quoque stante republica multa eorum munia, magna & amplissima plane dignitas fuerunt (*p*); ita ut *Curio* non sine ratione Ciceronis consulatum vocaverit ἀποθέωσιν (*q*). Nam *Primo* caput erant totius reipublicæ, & tantæ auctoritatis, ut reges & nationes exteræ gloriæ sibi ducerent, si in eorum tutela forent (*r*): & hinc omnes magistratus ipsis erant subjecti, præter tribunos plebis; qui, ut diximus, omnibus eorum actis intercedere poterant. *Secundo*, militiæ tempore supremam potestatem obtinebant, quemadmodum antea reges; tribunos militum (pro parte; nam pars creabatur a populo,) centuriones, præfectos constituebant

(h) *Ipse Phil.* I. 5.
(i) *Vid. Liv.* II. 7.
(k) *Dion. Hal. V.* 19.
(l) *Vid. omn. Manut. ad Cic. Phil. V.* 12. *Sall. Catil.* 29. *Liv.* III. 4. (*Ad alios quoque magistratus S. C. hujusmodi pertinebat. Vid. exempla apud Brisson. de form.* II. *p.* 112.)
(m) *Dio l.* XXXVII.
(n) *Liv.* III. 4. (o) *Cæs. de bello civil.* I. 5. *Sall. Fragm. hist.* 1. (p) *Polyb. VI.* 10.
(q) *Cic. ad Att.* I. 16. *nam licet hoc maxime spectet oppressionem conjurationis Catilinariæ, & reliqua gesta Ciceronis, tamen etiam dignitatem consularem notat.*
(r) *Id. pro Sext.* 30.

bant (s). *Tertio*, imperium in provincias habebant; & subditos inde evocare (t), coercere, punire poterant. *Quarto*, populum convocare, cum eo agere, leges ad populum ferre, iisque de se nomen dare poterant. *Quinto*, literas omnes a præsidibus provinciarum, vel exteris recipiebant (u), legatos audiebant, senatus vel populi decreta exequebantur. *Sexto*, senatum convocabant, consulebant, sententias numerabant, eumque dimittebant. *Septimo* denique, annus ab iis denominabatur (x): quod etiam apud Athenienses solebat fieri ab uno ex archontibus, qui ἐπώνυμος inde dicebatur (y). Et hæc omnia ita obtinuerunt, quamdiu libertas reipublicæ constitit: ea vero Julii Cæsaris, secutorumque proxime principum scelere oppressa, consulebant dumtaxat senatum, & principum placita ad eum referebant, (z) tutores dabant (a), servos manumittebant, (atque inde quidem consulare munus auspicabantur (b)) (c) vectigalia locabant ((d), quod antea censorum erat) ludos quosdam publicos edebant, annum nomine signabant: quo eleganter alludit *Seneca*, *Ep.* 4. his verbis: *nulli potest secura vita contingere, qui de producenda nimis cogitat; qui inter magna bona multos consules numerat*. Cum vero sub Imperatoribus plures in singulos annos consules crearentur, (ut ita sensim eorum dignitas evilesceret) a primis tantum, qui *ordinarii* dicebantur (e) & reliquis honoratiores erant, annus denominabatur; reliqui vero dicebantur *suffecti*, (f) quemadmodum tales jam, libera republica, vocatos fuisse vidimus. Quin alii adhuc sub principibus fuerunt consules *honorarii*, qui ex codicillis tantum a principe acceptis hoc nomen consequebantur (g).

(s) *Cic. de legib.* III. *Polyb.* VI. 24. (t) *Cic. Act.* I. *in Verr.* 7. & 18. & I. *in Ver* 33. & II. 30 *Id. Attic.* VIII. 23. *Tac. Ann.* XIII. 4. (u) *Cæs. de bell. civ* I. 1. & 6.
(x) *Lucan.* V. 399. *Senec. de benefic.* III. 16. (y) *Pollux* VIII. 9. 89. *Pausan. Lacon.* (z) *Ovid. de Pont.* IV. *El* V. v. 17.
(a) *Capitol. in Anton. philos.* 10. (b) *Claudian. in Eutrop.* I. 310. (c) *l. c. Amm. Mar.* XXII. 4. *Claud. l. c.*
(d) *Ovid. d. l.* 19. & *El.* IX. 45. (e) *Vid. Suet. Domit. c.* 2. (f) *Id. Jul. c.* 80. (g) *Cassiod. Variar.* I. 10. *Vid. Gutherr. de offic. domus Aug.* I. 13.

§. IV. *De aliis ritibus Consularibus.*

Antiquis temporibus, sive ante primum bellum *Punicum* Kalendis Martiis consulatum iniisse videntur (*h*), quod tamen non satis certum est: sed post a. u. 598. Kalendæ Januariæ huic rei destinatæ sunt (*i*). Eo die consules primo mane a senatu & populo domi suæ salutabantur, quæ solemnitas proprie *officium* dicebatur, quæ vox in genere significat id, quod studii, aut cultus gratia alicui exhibemus. Estque hic actus posterioribus temporibus *processus consularis* dictus. Vid. *Spanhem. de us. & præstant. numism. dis. XII. p.* 457. (*k*) Inde in Capitolium ducti *vota concipiebant* (*l*), & boves singulos Jovi immolabant (*m*); ac deinde senatum habentes munus suum auspicabantur (*n*): & de feriis Latinis habendis ad senatum referebant (*o*). Intra quinque dies post initum magistratum in leges jurare debebant (*p*), quod etiam fecisse videntur, cum designati essent: atque ita cum magistratu abirent, jurejurando declarabant se leges servasse (*q*) concione de rebus a se gestis ad populum habita (*r*). Tum etiam his primis diebus provincias inter se *sortieban-*

(h) *Ovid. Fastor.* III. 147.

(i) *Vid. Liv. Epit.* 47. *Ov. Fast.* I. 81. (Ut consularium annorum ratio clarius appareat, paucis, quid post Scaligeri, Petavii, Sigonii, Dodwelli sententias cognitas discussasque certi statuerim, ostendam: *Primo* ab a. u. 245. ad 530. usque incertissimus atque vagus valde ineundi consulatus erat dies, quod ex tot tantisque turbis, interregnis, reique publicæ mutationibus ortum: *Deinde* ab a. u. 530. ad 599. Kal. Martiis: *Postremo* ab a. u. 599. constanter Kal. Jan. annui magistratus curules inibantur. In Epit. autem Liv. tantum legitur: *Coss. a.* 558. *ab u. c. magistratum, peractis comitiis, insequentisque anni consulibus creatis, inire cœperunt. Mutandi comitia causa fuit, quod Hispani rebellabant.* Sed Dodwellus in Chronol. Dionys. p. 54. ante verba *inire cœperunt*, sic interpolat: (*abdicarunt novi autem coss.*). Hinc liquet, Ovid. Fastor. III. 147. parum a nostro fuisse intellectum, quum ait: *ad spatium belli, perfide Pœne, tui.* Quod Nieupoort exponit, ad II. belli Punici initium: at ego cum Neapol. de fine III. Punici belli interpretor. Si quis regerat, eversam fuisse Carthaginem a. u. 605. huncque numerum a certo illo 598. septem annis differre, cogitet poetam non accuratam nobis chronologiam, sed memorabilem eique rei epocham proximam dare voluisse.)

(k) *Ovid. de Pont.* IV. *El.* 4. 42. (l) *Vide Lampr. Heliog. c.* 15. (m) *Ov. de Pont.* IV. *El.* 9. 29.

(n) *Vid. omn. Liv.* XXI. 63. *&* XXII. 1. XXVI. 25.

(o) *Cic. or. post red. ad Quir. c.* 5. (p) *Liv.* XXXI. 50.

(q) *Vid. Plin. Paneg. c.* 64. *Cic. Fam.* V. 2. *&* *not. ad eund. ad Att.* VI. 1. *p.* 592. *ed. Græv.* (r) *Cic. Famil.* V. 2.

bantur, vel *comparabant* (*s*), hoc est, *sine sorte de iis conveniebant*. Legitimum annum consulatui gerendo diximus fuisse quadragesimum tertium; quamquam vi, vel gratia sæpe juniores consules facti sint (*). Qui autem reliquos magistratus bene gessissent, deberi sibi consulatum quodammodo putabant; unde *suum annum* petitionis dicebant (*t*).

§. V. *De duratione consulatus*.

Fuerunt Romæ consules ex solis patriciis ab a.u. 244. ad a. 302. (**) quo decemviri consulari potestate creati sunt; sed post duos vel tres annos iterum consules ad annum urbis usque 309. ex quo aliquando consules, aliquando tribuni militum consulari potestate, prout vel plebs, vel patres contentionibus vicerant, creati sunt: donec a. u. 387. plebs pervicit, ut alter utique consul de plebe crearetur; quorum primus fuit *L. Sextiu Sextinus Lateranus* (*u*): & postea obtinuit, ut duo quidem consules plebeji simul fieri possent; patricii vero non item (*x*). Inde summa potestas penes consules mansit ad Julium Cæsarem usque, qui patriæ suæ vim nefario scelere inferens, libertatem e republica sustulit, & consulum auctoritatem labefactavit: sub principibus enim ex more quidem creati sunt, at nullam fere potestatem habuerunt. Tum quoque non in annum, ut antea, sed in sex, in tres, vel in duos menses (*y*); (quod tempore *Dionis Cassii* legitimum fuit) (*z*) vel etiam in paucos dies, imo horas, creati sunt (*a*), ut ita princeps pluribus gratificari posset. Et hi suffecti consules *minores* dicebantur (*b*). Verum tandem *Justiniano* imperante a. u. 1293. post *Christum* natum vero anno 541. plane creari desierunt: nisi quod primo adhuc imperii anno consulatum susciperent. Idque obtinuit, donec a S. P. Q. R. per ministerium *Leonis* Papæ Imperium *Carolo M.* deferretur.

Quod autem modo de Julio Cæsare diximus, sciendum

(*s*) *Liv.* XXIV. 10. *& alibi*. (*Cæs. de bell. civ.* I. 6.)
(*) (*Suet. Aug.* c. 26. *Cic Philip.* V. 17.)
(*t*) *V. Casaub. ad Cic. Att.* I. *init. Q. Cic. de petit. consul.* 6.
(**) (*Liv.* III. 33.) (*u*) *Liv.* VI. 42. (*x*) *Vid. Lambin. ad Cic. pro dom. c.* 14. (*y*) *Lucan. l. supra c.* (*z*) *Ipse lib.* XLIII. *p.* 155. *ed. reg.* 1548. (*a*) *Vid. Macrob. Saturn.* II. 3. *Suet. Jul. c.* 76. (*b*) *Dio* XLVIII. *p.* 354.

endum est; necessarium quidem fuisse mutare statum reipublicæ tempore Julii Cæsaris, veluti opinio satis probabilis est C. *A. Ruperti* ad *Pomponium de orig. jur.* XII. *p.* 139. quam etiam tuetur in *Observ. ad Besoldi Synopsin minorem*. Verum non ideo minus sceleстus fuit Julius Cæsar, quippe qui nec jure, nec amore boni publici, sed misera ambitione & libidine regnandi ductus jus omne abrupit, & patriam suam in tristem servitutem conjecit. Sed contradicendi studio, ut videtur, & paradoxa tuendi tenebatur *Rupertus*, qui etiam Tiberium & *Attilam* homines perditissimos defendit, *Trajanum* vero laudatissimum principem vituperat; ut & Justinianum, qui inter mediocres saltem censeri merebatur.

CAPUT IV.

De Prætoribus.

§. I. *Origo Prætorum*.

Secundus magistratus ordinarii in urbe honor fuit *prætoris* (*a*) (Στρατηγῦ); quod nomen antea, ut dixi, omnium magistratuum commune fuerat (*b*), sed demum hoc magistratu creato peculiariter ei adhæsit. Primus prætor creatus est a. u. 387. *Sp. Furius Camillus* (*c*) duabus potissimum de caussis; primo, ut solatium patriciis esset communicati cum plebe consulatus; secundo, ut *jus diceret*; cui rei consules, cum frequentibus bellis avocarentur, vacare amplius non poterant: & hinc in nummis prætorum aliquando *bilanx* conspicitur (*d*). Creatus fuit prætor comitiis centuriatis iisdem auspiciis, quibus consules (*e*); unde etiam aliquando *collega* eorum vocatur (*f*).

§. II. *De numero Prætorum*.

Creatus est primo unus dumtaxat prætor; at a. u. 510. ob negotiorum frequentiam alter est additus,

(a) *Lucan.* III. 106. (b) *Asc. ad* I. *in Ver. c.* 14.
(c) *Liv.* VI. 42. & VII. 1. (d) *Vid. Spanh. de us. & præst. numism. diss* X. *p.* 104. (e) *Gell.* XIII. 15.
(f) *Plin. Panegyr. prop. finem.*

tus, (*g*) qui inter cives & *peregrinos* jus diceret, unde *peregrinus prætor* est dictus (*h*): alter vero, qui inter cives solos jus dicebat, vocabatur *urbanus*, & erat *honoratior*; unde proprio quasi nomine honoratus dicitur apud *Ovidium*, *Fastor*. I. 52. & *major* (*i*), & jus, quod ab eo edictisque ejus descendit, *honorarium* (*k*). A. u. 526. cum *Sicilia* & *Sardinia* in provinciæ formam redactæ essent, duo etiam prætores, qui eas regerent, sunt creati (*l*). A. u. 556. Hispaniis ulteriori & citeriori subactis, duo quoque prætores iis provinciis regundis adjecti sunt (*m*). Sed a. u. 561. lege *Bœbia* (quæ tamen non diu obtinuisse videtur) constitutum fuit, ut alternis annis quatuor dumtaxat prætores crearentur (*n*), atque ex his duo tantum, (urbanus scilicet, & peregrinus) in urbe manebant; reliqui statim in provincias, quas sortiti erant, proficiscebantur. Cum autem circa a. u. 605. (vel paullo post, cum Africa, Achaja, Macedonia in potestatem a. u. 607. redactis, ingens incrementum res Romana accepisset), constitutæ essent *quæstiones perpetuæ* (*o*), (de quibus mox amplius) visum est, ut omnes prætores anno magistratus sui in urbe jus vel publicum, vel privatum dicerent, & finito demum anno in provincias proficiscerentur. L. Cornelius Sulla auctis quæstionibus perpetuis a. u. 672. duos præterea adjecit; licet alii dicant, ad decem usque numerum prætorum ab eo auctum fuisse (*p*). Quidquid hujus rei sit, Julius Cæsar certe a. u. 707. decem prætores creavit, (*q*) & mox eorum numerum ad quatuordecim, imo ad sexdecim auxit (*r*): cum nempe sociis sceleris sui obnoxius quovis pretio eos remunerare cogeretur. Sed eo interfecto, ad denarium numerum redierunt. Augustus rursum duodecim prætores creavit, & paullo post sexdecim facti sunt; quibus *Claudius* Imperator duos adjecit, qui de fideicommissis jus dicerent: qui tamen ad certam tantum summam judicasse videntur; ut de majore consul appellandus fuerit (*s*). (*t*) Ex his

 unum

(g) *Liv. Epit.* XIX. (h) *L.* 2. §. 28. *ff. de or. jur.*
(i) *Fest. v. major Consul.* (k) §. 7. *Inst. de jur natur. gent. & civ.* (l) *Liv. Epit.* XX. (m) *d. L* 2. §. 32. *D. de or. jur.* (n) *Liv.* XL. 44. (o) *Vid. Pigh. ad a. u.* 605.
(p) *L.* 2. §. 32. *D. de or. jur.* (q) *Dio libr.* XLII.
(r) *Id. lib.* LIII. (s) *L.* 2. §. 32. *D. eod.*
(t) *Vid. Quinctil.* III. 6.

unum detraxit *Titus*, restituit *Nerva* injuncto munere, ut inter privatos & fiscum jus diceret (*u*). Tutelarem prætorem instituit *M. Aurelius Antoninus* vulgo dictus *Philosophus* (*x*). Minuente imperio rursus numerus prætorum minutus, ita ut tempore *Valentiniani* & *Marciani* Imperatorum tres dumtaxat crearentur (*y*): & denique circa tempora Justiniani omnino creari desiisse videntur.

§. III. *Insignia Prætoris.*

Insignia prætoris fuerunt primo *sex lictores cum fascibus*, saltem extra urbem (*z*); nam quod quidam duos tantum ei tribuunt, ita intelligendum est, ut duo ad minimum lictores semper ei præsto fuerint: atque inde ἑξαπέλεκυς dictus fuit (*a*). Secundo, *toga prætexta*; quam, ut consules, primo magistratus sui die, votis nuncupatis, in capitolio sumebant. Tertio, *sella curulis*. Quarto, *tribunal*; quod erat locus altior in hemicycli formam, in quo sella curulis prætoris ponebatur (*b*); inferiores enim magistratus & judices *subsellia* tantum habebant. Quinto, *hasta*, quæ jurisdictionis (*c*); & denique, *gladius*, qui quæstionis signum erat.

§. IV. *Munera Prætoris.*

Munera prætoris fuerunt *Primo*, ut *ludos ederet*; præsertim eos, qui in Circo dabantur (*d*), ut *Megalenses*, *Florales*, & similes: quod ingenti admodum pompa & sumtu fiebat: & hinc in histriones, similisque farinæ homines, saltem sub principibus, jurisdictionem quamdam exercuerunt (*e*) prætores. *Secundo*, ut sarta tecta vacante censura exigeret; sed non nisi ex senatusconsulto (*f*). *Tertio*, ut absentibus consulibus munus eorum sustineret (*g*), senatum cogeret (ita tamen, ut nunquam id fieret nisi ad rem novam (*h*)) sententias rogaret, comitia & con-

(u) *L. 2. §. 32. D. eod.* (x) *Capitolin. ejus vit. c. 10.*
(y) *L. 2. C. de off. prær.* (z) *Val. Max. L. 1. ex 9. App. Alex. Syriac. c. 95.* (a) *Appian. ibid.*
(a) *Censor. de die nat* (b) *Tac. Annal. I. 75.*
(c) *Senec. de brevit. vitæ, c. 11.* (d) *Juven. XI. 192.*
(e) *Tac. Annal. I. 77.* (f) *Ascon. ad Verr. III. 50. (potius I.)* (g) *Liv. X. 45. XXX. 27. & 22.*
(h) *Cic. ad fam. XII. 28.*

& conciones ad populum haberet; ita ut absente consule plane summus magistratus esset (*i*): &, præter consules, a reliquis magistratibus comitiatum & concionem avocare poterat (*k*); quamquam quædam ex his prætoris urbani dumtaxat fuisse videntur. *Quartum* & præcipuum prætoris urbani munus fuit *jurisdictio*, ut loquitur *Cicero de legibus III.* 3. *Juris disceptator, qui privata judicet, judicarive jubeat, prætor esto: is juris civilis custos esto: huic potestati parento*. Et ob hæc tot ac tanta munia non licebat prætori urbano plus quam decem dies urbe abesse (*l*). Ut autem quid fuerit *jurisdictio* recte intelligatur, pauca de *judiciorum* apud Romanos *ratione* adjicienda sunt; quæ tamen sequenti sectione accuratius examinabimus.

§. V. *De Jurisdictione*.

Judicia omnia erant vel *privata*, vel *publica*. *Privatis* (quorum proprie *jurisdictio* dicta est) præerant duo prætores, urbanus scilicet, & peregrinus: *publicis* vero *judiciis*, sive *quæstionibus*, olim ipse populus præfuit, qui ad ea exercenda *quæsitores* (*m*), vel dictatorem (*n*) creabat: de servis vero & infimæ sortis hominibus *triumviri capitales* (*o*) judicabant; ædiles de rebus ad suum munus pertinentibus (*p*). Sed, cum auctis immensum Romanorum opibus non minus, ut fieri amat, augerentur scelera, circa a. u. 605. constitutum est, (*q*) ut duo quidem prætores, urbanus scilicet & peregrinus, consuetam jurisdictionem in caussis privatis obirent; quatuor vero reliqui capitalium criminum quæstiones a senatu pro temporum statu decretas exercerent: quæ quæstiones *perpetuæ* sunt dictæ, tum quod lege certa quædam forma iis esset præscripta, ita ut nova semper lege, sicut antea, opus non esset; tum quod prætores *perpetuo* (*r*), sive *toto* anno, has quæstiones exercerent; nec populus, ut antea, extra ordinem quæstores ad eas exercendas crearet.

Pri-

(i) *C. ad fam.* X. 12. *Vid. Spanh. de us. & præstant. numism. diss.* X. p. 119. (k) *Cic. Phil.* II. 33.
(l) *Gell.* XIII. 5. (m) *Virg. Æn.* VI. 432.
(n) *Liv.* IX. 26. (o) *Plaut. Amph.* I. 1. 3. & *Aulul.* III. 2. 2. & *Asin.* I. 2. 5. (*Gell.* III. 3. *f. Vid. Pignor. de serv.* p. 25.) (p) *Tit. ff. de ædil. ed.*
(q) *Cic. in Brut. c.* 27. (r) *Terent. Heaut.* I. 2. 20.)

Primæ quæstiones perpetuæ fuerunt de *repetundis*, de *ambitu*, de *majestate*, & de *peculatu*. L. Sulla iis adjecit quæstiones de *falso*, (quod judicium etiam adversus *monetarios* fuit, (*s*) sive adversus *adulteratores monetæ*, ut vocantur in *L. 16. §. 9. ff. de pœn.*) de *sicariis*, de *parricidis & veneficis*. Mox etiam plures aliæ promanarunt, ut de *corrupto judicio* (*t*), de *vi publica*, vel *privata*, &c. Sed etiam sic extra ordinem aliquando populus, vel etiam senatus, (ut in caussa *Silani* repetundarum rei (*u*)) de criminibus cognoscebat, vel quæsitores dabat: ut, si res atrox esset, veluti in caussa *Milonis*, qui Clodium infecisse dicebatur: vel, si nova; ut cum ipse ille Clodius sacra *Bonæ Deæ* violavisset, quando quæstio de *pollutis sacris* decreta fuit; (*x*) de Vestalibus incestus reis (*y*); & sic in similibus. De perduellione, ut jam ante vidimus, ipse populus comitiis centuriatis quærebat.

Quæstionibus a senatu decretis sortiebantur inter se prætores, quæ cujusque quæstio futura esset; nam comitiis incertam dumtaxat jurisdictionem accipiebant. Aliquando autem duo prætores uni quæstioni præerant, quod propter multitudinem criminum in quæstione de sicariis frequens fuit (*z*); aliquando rursus unus de duabus caussis quærebat (*a*). De repetundis aliquando quæsivit prætor peregrinus (*b*), qui ita jurisdictionem & quæstionem simul habebat; & etiam quandoque ex senatus decreto prætor urbanus quæstiones publicas exercebat, de qua re tamen dubitari potest: nam quod Verres in prætura urbana judicium publicum exercuit, contra leges fecit (*c*): denique urbana quoque & peregrina sors junctæ fuisse leguntur (*d*).

Prætor urbanus, ut dixi, reliquis honoratior erat, & etiam *honoratus* κατ' ἐξοχὴν dicebatur (*e*): is enim erat *custos juris Quiritium* (*f*); & ex ejus edi-

(*s*) *L. 8. sequ. ff. ad leg. Corn. de falsis.* (*t*) *Vid. Cic. pro Clu. 54.* (*u*) *Val. Max. V. 8. ex. 3.*
(*x*) *Suet. Jul c. 6.* (*y*) *Ascon. ad Cic. pro Mil. c. 12.*
(*z*) *Cic. pro Cluent. c. 53.*
(*a*) *Cic. pro Cal. c 13. coll. cum eod. ad Quint. fr. II. 3.*
(*b*) *Vid. Asc. in Or. in toga candida in not. 2.*
(*c*) *Vid. in Verr. I. 60. & Hottom. ib. ad 40.*
(*d*) *Liv XXV. 3. XXVII. 36. XXXV. 41.*
(*e*) *Ovid Fast. I. 52.*
(*f*) *Cic. de legib. III. 3.*

edictis prætor peregrinus, (de quo tamen dubitat *Sigonius*) & prætores provinciarum edicta sua efformabant; unde etiam *prætor major* vel *maximus* aliquando est dictus (*g*). Idem juratus ex eo ordine, penes quem judicia eo tempore erant, decurias judicum selectorum conscribebat (*h*); ex quibus tum ipse, tum alii prætores eo anno *concilia judicum* sibi sortiebantur (*i*). Initio magistratus prætor urbanus in albo proponebat *edictum*, sive *formulam*, *juxta quam eo anno jus dicturus esset de rebus jurisdictionem suam concernentibus* (*k*), sive de iis, quæ privato jure Quiritium continebantur, quod jus adjuvandi, vel supplendi, vel corrigendi juris civilis gratia prætores introduxerunt (*l*): & hoc edictum quotannis a prætore ejus anni renovabatur; unde *lex annua* dicitur apud *Ciceronem* in *Verrem I.* 24. & actiones prætoriæ etiam plerumque intra annum vivebant (*m*). Sed cum prætores sæpe propter gratiam & ambitionem varie jus dicerent, & ab edictis suis discederent, a. u. 686. lege *Cornelia*, lata a C. Cornelio tribuno plebis, jussi sunt ex *edictis* suis *perpetuis* jus dicere (*n*). Tempore autem & jussu *D. Hadriani* Imperatoris *Salvius Julianus*, *Didii Juliani* Imperatoris proavus, magni nominis JCtus omnia illa edicta collegit, (*o*) in unum volumen redegit, ac certo ordine disposuit; quod proprie deinceps *edictum perpetuum* & *jus honorarium* est dictum (*p*).

Jurisdictionem suam omnem tribus his verbis prætor exequebatur, scilicet, *do*, *dico*, & *addico*, (*q*) quorum primum tum *dandi judicis* significabat *potestatem*, tum bonorum possessionis, vindiciarum, actionum dationem; secundum, *juris dicendi*, & *sententiæ ferendæ*; tertium, *judicatum faciendi & exequendi*.

Cognoscebat prætor vel *e tribunali*, sive *per decretum*; vel *de plano* (*r*), sive *per libellum* in caussis levioribus. Non autem cognoscebat, nisi *diebus fastis*, qui ita dicti sunt a *fando*; quod tria mox dicta verba iis diebus *fari* liceret (*s*).

Et

(g) *Fest. voc. maximum.* (h) *Horat. Serm. I. 4. 123.* (i) *Vid. Cic. in Verr. I. 61.* (k) *L. 2. §. 10. ff. de or. ju.* (l) *L. 7. §. 1. ff. de just. & jur.* (m) *Pr. Inst de perp. & temp. act.* (n) *Ascon. arg. in or. I. Cic. pro C. Corn.* (o) *Eutrop. VIII. 17.* (p) *L. 2. §. 10. ff. de or. jur §. 7. Inst. de jur. nat. gent. & civil.* (q) *Varro de ling. Lat. V. 42.* (r) *Vid. Sen. de clem. I. 5.* (s) *Ovid. Fastor. I. 47.*

Et hæc quidem omnia libera republica ita obtinuerunt; sed extremis imperii temporibus nihil fere præter ludorum curam prætoribus est relictum (t): unde *Boethius* (u) de prætoribus sua ætate verba faciens eleganter *præturam* vocat *inane nomen*, *& senatorii census gravem sarcinam*: omnia enim eorum munia in præfectum prætorio, qui Cæsaris magistratus erat, sunt translata, populari magistratu a magistratu Cæsaris possessione deturbato (x).

CAPUT V.

De Ædilibus.

§. I. *Ædilium nomen, origo, & differentia.*

ÆDiles dicti sunt, vel quod *ædes* publicas privatasque *curarent* (a); vel, quod plebiscita in *æde Cereris* asservarent (b). Fuerunt autem triplices: ædiles nempe *plebeji*, *curules*, & *cereales*, diversis temporibus instituti.

Plebeji ædiles primum creati sunt eodem tempore, iisdemque comitiis, quibus tribuni plebis (de quibus mox dicemus) a. u. scilicet 260. comitiis curiatis: unde etiam *collegæ tribunorum dicuntur*. Jam enim, post ingentem seditionem, & secessionem plebis in montem sacrum, reconciliatis ordinibus plebs petiit, ut sibi liceret binos viros quotannis creare, qui tribunis plebis velut administri (c) & adjutores essent; & eas causas *judicarent*, quas ipsi (tribuni) iis commisissent (d): unde etiam judices aliquando sunt dicti. Creati sunt initio quidem, ut diximus (e), comitiis curiatis; sed post legem Publiliam, ut reliqui Magistratus minores, comitiis tributis.

A. u. 387. cum senatus post communicatum cum plebe consulatum propter ordines in concordiam redactos diem unum ludis maximis adjiciendum censuisset, (f) recusantibus id munus ædilibus plebis, conclamatum est a patriciis adolescentibus, se id honoris deum immortalium causa libenter acturos, ut ædiles

(t) *Juven.* XI. 193. (u) *De cons. philos.* III. *Prosa.* 4.
(x) *Vid. Scaliger. Epist.* 183. (a) *Varro de ling. Lat.* IV. 14.
(b) *L.* 2. §. 20. *ff. de or. jur.* (c) *V. Dion. Hal.* VIII. 35.
(d) *Id.* VI. 90.
(e) *Sect.* I. *c.* 8. §. 1. 2. (f) *Liv.* VI. 42.

les fierent; atque ita duo etiam ex patriciis ædiles creati sunt: sed sequenti statim anno hic quoque magistratus cum plebe est communicatus (g). *Curules* autem hi postremi sunt dicti, quia sella *curuli*, toga prætexta, jure imaginum æque ac magistratus majores utebantur; quæ omnia ædilibus plebis negata sunt.

Denique a. u. 709. Julius Cæsar duos ædiles addidit; qui, quod annonam curarent, *Cereales* a *Cerere* frugum dea præside sunt dicti (h); & semper ex patriciis sunt creati.

§. II. *Ædilium munera.*

Munus ædilium his paucis verbis describit *Cic. de legib.* III. 3. *suntoque ædiles curatores urbis, annonæ, ludorumque solemnium; ollisque ad honoris amplioris gradum is primus adscensus esto.*

Primum itaque horum magistratuum *munus* fuit *cura urbis*, (unde Græcis ἀστυνόμοι, quasi *urbis legislatores* dicas, sunt appellati) ad quam spectarunt sequentia: *primo*, ut ædificia publica, templa scilicet, basilicas, porticus, aquæductus, &c. tuerentur & curarent, præsertim vacante censura (i); tum etiam privatorum ædificiorum curam gererent, ne scilicet ruinosa essent, & ita deformitas urbi, transeuntibus periculum crearetur. *Secundo*, curabant, (k) ut loca publica, balnea, puta, cloacæ, (quæ inter præcipua opera erant magnitudinis Romanæ (l)) &c., præcipue autem viæ mundæ essent (m); & eos, qui hac occasione deliquissent, mulctabant. *Tertio*, luxum, petulantiam (n), fornicum & popinorum libidines coercebant, & peculiarem quamdam in meretrices jurisdictionem exercebant (o). *Quarto* incendia curabant; quod munus ab Augusto Imperatore primum iis impositum videtur (p). *Quinto*, funerum aliorumque minutorum rituum conservatio penes eos erat (q). *Sexto*, curabant, ne quis animal, quod nocere posset, (ursum forte, vel aprum) in publico haberet

(g) *Id.* VII. 1. (h) *Leg.* 2. §. 32. *ff. de or. jur. Suet. Jul. c.* 41. *Dio lib.* XLIII. *f.* (i) *Sex. Jul. Frontin. de aqued. Rom.* 11. 1656. *T.* IV. *Ant. Grev.* (k) *Vid. omn. L. un. ff. de via publ.* (l) *Dion. Hal.* III. 57. (*Liv.* I. 56.)
(m) *Plaut. Stich.* II. 2. 28. & *Trucul.* II. 7. 5.
(n) *Gell.* X. 6. (o) *Senec. de vita beat. c.* 7. *Lips. ad Tacit. Annal.* II. 85. (p) *Dio lib.* LIV. (q) *Cic. Philipp.* IX. 7. (& ex 1. edit. *Ovid. Fastor.* VI. 663.)

ret (*r*). *Septimo* denique prospiciebant, ne dii, vel sacra peregrina in urbe colerentur (*).

Secundum munus ædilium fuit *cura annonæ*: unde, quod hanc partem attinet fere similes (*s*) fuerunt iis, quos Græci ἀγορανόμυς vocant (*t*). Itaque omnes res in foro venales inspiciebant & æstimabant; merces improbas jactabant (*u*); pondera & mensuras iniquas frangebant (*x*); unde forte etiam fœneratores coercere potuerunt (*y*); animalia & mancipia morbosa & vitiosa redhiberi curabant (*z*); jus de his rebus dicebant; mulctas delinquentibus imponebant (*a*); edicta concipiebant & proponebant, quæ etiam pars juris honorarii fuerunt (*b*). Sed hoc postremum tantum ædilium curulium fuisse videtur, sicut titulo Digestorum de *ædilicio edicto* docemur.

Tertium denique ædilium *munus* erat *cura ludorum solemnium* (*c*), ut Romanorum aliorumque statorum (*d*); non vero privatorum, quales erant ludi funebres, votivi, & similes; sed & hoc præcipue ædilium curulium erat, ut ex eorum institutione patet. Fiebant autem hi ludi immani sumptu ad insaniam usque; unde demum ex provinciis pecuniam ad eam rem colligebant, viam sibi hac munificentia ad altiora sternentes (*e*). Hos itaque ludos ordinabant; præmia & pœnas auctoribus distribuebant; *Plaut. Trin. IV.* 2. 147. fabulas agendas examinabant (*f*); unde etiam in reliquos libros aliquid juris iis fuisse videtur (*g*). *Quartum munus* erat peculiare ædilibus plebis, ut scilicet *plebiscita & senatusconsulta in æde Cereris, & postea in ærario adservarent* (*h*); ne consules ea vitiare possent. Cerealium vero ædilium proprium erat frumento publico præesse (*i*), quod antea omnium ædilium erat; & paullo post rursus (*k*) *præfecti*, & *curatoris annonæ* fuit (*l*).

§. III.

( ) *L. 40. seqq ff. de Ædil ed.* (*) (*ex 1. edit. Liv. IV. 30.*)
(s) *Dion. Hal. VI. 90* (t) *Plaut Capt. IV. 2. 44.*
(u) *Facete idem Rud II. 3. 47.* (x) *Juven. X. 101. Pers. I. 130.* (y) *Vid. Liv. X. 23.* (z) *Tot. tit. de Ædil. edict.*
(a) *Diarium vetus apud Pigh Ann. ad a. u. 585.*
(b) *§. 7. Inst. de jur. nat. gent. & civ.*
(c) *Cic. de leg. III 3.* (d) *Id. in Verr. V. 14.*
(e) *Vid. eumd. Offi. II. 16. seq.* (f) *Didascaliæ comœdiarum Terentii.* (g) *Tac. Annal. IV. 35.*
(h) *L. 2. §. 21. ff. de or. jur. Liv. III. 55.* (i) *d. L. 2. §. 32.*
(k) *Tacit. Annal. I. 7.* (l) *Vid. Dionem lib. LIV. init.*

§. III. *Insignia Ædilium, & quædam alia.*

Ædilium curulium *insignia* fuerunt præcipue sella curulis, & toga prætexta: tum etiam habebant jus imaginum, & antiquiorem in senatu sententiæ dicendæ locum (m).

Licet autem ædiles populi Romani magistratus essent, tamen nec vocationem (n), nec prehensionem habebant, nisi jussu tribunorum plebis, & hinc etiam a privato in jus trahi poterant: nec lictoribus, vel viatoribus utebantur; sed servis duntaxat publicis. Tamen ædiles plebis etiam sacrosanctos fuisse, ex *Catone* adfirmat *Festus*, voc. *sacrosanctum*; quod ita intelligendum videtur, ne quis eos impune injuria lædere posset (o). Etiam municipia ædiles suos habebant (p), qui *quinquennales* sunt dicti (q), & censorum vicem obiisse videntur; quamquam in quibusdam municipiis, *Arpinis* exempli gratia, (r) nulli alii magistratus crearentur: eamque dignitatem honestissimorum Romanorum filii in municipiis, unde orti essent, exercebant, ut *Marcus* & *Quintus* Ciceronum filii Arpinis. Quia autem, ut dixi, nulli alii magistratus in istis municipiis crearentur, hinc *summos ædiles* eos dicere censetur *Juvenalis*, *Sat*. III. 179. Durasse hic magistratus, ut plures alii, videtur ad tempora Constantini Magni; licet forte aliqua interdum mutatione.

CAPUT VI.

De Tribunis Plebis.

§. I. *De nomine & origine Tribunorum Plebis.*

QUidquid de etymo vocis *tribunus* sit, constat (a) in genere *curatorem*, vel *præfectum* alicui rei ea voce significari, unde dicti sunt *tribuni militum*, & *tribuni ærarii*, (qui ita sunt vocati, quod quæstori stipendium militum adnumerarent) (b)

(m) *Cic. in Verr. V.* 14. (n) *Gell. XIII.* 12.
(o) *Vid. omnino Liv. III.* 55. (p) *Juven X.* 102. *L.* 30. §. 1. *D. locat. cond.* (q) *Spartian. Hadr. c.* 19. *& ibi Casaub. & Salmas.* (r) *Cic. ad fam. XIII.* 11.
(a) *Vid. Voss. Lexic. etymol.*

(*b*) & postea sub Imperatoribus *tribuni voluptatum* (*c*), *matrimoniorum*, *scholarum* (*d*), &c. Sed præ his omnibus eminuerunt *tribuni plebis* occasione, quæ sequitur, creati.

Cum plebeji homines per continuas expeditiones militares, quibus rem suam familiarem curare prohibebantur, multum æris alieni contraherent, & sæpe a creditoribus, quando solvendo non essent, in servitutem abducerentur (*e*), hanc injuriam ulterius non ferentes sæpius a patribus hujus mali levamen petierunt: sed sæpius elusi, tandem auctore *Sicinio* quodam viro strenuo a. u. 259. in *sacrum montem* trans *Anienem* fluvium secesserunt (*f*); nec ante in urbem reversi sunt, quam patres debitorum remissionem, & nexorum solutionem iis promisissent, & plebi concessissent, ut ad defensionem sui lege sacrata proprios quosdam magistratus sibi crearet (*g*); qui *tribuni* dicti videntur, quod ex *tribunis militum* primum sint facti.

§. II. *Ritus quidam tribunicii*.

Creati sunt primo *tribuni* plebis curiatis comitiis duo: inde a. u. 283. lege Publilia comitiis tributis quinque (*h*). Anno demum 297. decem tribuni creari cœperunt, bini videlicet ex singulis classibus (*i*), quamquam *Cicero* dicit, primum duos fuisse creatos; postero autem anno auspicato decem, comitiis centuriatis (*k*). His comitiis præerat unus ex tribunis plebis sorte ductus. Quod si comitia dirempta essent, antequam decem forent creati, reliqui a collegio cooptabantur: verum hoc a. u. 305. lege *Trebonia* abrogatum est, qua

(b) *Varro de ling. Lat. IV. 35. Ascon. ad Cic. Or. in Verr. I. 13.* (c) *Cassiod. Var. VII. Ep. 10. & XII. 24.* (Non possum hic ex Ursati Comment. de notis explicationem notæ TRIB. VOLUP. non brevissime addere: „*Tribunum voluptatum ludis* „*Romæ ac voluptatibus P. R. præfuisse, notum ex L. XV. Cod.* „*Theodos. l. 13. tit. de scenicis. Verum numquid ille idem fuerit,* „*ac qui a* voluptatibus, *a Tiberio institutus, multi ambigunt.* „*Vid. Sueton. c. 42. Tribunum hunc magni æstimatum, constat* „*ex Cassiodoro, Var. VII. Ep. 10. ubi formula tribunatus volu-* „*ptatum hæc est: &c.*") (d) *L. un. C. de com. & trib. schol. L. 8. C. de erogat. milit. ann.* (e) *Liv. II. 23.*

(f) *Ib. 32.* (A. u. 260. & redierunt a. 261. ut satis docet Liv. III. 30. & sic Dionysius.) (g) *Ib. 33.* (h) *Ib. 58.*

(i) *Id. III. 30.*

(k) *Cic. Or. I. pro Corn. p. 968. ed. Græv.*

qua cautum fuit, ut, qui plebem Romanam tribunos plebei rogaret, is usque eo rogaret, dum decem tribunos plebei faceret (*l*). Lex etiam fuit antiqua, ut tribuni, qui successores sibi in annum sequentem non creassent, vivi cremarentur, si credimus *Valerio Maximo* levis auctoritatis scriptori (*m*). Quia autem primi tribuni plebei IV. idus Decembris magistratum inierunt, idem deinceps reliquis solemne fuit. (*n*) Creati sunt tribuni semper (*) ex plebe, & primis quidem temporibus saepe ex infima; neque ex patriciis, nisi adoptione ad plebem transiissent, (*o*) aut ex senatoribus, quamvis plebejis, creari poterant: nec in senatum ipsis aditus erat, sed ante valvas curiae in subselliis sedebant; (*p*) unde ea, quae in senatu agebantur, intelligere poterant: & tamen senatum poterant habere. Postea vero cautum fuit *Atinio*, ut videtur, plebiscito (ad a. u. 623. *Pighius* Atinii tribunatum refert) incertum tamen quo tempore, ne quis, nisi senator plebejus, tribunus plebis crearetur (*q*).

§. III. *Munus Tribunorum plebis.*

De his tribunis plebis ita loquitur *Cicero de legib. lib. III. Plebs, quos pro se contra vim auxilii ergo creassit, tribuni ejus sunto; quodque ii prohibessint, quodque plebem rogassint, ratum esto. Cum patribus, populoque agendi jus habento; iidemque ad plebem, quod censuerint, ferunto. Sanctique sunto; neque plebem orbam tribunis relinquunto*. Et haec quidem ita *Ciceronis* tempore obtinuerunt: sed initio institutionis eorum unicum ipsis munus erat plebi contra patricios & magistratus auxilio esse (*r*); ita ut eorum potestas in *prohibendo* tantum (*s*), non item in *agendo* consisteret: (*t*) unde etiam primis temporibus pro magistratibus habiti (*u*) non sunt (neque etiam vestem praetextam habebant (*x*)) sed potius pro impedimento magistratuum (*y*); ve-

(l) *Liv. III 65.* (m) *Val Max. VI. 3. ex. 2. Liv. III. 55.*
(n) *Dion. Halic. VI. 89. Plut. Quaest. Rom. 80.*
(*) (Hoc nimis generale: neque sequentia solum contra dicunt, sed & Liv. III. 65.) (o) *Vid. Suet. Jul. c. 20.*
(p) *Val. Max. II. 2. ex. 7.* (q) *Vid. Lips. Elect. II. 13.* (Et Oisel. ad Gell. XIV. fin.) (r) *Liv. II. 35.*
(s) *Vid. Dionys. Halic. VII. 52. Plut. Cat. Min. p. 768. F.*
(t) *Gell XIII. 12.* (u) *Plut. Coriol. p. m. 221. B.*
(x) *Id. Quaest. Rom. 80. sive p. 283.* (y) *Liv. II. 56.*

verum postea vulgo magistratus dicti sunt (z). Itaque supplicem a judicio & vinculis liberare poterant (a); & propterea ædes eorum dies noctesque patere debebant (b): nec extra urbem iis pernoctare fas erat (c), (neque etiam ullam illic potestatem habebant) (d) nisi feriis Latinis; vel, si aliquo reipublicæ causa proficisci juberentur: (e) quin nec mœnia quidem egredi iis licebat, si fides *Appiano Civil. II. pag. 736. ed. Tollii*. Poterant præterea SCtis, & omnium omnino magistratuum actis intercedere verbo illo solemni, *Veto* (f); cujus tanta vis erat, ut, qui non paruisset, sive ille privatus, sive magistratus esset (g), extemplo per viatorem in carcerem duci juberetur, (quemadmodum etiam apud *Lacedæmonios Ephori*, quibus in multis rebus similes erant tribuni plebis, poterant reges in carcerem conjicere (h)) vel ad populum violatæ *sacrosanctæ potestatis* reus ageretur: erant enim tribuni plebis *sacrosancti* (i); ita, ut si quis re, vel verbo eos læsisset, *sacer*, hoc est, *detestabilis* esset, ejusque bona publicarentur. Quomodo autem vox *sacer scelestum & execrandum* notet, eleganter deducentem vide summum *Perizonium*, *Not. ad Sanctii Minerv. pag. m. 759.* Si non intercessissent SCto, litera T. subscribebatur (k), ut ita *tribunos* quoque censuisse indicaretur: si intercessissent, *senatus auctoritas* (l) (ut ita tamen, quid senatus censuisset, constaret) dumtaxat perscribebatur. Unus etiam ex collegio acta reliquorum intercessione sua impedire poterat; (*) eoque auxilio patres adversus plebem sæpe sunt usi. Etiam in caussis civilibus aliquando intercedebant; licet hoc iniquissimum esse pronunciet *Cicero* (m). (n) Sed postea longe majorem potestatem sibi usurpare cœperunt, fiducia præsertim sacrosanctæ illius potestatis: itaque non tantum omnia, quæ ipsis non pla-

(z) *Vid. omnino Man. ad Cic. Fam. I. 7. not. ad Sallust. Jug. 41. 337. ed. r. Wasse. Cic. pro Quinct. c. 20. & ad Att. III. 23.* (a) *Vid. Gell. Noct. Attic. VII. 10.* (b) *Plut. l. prox. d.* (c) *Gell. XIII. 12. App. Alex. Civ. II. p. m. 447.*
(d) *Dion. Hal. VIII. 87. Gell. III. 2.* (e) *Vide exempl. apud Liv. XXIX. 20.* (f) *Liv. VI. 35.*
(g) *Id. IV. 26. VII. 3. IX. 34.*
(h) *Nepos, Pausan.* (i) *Liv. II. 33. (& III. 55.)*
(k) *Val. Max. II. 2. ex. 7.* (l) *Vid. sup. sect. I. c. 2. §. 6.*
(*) (*Vid. unum Liv. VI. 35.*)
(m) *Philipp. II. 2. Vid. eumd. Acad. quæst. 4. 30.*
(n) *Vid. Liv. IV. 48. Dion. Hal. IX. 5.*

placuerant, rescindebant; tributorum collationes, militumque delectus prohibebant; at etiam senatus, (quod primo factum a. u. 297.) (o) populique comitia pro arbitrio cogebant & dissolvebant; leges, sive plebiscita quæcumque promulgabant: quæ primo quidem solam plebem obligabant, at post legem *Horatiam* (p) latam a. u. 304. & legem *Hortensiam* latam a. u. 466. universum populum obligare cœperunt (q). Agros denique, vectigalia (r), pecunias publicas, povincias, & imperia (s) magistratibus quibusvis pro lubitu dabant, vel adimebant; quæ omnia fiebant prætextu tuendæ libertatis: atque ita, dum potestate justis de caussis primum iis data abutuntur, maximarum in republica turbarum sæpe auctores fuerunt: quod jam queritur *Cicer. de leg. III. 9.*

§. IV.

At L. Sulla optimatium partibus addictus, cum rempublicam armis oppressisset, eorum potestatem valde minuit, (t) imo fere sustulit (u) lege lata a. u. 672. *ne qui tribunus plebis fuisset, alium deinceps magistratum caperet; neve iis jus esset concionandi, vel leges ferendi; neve ad eos provocaretur:* sed solam & nudam *intercessionem* ipsis reliquit (x). Verum a. u. 679. Cotta consul jus magistratus capiendi iis restituit (y); & reliqua omnia a. u. 683. *Pompejus Magnus* (z); atque ita hæc potestas usque ad Julium Cæsarem perstitit.

Demum a. u. 730. in Augustum, & reliquos deinceps Imperatores SCto *tribunicia potestas* est translata (a): licet tamen etiam tribuni plebis crearentur; quippe quibus Augustus concessit, ne ante in jus vocarentur, quam magistratu abiissent (b): & sub Tiberio, *qui ea simulacra libertatis senatui præbebat*, etiam jus intercedendi habuerunt (c). Temporibus vero Nervæ & Trajani Imperatorum dignitas

(o) *Dion. Hal. X.* 31. (p) *Liv. III.* 55. (*a. u.* 306.)
(q) §. 4. *Inst. de jur. nat gent & civ.* (r) *Tac. Annal. XIII.* 50. (s) *Vid Svet. Jul c. 11. 22. 25. 28.*
(t) *Dion Hal. V. c. ult.* (u) *App. Alex. Civil. II.* 445.
(x) *Epit. Livian.* 89. *Cæsar de bell. Civil. I.* 5. & 7.
(y) *Ascon. ad orat. pro Corn. I.* (z) *Cic. in Verr. I.* 23.
(a) *Svet. Aug. c.* 27. *Tac. Annal. III.* 56.
(b) *Dio in Excerpt. Peiresc. p.* 664. & *ibi Vales. p.* 63.
(c) *Tac. Annal. I.* 77. & *vid. eumd. XIII.* 28, *ubi tamen jus eorum imminutum est.*

tas eorum nihil aliud fuit, nisi inanis umbra, & sine honore nomen (*d*); atque hoc ita ad Constantini Magni tempora in republica remansisse videtur, cum postea nulla amplius eorum mentio occurrat.



CAPUT VII.

De Quæstoribus.

§. I. *Quæstorum nomen, origo, & numerus.*

QUæstores dicti sunt a *quærendo*, quod *conquirerent* pecunias publicas & maleficia, quæ postea triumviri capitales conquisiverunt (*a*). Fuerunt autem triplices, *quæstores* nempe *urbani*, sive *ærarii*; *provinciales*, sive *militares*; & *quæstores parricidii*, sive *rerum capitalium*: sed hi postremi ad hunc locum non pertinent.

Origo quæstorum antiquissima censeri debet (*b*), & forte sub Romulo, vel Numa, certe sub Tullo Hostilio jam Romæ fuerunt; sed qui ab ipsis regibus crearentur: quemadmodum etiam primis consulibus ad a. u. 307. usque jus quæstores sibi creandi tribuit *Tacit. Annal. XI.* 22. Alii vero dicunt statim post reges exactos lege *Valeria* duos quæstores a populo creatos fuisse (*c*), qui ærario præessent. Postea a. u. 333. (& tum etiam permissum est, ut ex plebe creari possent) duo sunt additi (*d*), qui consules ad exercitum sequerentur; & ad ministeria belli iis præsto essent. A. u. 498. universa jam Italia subacta, quatuor etiam quæstores sunt adjecti (*e*), qui per quatuor Italiæ regiones (quæ erant *Ostiensis*, *Calena*, *Umbria*, & *Calabria*) reditus & vectigalia populi Romani curabant. Sulla quæstorum numerum ad viginti auxit (*f*): a Julio Cæsare vero quadraginta sunt facti (*g*); ut ita aliqua ratione præstaret, quæ multa multis promiserat; quorum quidam a popu-

(d) *Plin. Epist. I.* 23.

(a) *Varro de lingu. Lat. IV.* 14. (b) *L. un. pr. D. de offic. quæst* (c) *Plut. Poplic. p.* 103. *Dion. Hal. V.* 34.

(d *Liv. IV.* 43. (e) *Ejusd. epit.* 15. (f) *Tacit. Annal. XI.* 22. (g) *Dio XLIII. p.* 356. *ed. reg. a.* 1548.

populo, quidam ab Imperatore creati videntur (*h*): sub ceteris Imperatoribus numerus eorum incertus & arbitrarius fuit. Ex his omnibus duo sortiebantur *curam ærarii*, qui *urbani* sunt dicti; reliqui vero *quæstores provinciales*, sive *militares* dicebantur.

§. II.

Urbanorum quæstorum munus præcipuum fuit *cura ærarii publici* (*i*), quod erat in æde *Saturni* (*k*): quia aurea ætate sub regno Saturni, neque avaritia, neque mala fides locum habebat (*l*). Itaque pecuniam publicam accipiebant, expendebant, & in tabulas accepti & expensi referebant; leges & Senatusconsulta custodiebant (*m*); signa militaria ex ærario ad consules in expeditionem ituros mittebant (*n*); prædam ex hostibus captam (*o*), & damnatorum bona subhastabant, & vendebant (*p*); legatos exterarum gentium excipiebant (*q*), deducebant, hospitia ipsis adsignabant (*r*). Præterea imperatores a bello redeuntes apud ipsos jurare debebant (*s*), se verum numerum hostium & civium occisorum ad senatum scripsisse, ut ita triumphus iis decerni posset. Denique jurisdictionem quamdam exercuerunt, ut, e. g. inter scribas suos (*t*).

§. III. *Provincialium Quæstorum munus.*

Provincialium quæstorum munus erat consules, vel prætores in provincias, quas sortiti erant, comitari; ut stipendia & annona exercitui suppeterent, curare; vectigalia, tributa, (*vectigalia* proprie immobilia, *tributa* mobilia, & capita spectarunt (*u*)) frumentum publicum exigere, manubias vendere (*x*), & omnium rationem ad ærarium referre (*y*); exquirere, si quid reip. deberetur, vel in commissum venisset; (*z*) pecuniam mili-

D tum

(h) *Vid. Pigbii Annal. ad a. u. 692.*
(i) *Ascon. ad Verrin. III. 4.* (k) *Suet. Claud. c. 24.*
(l) *Plut. Quæst. Rom. 40. 275.* (m) *Suet. Aug. c. 94.*
(n) *Liv. III. 69. VII. 23.* (o) *Dion. Hal. VII. 63.*
(p) *Gell. XIII. 24.* (q) *Plut. Quæst. Rom. 42.*
(r) *Val. Max. V. 1. 1.* (s) *Id. II. 8. 1.*
(t) *Plut. Cat. Min. p.m. 766. B.* (u) *Vid. Lips. de magn. R. II. 2.* (Cujac. Obs. VII. 4. Sigon. de ant. jur. civ. R. I. 16. & L. Bos ad Th. Mag. voc. φόρος, τέλος.
(x) *Plaut. Bacchid. IV. 9. 107.* (y) *Vid. Cic. in Verr. II. 8.*
(z) *Suet. Domit. 6. 7. Veget. II. 20.*

tum privatam apud signa depositam custodire (a); jurisdictionem a præsidibus suis mandatam exercere (b). Quod si præsides ante adventum successoris sui provincia decessissent, munus eorum quæstores obibant (c). Et maxima necessitas inter quæstorem & suum præsidem intercedebat; ita ut hic illi parentis loco esset (d). Si autem mortuo quæstore alius præsidii quæstoris loco esse incepisset, hic *pro quæstore* esse dicebatur (e).

§. IV. *Alia quædam de Quæstoribus.*

Urbanus quæstor nec lictorem, nec viatorem habebat; quia non habebat vocationem, vel prehensionem (f); licet concionis convocandæ jus haberet (g): militari vero, sive provinciali quæstori sui lictores adfuisse videntur, saltem absente prætore (h). Erat autem hic primus honoris gradus (i); nam *quæsturæ fides, ædilitatis magnificentia, præturæ diligentia & integritas viam ad consulatum sternebant* (k). Poterat geri quæstura circa annum vigesimum sextum, vel vigesimum septimum ætatis (l), quique hoc magistratu functus erat, in senatum venire poterat, licet ipse senator nondum lectus esset (*). Sub Imperatoribus quæstura varie abrogata, vel restituta est (m); &, quod curam ærarii quidem attinet, ei a. u. 725. binos prætores præfecit Augustus (n); sed eam curam quæstoribus, & quidem triennalibus (o), reddidit Claudius (p): post alias vero mutationes rursus præfecti e prætoriis constituti sunt (q). Procedentibus demum temporibus aliud genus quæstorum exortum est,

(a) *Suet. Jul. c. 7.* (b) *Cic. ad fam. II. 15. & 18.*
(c) *Id. Div. in Verr. c. 19.* (d) *Id. ad fam. XIII. 10. & 26. & pro Planc. c. 11.* (Corn. Nep. in Vit. Cat. c. 1.)
(e) *Cic. Verr. I. 36.* (f) *Gell. XIII. 12.*
(g) *Dion. Hal. VIII 77.* (h) *Vid. Cic. pro Pl. c. 41.*
(i) *L un. §. 3. D. de off. quæst.* (Ita tamen, ut ante vigintiviratum capessere debuerint, vid. Tac. Ann. III. 29.)
(k) *Vid. Cic. Philipp. XI. 5.* (l) *Licet non satis constet. Vid. h. sect. c. 1. §. 3.* (& nos ad pag. 14.)
(*) (Ex 1. ed. Gell. III. 18.) (m) *Vid. omnino Tacit. Annal. XIII. 29.* (n) *Dio lib. LIII. vid. Suet. Aug. c. 36.*
(o) *Inscript. vet. apud Ruper. ad Pompon. de orig. jur. 8.*
(p) *Suet. in ejus vit. c. 24. Dio lib. LX.* (Ex 1. edit. Gell. . 24. ubi vid. Gronov.)
(q) *Vid. Plin. III. Epist. 4. Capit. Anton. Phil. c. 9. & in* .. 4.

est, qui dicebantur *quæstores*, vel *candidati principis* (r), vel *Augusti*; & libellos ejus in senatu recitabant (s). Inde postea orti sunt quæstores palatii (t), qui cum hodiernis cancellariis fere conveniunt; & in aula *Constantinopolitana οἱ μεγάλοι λογοθέται* sunt dicti.

§. V. *De aliis Magistratibus minoribus ordinariis.*

Fuerunt & alii *magistratus minores ordinarii*, ut *triumviri capitales*, qui de infimæ sortis hominibus judicabant (u), & aliquando etiam alios damnatos pœna capitali affici curabant (x). *Triumviri monetales*, sive *auro*, *argento*, *æri*, *flando*, *feriundo*; quod in monumentis priscis his notis, seu literis singularibus denotatur, *A. A. A. F. F.* Ab his diversi fuerunt *nummularii*, ad quos nummi probandi causa deferebantur (y); eosque *pecuniæ spectatores* vocat *Donatus ad Terent. Eun. III.* 5. 18. Δοκιμαστὰς dicit *Menander p.* 134. *ed. H. Steph. a.* 1569. Præterea fuerunt *triumviri nocturni*, qui incendia curabant (z), & vigilias circumibant (a): *triumviri valetudinis*, *quatuorviri viales*, & multi alii similes; quales magistratus multos instituit Augustus (b), & qui recensentur ab *Onuphrio Panvinio*, *de civit. Rom. cap.* 58. *& seqq.* Et ex triumviris monetalibus & capitalibus, ac quatuorviris vialibus simul cum decemviris de litibus judicandis componebatur collegium vigintivirorum, de quo *Tacit. Annal. III.* 29. (*) Sed cum horum mentio non adeo frequens occurrat, & magnam partem munus suum ipso nomine denotent, amplior eorum expositio necessaria non videtur: maxime cum hoc præcipuum nobis propositum sit bonarum literarum studiosis eatenus tantum auxilio esse,

Externi ne quid valeat per læve morari,

in optimis auctoribus legendis.

(r) *d. L. un. de off. q. Insc. apud Grut. p.* 352. *n.* 5.
(s) *Tac. Annal. XVI.* 27. (t) *L.* 32. *C. de appell.*
(u) *Plaut. Aul. III.* 2. 2. (x) *Sall. Catil. vers. fin.*
(y) *L.* 39. *ff. de solut.* (z) *Val. Max. VIII.* 1.
(a) *Plaut. Amph. I.* 1. 3. (b) *Suet. Aug.* 37.
(*) (Ubi omnino vid. Lipsius: sic intelligitur locus Cicer. ad Attic. II. 7.)

CAPUT VIII.

De Magistratibus Extraordinariis, & primo de Dictatore, & de Magistro Equitum.

§. I. *De nomine & origine Dictatoris.*

DIctator, Græce Αἰσυμνήτης (*a*), (qui exemplo a Latinis, vel Albanis sumto creatus videtur; nam etiam postea in municipiis Latinis dictatores fuerunt (*b*)) a *dicendo* dictus est; vel, quod a consule *diceretur* (*c*), cui *dicto* omnes audientes essent; vel potius a *dictando*, quod multa *dictaret*, hoc est, *ediceret* (*d*): & *dictum* apud veteres etiam *summum imperium* significat, ut apud *Virg. Æn. VI.* 73. Alio vero nomine *magister populi* (*e*), & *prætor maximus* dicitur (*f*).

Primus apud Romanos dictator *dictus* est (ita enim proprie loquebantur (*g*), licet hoc perpetuum non fuerit (*h*)) T. *Lartius Flavus* a. u. 252. (*i*) vel, ut alii volunt, triennio serius, cum gravissimum bellum a Sabinis & Latinis metueretur, & simul domesticæ seditionis metus ingrueret, quod plebs ære alieno oppressa delectui dare nomen recusaret; ita ut majore imperio, quam esset consulare, respublica indigere videretur.

§. II. *Causæ, ob quas Dictator crearetur.*

Causa igitur, ut vidimus, *creandi dictatorem* prima & præcipua fuit seditionis, aut belli gravioris metus, & hæc initio quidem causa fuit unica (*k*); verum postea alias etiam ob causas dictatores creati sunt, qui tamen etiam belli gerendi haberent potestatem (*l*). Secundo, comitiorum habendorum causa (*m*); tertio, senatus legendi (*n*); quarto, quæstionis exercendæ (*o*); quinto, ludorum instaurandorum (*p*), præsertim ægroto præ-

---

(a) *Dion. Hal V.*73. (Dionysius μόναρχον adpellat, similemque ait veteribus αἰσυμνήταις apud Græcos. *Glossaria Labbei.* Dictator, μονάρχος. ἀντιβολεύς. τιμήτης. ὑπαγορεύων &c.) (b) *Ascon Arg. orat.* Milon. *& Cic ead. orat.* 10.

(c) *Varro de ling. Lat. IV.* 14. (d) *Dion. Hal. l.d. vid. Suet. Jul. c.* 77. (e) *Cic. de leg. III. Sen. Epist.* 108.

(f) *Liv. VII.* 3. (g) *Curius Fortunatianus III.*

(h) *Pompon. L.* 2. §.18. *D. de orig. jur. ad quem vide Rupert.* (i) *Liv. II.* 18. (k) *Vid.* §. *præc.* (l) *Vid. Liv. VI.* 38. *VII.* 3. (m) *Liv. IX.* 7. (n) *Id. XXIII.* 22.

(o) *Id. IX.* 26. (p) *Id. VIII.* 40. *IX.* 34.

prætore; sexto, feriarum constituendarum (*q*); septimo, denique etiam *clavi figendi* causa aliquando dictator creatus (*r*) est; quod ex prisca religione fiebat in dextro latere ædis Jovis pestilentiæ tempore, aut gravi aliquo prodigio nunciato, ut omne infortunium a republica averteretur. Et in genere dictator dicebatur, quoties extraordinario & brevi imperio opus esset (*s*). Creabatur autem, non ut reliqui magistratus, populi suffragiis; sed jubente senatu (*t*) alter consul, quem vellet, ex senatoribus consularibus (*u*) (ordinarie quidem) dictatorem dicebat; idque silente nocte (*x*), & captis antea rite auspiciis. Et etiam absens consul dictatorem dicere poterat; modo in agro Romano, qui Italia terminabatur, esset (*y*). Aliquando tamen populus jubebat, quem dictatorem a consule dici vellet; cujus rei exemplum occurrit a. u. 543. in *A. Fulvio Flacco* (*z*). Sulla etiam & Julius Cæsar comitiis dictatores creati sunt; ille interrege (*a*), hic prætore (*b*) comitia habente. *Prodictator* (*c*) a populo a. u. 536. creatus est *Q. Fabius Maximus Verrucossus*, ille, qui *Cunctator* est dictus. Primus de plebe dictator fuit C. *Marcius Rutilus* a. u. 397. (*d*).

§. III. *Potestas Dictatoria*.

Potestas dictatorum plane regia, imo regia potestate major fuit, unde *αἱρετὴν τυραννίδα*, quasi *eligibilem tyrannidem* dicas, eam vocat *Dion. Hal. V.* 73. quemadmodum etiam *Æsymnetarum* potestatem vocat *Aristoteles Polit.* III. 14. Et *Appianus Alex. Civil. I. num.* 412. dictatorem appellat *τύραννον αὐτοκράτορα*, *tyrannum potestate singulari*. Itaque pacis & belli, & uno verbo omnium rerum arbitrium penes eos erat (*e*); de capite & bonis civis Romani inconsulto populo statuere poterant, idque sine provocatione (*f*) ad a. u. us-

(q) *Liv. VII.* 28. (Vid. Memor. Acad. liter. Paris. tom. VIII. p.305.) (r) *Liv. IX.* 3. (Vid. easd. Memor. pag.300. seqq.) (s) *Vid. Liv. XXX.* 24. (t) *Epit. Liv.* 19.
(u) *Liv. II.* 18. (x) *Id. IX.* 38. (y) *Liv. XXVII.* 5. *VIII.* 23. (z) *Id. XXV.* 5. (Q. Fulvium appellat Livius XXVII.5.) (a) *Cic. Agrar III.*2. (b) *Cæs. Bell. civ.II.*21.
(c) *Liv. XXII.* 8. (d) *Id. VII.* 17.
(e) *Dion. Hal. V.* 74.
(f) *Liv. II.* 29. *vid. etiam Dion. Hal. VI.* 58.

que 304. quo *Horatius*, & *Valerius* consules legem tulerunt, quæ vetabat ullum magistratum sine provocatione creari (*g*); eaque lex a. u. 453. a *M. Valerio* consule tertium lata est (*h*). Dictatore creato omnes alii magistratus exceptis tribunis plebis abdicabant (*i*): ad quod singulare jus demonstrandum viginti quatuor lictoribus (quod nempe idem juris tenerent, quod duo coss. (*k*)) (*l*) cum fascibus & securibus (*m*) etiam in urbe, & ceteris regum insignibus utebatur, unde eleganter *dictatoris imperium ingenio suo vehemens* vocatur apud *Livium* II. 30.

Sed tamen quibusdam terminis hæc tanta potestas fuit circumscripta: & *Primo* quidem semestris tantum erat, ne diuturnitate potentiæ in tyrannidem verteretur: itaque, si sex mensium spatio negotium, ad quod dictator creatus fuerat, perfectum non esset, tamen dictaturam deponere cogebatur: quod enim bis terve ea prorogata sit, ut in *Camillo* (*n*) & *Papirio Cursore* (*o*) dictatoribus, in summa reipublicæ necessitate fuit factum: nam Sulla & Cæsar vi dictaturam perpetuam invadentes reipublicæ leges palam spreverunt, execrando omnibus, quotquot in libera republica nasci contigit, exemplo. Imo statim sublata causa, ob quam creati erant, sæpe se abdicarunt (*p*). *Secundo*, nihil pecuniæ publicæ impendere poterant, nisi senatus aut populi jussu. *Tertio*, non licebat iis cum imperio extra Italiam ire, quod semel tantum libera republica, sed summa necessitate urgente, violatum est in *Atilio Calatino* (*q*). *Quarto*, equum adscendere dictatori, nisi ad bellum ituro, vetitum fuit; quod tamen Fabio Maximo honoris causa concessum est (*r*): itaque ad populum ferre solebat, ut equum adscendere liceret (*s*). Atque his rebus effectum est, ut per totos trecentos & plures annos nemo hac tanta potestate abusus sit.

(g) *Liv. III. 54. seqq. Fest. voc. Optima lex; qui locus est notissimus.* (h) *Liv X. 9.* (i) *Polyb. III. 87. Plut. libro, qui Amatorius dicitur, p. m. 768.* (k) *Cic. de legib. III. 3.*
(l) *Plut. Fab. p. m. 176. A. & vid. Lips. Elect. I. 23.*
(m) *Liv. II. 18. Dion. Hal. V. 75. & X. 24.*
(n) *Liv. VI 1. Plut. Camill. p. m. 144.*
(o) *Vid. Pigh. ad a. u. 429.* (p) *Liv. III. 29. & IV. 29.*
(q) *Liv. Epit. 19.* (r) *Plut. ejus vita, p. m. 175.*
(s) *Liv. XXIII. 14.*

fit (*t*); donec L. Cornelius Sulla a. u. 672. per centum & viginti annos intermissam dictaturam arripuit, eamque immaniter exercuit, occisis ultra quadraginta civium millibus, multisque rebus inique, & superbissime gestis. Is tamen dictaturam (quam *perpetuam reipublicæ constituendæ causa*, ut ferebatur quidem, nactus erat) deposuit: at, qui in multis ejus exemplum, licet non tanta crudelitate, secutus est Julius Cæsar, ad mortem suam usque eam retinuit (*u*). Itaque eo cæso, lege *Antonii* consulis in perpetuum dictatura e republica est sublata (*x*); & Augustus, cui ea postea fuit oblata, dictatoris appellationem sprevit (*y*).

§. IV. *De Magistro Equitum.*

Dictatori aderat *magister equitum* (Ἱππάρχης (z)) eodem fere modo, quo olim regi tribunum celerum adfuisse diximus: & hic ita dicebatur, quod, sicuti dictator universo populo, sic ille proprie *equitibus* dumtaxat præesset (*a*). Dicebatur autem ab ipso dictatore e consularibus fere, vel prætoriis viris: nisi quod aliquando a senatu, vel etiam a populo datum legimus (*b*). *Munus* magistri equitum erat dictatorem omnibus modis, qua re, quo consilio, juvare, eique obedientem esse. *Insignia* magistri equitum eadem fere fuerunt, quæ prætoris; lictores nempe sex cum fascibus, prætexta, &c. Unus tantum libera republica dictator sine magistro equitum fuit *N. Fabius Buteo* senatui legendo (*) a. u. 537. eodemque tempore, quod numquam alias factum, etiam alter dictator in rep. fuit rei gerundæ causa *M. Junius Pera*: (*c*) & postea idem sibi sumsit Julius Cæsar a. u. 705. (*d*) (Plura qui desiderat, *Jensium* nostrum consulat in *Ferculo liter.* & Abbatem *Couture* in *Historia critica dictatorum*; dummodo ea in lucem prodierit.)

(t) *Dion. Hal.* V. 77. (u) *Suet. Jul.* c. 77. (x) *Cicer. Philipp.* I. 1. (y) *Suet. Aug.* c. 52. (z) *Dion. Hal.* V. 75.
(a) *Vid. Liv.* III. 27. (b) *Vid. Abram. ad Cic Philipp.* II. 29. *Liv.* VII. 12. 24. 28. (*) (A. 536. Vid. insuper quæ notavimus ad pag. 12.) (c) *Liv.* XXIII. 22. (d) *Vid. Fastos.*

CAPUT IX.

De Censoribus.

§. I. *De origine Censorum.*

Censores a quibusdam inter magistratus ordinarios recensentur; sed, cum non perpetuo in republica fuerint, juxta nostram ordinariorum magistratuum descriptionem (*a*), extraordinariis eos potius adnumerabimus. De censu præcedente jam sectione, quod satis est, diximus, qui primo a regibus, postea a consulibus (*b*), qui iis successerunt, vel a dictatoribus actus est (*c*). At cum consules propter negotiorum & libellorum frequentiam vacare censui agendo non amplius possent, ideoque aliquot annis jam census fuisset intermissus, a. u. 310. utilius visum est, peculiares huic rei magistratus creare, qui a *censendo censores* sunt dicti. *Censere* autem primo quidem significat *arbitrari* (*d*), qua notione sumitur, cum senatores in senatu *censere* dicuntur: secundo significat *ἀποτιμᾶν*, sive *censum pro conditione subditorum imponere* (*e*), ut cum regio aliqua *censeri* dicitur: tertio etiam excellentiam quamdam notat; ut apud *Val. Max. V. 3. ex. 3. extr. Aristides, qui totius Græciæ justitia censetur. Sen. Ep. 76.* eleganter: *Id in quoque optimum est, cui nascitur, quo censetur.* Media autem notio huic rei, quam agimus, convenit. Creati semper sunt bini censores, & initio quidem in quinquennium; at a. u. 319. lege Æmilia cautum est (*f*), ut singulis quidem quinquenniis censores crearentur; sed ita, ut potestas tamen eorum annua tantum & semestris esset; quod nempe grave esset, iisdem per tot annos magna parte vitæ obnoxios vivere. Creabantur fere ex spectatissimis consularibus, utique post secundum bellum Punicum; & primo quidem tantum ex patriciis: verum a. u. 402. primus de plebe censor est creatus C. Marcius Rutilus, idem qui primus de plebe dictator fuerat: & paullo post lex lata est, ut semper alter censor de plebe crearetur: imo post a. u. 622. aliquando ambo censores de plebe creati sunt (*g*).

§. II.

(a) *Vid. sup. h. sect. c. 1 §. 2.* (b) *Liv. III. 3. & 22. Dion. Hal. VI. f. IX. 35. Liv. IV. 8.* (c) *Dion. Hal. V. 75.* (d) *Vid. Plaut. Rud. IV. 8. 5. seq.* (e) *Cic. in Verr. II 56.* (f) *Liv. IV. 24. & IX. 33.* (g) *Vid. Liv. Ep. 59.*

§. II. *Munera Censorum.*

Munera censorum ad duo capita præcipua referri possunt, ad *æstimationem* nempe *facultatum*, & ad *æstimationem morum* (*b*). Ad primum caput spectat *census civitatis*, quem peragebant censores in campo Martio sellis curulibus insidentes; ubi per præconem singulas tribus, & ex iis ordine singulos cives citari jubebant (*i*). Hi ad censores accedentes rerum suarum gestarum rationem iis reddere debebant (*k*); tum qua classe, quave centuria censerentur indicare, ut & ætatem suam, uxorem, liberos, familiam, & facultates (*l*): qui incensus mansisset, vel fraude in bonis suis indicandis vel æstimandis (*m*) usus fuisset, virgis cæsus sub hasta vendebatur, bonaque ejus publicabantur quasi ejus, qui se ipsum libertate indignum judicasset (*n*). Cives in coloniis & municipiis a censoribus earum civitatum censebantur (*o*), & qui in provinciis erant a præsidibus earum, ex formula tamen a censoribus urbanis data (*p*); quorum etiam omnium ratio ad censores urbanos referri debebat; ita ut senatus uno quasi intuitu totius imperii opes & statum pernoscere posset: nam hæc omnia in tabulas referebantur; quæ Græc. σανίδες dicebantur (*q*). Præterea pro ratione opum cives in classes & centurias distribuebant; tribus novas, cum opus esset, veteribus addebant (*r*); vectigalia omnia (*s*) locabant: (quique ea redimebant honesti erant ordinis, & plerumque ex equitibus) locare autem ea, nisi Romæ, non licebat: his vectigalibus etiam per provincias leges dabant (*t*), quæ *leges*, vel *tabulæ censoriæ* vocantur (*u*): eæque diligentissime, quasi sacra quædam paterna, posteris relinquebantur (*x*): locabant etiam equos Circensibus præbendos (*y*), & cibaria anseribus in Capitolio (*z*). Opera publica facienda, vel reficienda *redemptoribus* (*a*) & mancipibus locabant: *redemptores* enim dicuntur, qui certa quadam pecuniæ summa accepta

 opus

(h) *Vid. Cic. de leg.* III. 3. (i) *Vid. elegantem locum Varr. de ling. Lat.* V. 9. (k) *Vid. Gell.* IV. 20. (l) *Dion. Hal.* IV. 15. (m) *Senec. Epist.* 95. (n) *Dionys. ib. Liv.* I. 44. *Vid. omn. Cic. pro Cæc. c.* 34. (o) *Liv.* XXIX. 15. (p) *Id. ib. Cic. Verr.* IV. 53. (q) *Theoph. Inst. l.* 5. §. 1. (r) *Liv.* X. 9. & *Epit.* 19. (s) *Cic. Agrar.* 1. 3. & *Famil.* II. 13. (t) *Cic. Verr.* III. 6. (u) *Id. Agrar.* I. 2. (x) *Dion. Hal.* I. 74. (y) *Liv.* XXIV. 18. (z) *Cic. pro Rosc. Amer. c.* 20. *Plin. Hist. nat.* X. 22. (a) *Vid. Fest. voc. Redemptores. Hor. Od.* III. 1. 34. & II. 18. 72.

opus aliquod faciendum suscipiunt, Belgice *Aannemers*, vel *Ondernemers* dicimus; ut, e. g. apud *Plin. Hist. nat.* XXXV. 3. *redemptor tutelæ Capitolii* est, *die aangenomen heeft het Capitool te onderhouden*; & ita etiam accipe *redempturam* apud *Liv.* XXIII. & L. 5. §. 2. *D. de Inst. act. ergolabi* autem vocantur in *L. un. C. de monop.* & labente Latinitate *susceptores* dicti sunt (*b*), quod cum Belgica nostra voce convenit. Tum locatorum præterito lustro sarta tecta exigebant (*c*); sacrificiorum denique publicorum pretia curabant.

Secundum muneris *Censorii* caput fuit *æstimatio morum*: & hinc *censores* etiam hodie vulgo dicimus, *qui aliorum moribus reprehendendis intenti sunt*. Animadversio autem censorum non proprie delicta publica spectabat (*d*), (nam illa legibus & judiciis vindicanda servabantur) sed domestica, & minora; ut si quis, e. g. in prælio, vel alia occasione belli (*e*), se minus fortiter gessisset (*f*); agrum minus diligenter coluisset (*g*); cœlebs sine causa mansisset (*h*); æs alienum sine necessitate contraxisset, &c. (*i*) tum de nulla re diligentius, quam de jurejurando judicabant (*k*). Et hæc animadversio plerumque nihil fere præter ruborem afferebat, ita ut non haberetur pro re judicata (*l*): imo notati judices esse poterant (*m*); &, quia in *nomine* tantum, hoc est, *dignitate* versabatur, *ignominia* proprio nomine est dicta (*n*): quæ nota tamen a sequentibus censoribus rursus tolli poterat (*o*); ac notati iterum ad honores admitti; quin C. Geta, cum a. u. *639.* senatu motus esset, sequente lustro ipse censor factus est (*p*). Notæ autem censorum præcipue fuerunt quatuor. *Prima* erat, cum senatorem aliquem *senatu moverent*; hoc est, *in recitatione catalogi senatorii silentio præterirent* (*q*); qua re se talem pro senatore non amplius habere innuebant. *Secunda* nota erat, cum equiti alicui *equum*

(b) *Justin.* VIII. 3. *Vid. Salmas. de modo usur.* c. 5.
(c) *Liv.* XXIX. 37. (d) *Vid. Val. Max.* II. 9.
(e) *Val. Max.* II. 9. *ex.* 7. (f) *Liv.* XXIV. 18.
(g) *Gell.* IV. 12. *Plin. Hist. nat.* XVIII. 3.
(h) *Val. Max.* II. 9. *ex.* 1. *Fest. voc.* Uxorium. (i) *Vid. Val. Max. l. c.* (k) *Cic. Offic.* III. 31. (l) *Cic. pro Cluent.* c. 42. (m) *Ib. seq.* (n) *Id. de rep.* IV. *apud Non.* 1.
(o) *Id. pro Cluent.* c. 42. (p) *Cic. ib.* c. 42. *Val. Max.* II. 9. 9. (q) *Liv.* XXXIV. 44.

equum publicum adimerent (*r*); si quis scilicet improbis moribus esset, vel equum suum publicum male pastum habuisset, quæ culpa proprie *impolitiæ*, sive *incuriæ* dicebatur (*s*). *Tertio*, quandoque civem aliquem *tribu movebant*, id est, *ex honesta in minus honestam*, *sive ex rustica tribu in urbanam transferebant* (*t*); omnibus enim tribubus neminem movere poterant (*u*), quia scilicet nemini poterant jus suffragii adimere. *Quarta* denique & gravissima nota erat, cum aliquem inter *ærarios* (ἀπεψηφισμένους (*x*) vocant Græci) sive in *Cæritum tabulas* referrent (*y*), hoc est, in *ultimam Classem*; in qua incolæ oppidi *Cære* (qui ob conservatorum bello Gallico sacrorum meritum olim civitate sine suffragio donati fuerant (*z*)) censebantur (*a*); hisque aliquando etiam tributum pendendum augebatur (*b*). Notas has infligere poterant censores etiam ex unius delatione, vel etiam ex propria sua scientia (*c*); nam erant ἀνυπεύθυνοι, sive *reddendis rationibus non obnoxii* (*d*): iisque notis causa adscribebatur (*e*), quæ proprie dicebatur *elogium* vel *subscriptio censoria* (*f*). Et hoc etiam fiebat in senatu motis: quod quidam negant: sed disertissimis verbis affirmat *Liv*. XXXIX. 42. Alter censor alterum in notis infligendis prohibere poterat (*g*); & etiam se invicem poterant notare (*h*).

Ad hanc partem muneris censorii etiam spectavit potestas ferendi *leges sumptuarias*, (quales fuerunt *Fannia*, *Licinia*, aliæque (*i*)) ceterasque ad disciplinam & mores publicos pertinentes. Nisi potius illas leges aliis magistratibus ad populum ferendas dederint (*k*).

§. III. *Ritus quidam Censorii*.

Peculiaria huic magistratui fuerunt, quod eumdem bis censorem creare non liceret (*l*): quia iterata

D 6

(r) *Ovid. Trist.* II. 89. (s) *Gell* IV. 12. (t) *Plin. Histor. nat.* XVIII. 3. (u) *Liv.* XLV. 15. (x) (Vid. Bud. Comm. ling. Græc. n. 208.) (y) *Gell.* IV. 20. *Ascon. ad Cic. Divin. in Verr.* 3. *Horat. Ep.* I. 6. 62. (z) *Liv.* V. 40.
(a) *Gell.* XVI. 3. (b) *Liv.* IV. 24. (c) *Vid. Ascon. ad Or. in Pis.* c. 4. (d) *Dion. Hal. in excerpt. in or. Fabricii ad Pyrrhum*. (e) *Liv.* XXXIX. 42. (f) *Cic. pro Cluent.* c. 43.
(g) *Liv.* XXXX. 51. XLII. 10. XLV. 15. (h) *Val. Max.* II. 9. ex. 6. (i) *Gell.* II. 24. (k) *Vid. Plin. Histor. nat.* XXXV. 17. (l) *Vid. Val. Max.* IV. 1. ex. 3.

terata eorum poteſtas populo oneri futura videbatur: quam legem tulit *C. Marcius Rutilus* a. u. 488. cum ipſe ſecundum cenſor eſſet creatus; unde *Cenſorini* cognomen meruit (*m*). Altero quoque cenſorum mortuo alium ei ſufficere non licebat (*n*); ſed alter etiam ſe abdicare debebat: imo mors cenſoris ominoſa erat, quia ſacroſancti habebantur. Tum, ſecus ac alii magiſtratus, ſtatim ac creati eſſent, magiſtratum inibant (*o*). Antequam munus ſuum auſpicarentur cenſores, jurabant, (*p*) ſe nihil gratiæ vel odio daturos; ſed omnia ſincero animo acturos. Exitu cenſuræ in leges jurabant; & inde in ærarium *eſcendentes* (ita ſæpe apud *Livium* legitur pro *aſcendentes*, ut *effligo* dicunt pro *affligo*; & inde *efflictim* (*q*)), ibi nomina eorum, quos *ærarios* relinquebant, dabant (*r*). Denique omnibus rite peractis, alter cenſorum, cui id forte obvenerat (*s*), in campo Martio plerumque *luſtrum condebat* (*t*); vota pro ſalute publica concipiebat (*u*); *ſue*, *ove*, & *tauro* circum concionem primum ductis ſacrum faciebat; quod *ſuovetaurilia*, vel *ſolitaurilia* (*x*) dicebatur, quemadmodum in præcedentibus jam docuimus (*y*).

Dignitas cenſorum maxima fuit (*z*), & non vi quidem, ſed honore, ſupra ipſos conſules; quorum etiam omnia inſignia habebant, præter lictores: itaque a *Cic.* merito vocatur cenſura, *magiſtra pudoris & modeſtiæ* (*a*); & a *Plut.* Κορυφή τις τιμῆς ἁπάσης, καὶ τρόπον τινὰ τῆς πολιτείας ἁπάσης ἐπιτελείωσις (*b*), hoc eſt, *faſtigium quaſi omnis honoris* eſt hic magiſtratus, *& quodammodo omnium in republica actionum conſummatio*: & alibi (*c*), Ἀρχὴ πασῶν ἱερωτάτη. Sed cenſuræ vim primus imminuit P. Clodius (*d*) tribunus plebis lege lata a. u. 695. ne quis ſenator nota cenſoria affici poſſet, niſi legitime accuſatus & damnatus eſſet, cum ipſe, ut videtur, omni vita turpiſſimus eam ſuo merito timeret: verum ea lex a. u. 702. a *Metello Scipione* eſt abrogata (*e*). Diu

inter-

(m) *Vide Plut. Coriol. ipſo init.* (n) *Liv.* V. 31. IX. 34. (o) *Liv.* XL. 45. (p) *Zonaras* II. (q) *Plaut. Amphil.* 3. 19. *Marc.* II. 3. 107. *&c.* (r) *Liv.* XXXIX. 37. (s) *Id.* XXXVIII. 35. (t) *Id.* X. 9. (u) *Val. Max.* IV. 1. 10. (x) *Feſt. ea voc.* (y) *Sect. præc. c.* 7. §. 3. (z) *Vid. Liv.* IV. 8. (a) *In Piſon. c.* 4. (b) *In Cat. Maj. p. m.* 345. *A.* (c) *P. Æmil. p. m.* 275. (d) *Vid. Cic. de Haruſp. reſp. c.* 27. (e) *Dio* XL.

intermissam censuram Augustus revocavit semel censoribus ex privatis creatis *L. Munacio Planco*, *P. Æmilio Lepido* (*f*); & ter ipse *magistri morum* nomine præditus censum agens (*g*): sed jam Julius Cæsar præfecturam morum gesserat (*h*). Vespasianus item Imperator cum *Tito* filio (*i*) a. u. 827. censuram gesserunt, & lustrum condiderunt (*k*). *Domitianus* (*) vero censoris perpetui nomen sibi arrogavit (*l*). Sub sequentibus vero principibus censura sensim in desuetudinem abiit, nisi quod sub *Decio Valerianum*, qui mox Imperator fuit, censuram gessisse legimus (*m*). (Plura de censoribus dabit *tom. I. Hist. Acad. lit. Paris. p.* 75. *seqq.*)

CAPUT X.

De Interrege.

INterreges (Græce (*a*) μεσοβασιλεις) primum post mortem Romuli instituti sunt (*b*). Cum enim ordines inter se dissentirent, & inter Romanos ac Sabinos de regno contentio orta esset, placuit, ut penes unum ex senatoribus insignia & munus regium per quinque dies esset (minus recte, puto, dicit *Plut. Numa p. m.* 61. horis 12. potestatem interregiam fuisse inclusam: & in voce Κυριν locus corruptus est); atque is, eo tempore finito, alteri, quem nominari vellet (*c*), ea traderet; is post alteros quinque dies tertio, atque ita deinceps donec rex creatus esset (*d*); quæ forma regiminis tum temporis per integrum annum obtinuit. Libera vero republica ad interregnum deveniebatur, cum nec consules, nec dictator in republica essent (*e*); quod eveniebat, vel per repentinam eorum mortem; vel, si tribuni plebis intercessione sua comitia diremissent (*f*); vel ob similes causas. Creabantur vel *prodebantur* (nam & hic proprium illud verbum erat (*g*)) præcipue ad comitia magistratuum ha-

(f) *Id. LIV.* (g) *Suet. Aug. c.* 27. (h) *Suet. Jul. c.* 76.
(i) *Plin. VII.* 49. (k) *Censorin. de die nat. Grut. p.* 1075. *num.* 8. *Wheler. Itiner. III. p.* 220. *ed. Amst.* 1589.
(*) (Eum Martialis *Censor maxime* adpellat VI. 4.)
(l) *Inscrip. apud Grut. p.* 574. *n.* 5. 6. 7. (m) *Trebell. Poll. in Valer. c.* 1. *seq.* (a) *Dion. Halic. sæpe*, *qui tamen* IX. 55. *eos vocat* ἀντιβασιλέας. (b) *Liv. I.* 17.
(c) *Dion. Hal. V.* 72. (d) *Id. II.* 57. *VII.* 21.
(e) *Liv. III.* 53. (f) *Vid. eumd. VI.* 35.
(g) *Cic. pro dom. c.* 14. *Liv. III.* 40. *VI.* 41.

habenda, quæ tamen a primo interrege haberi non solebant (*h*); & munus eorum porro idem quod consulum fuit. Hic solus magistratus (*i*), ut jam diximus, numquam cum plebe est communicatus; & post tempora Cæsaris creari desiit.

CAPUT XI.

De Præfectis Urbi, Prætorio, & Annonæ.

§. I. *De Præfecto Urbi.*

PRæfectus urbi diversis temporibus diversi generis fuit: & initio quidem reipublicæ, cum reges, & mox consules frequentibus bellis avocarentur, ne urbs sine magistratu esset (*a*), aliquem sibi substituebant, qui omnia regia, vel consularia munia obiret (vel, ut dicit *Tac. loc. cit.* qui *jus redderet, ac subitis mederetur*) & præfectus urbi diceretur, qualem primus instituit Romulus: *Dentrem Romulium* (*b*). Hic itaque senatum habere & consulere, ac cum populo agere poterat; adeoque comitia centuriata habere (*c*); quamquam ad comitia magistratuum habenda dictator potius, si opus esset, crearetur.

§. II. *De Præfecto Urbi Latinarum causa.*

Creato vero prætore, cum penes ipsum summa potestas absentibus consulibus esset, præfectus urbi dumtaxat (nam extraordinarium plane est quod Cæsar sex vel octo præfectos urbi instituit in Hispaniam proficiscens (*d*)) creari cœpit ad usurpationem vetustæ religionis *Latinarum feriarum* (*e*) causa, quæ a Tarquinio Superbo ultimo Romanorum rege institutæ per quatuor dies (*f*) a consulibus, priusquam ad bellum proficisci possent, in monte Albano celebrabantur in honorem *Jovis Latialis*, simul cum Magistratibus quadraginta septem La-

(h) *Asc. ad Cic. pro Mil. c. 1.* (i) *Cic. pro dom. c. 14.*
(a) *Tacit. Annal. VI. 11.* (b) *Id. d. l.* (c) *Liv. I. 59.*
(d) *Dio XXXXIII. p. 149. ed. R. Steph. 1548.*
(e) (Tacit. ib. &) L. 2. §. 32. D. *de orig. jur.* (sæpe omittitur: *feriarum*, ut Svet. Jul. 79. & al.)
(f) *Plut. Camill. in f.*

Latii populorum (inter quos, post Romanos, præcipui erant *Latini*, *Hernici*, & *Volsci* (g)): & hæ re Tarquinius Romam Latii (*) metropolim agnosci fecit, cum a Magistratibus Romanis hæ feriæ indicerentur: & Romani sacris, quæ ibi fierent, præessent. Quo tempore a mutuis injuriis diligenter abstineri debebat; unde ἀνοχαὶ, sive *induciæ* vocantur (h). Creabatur autem fere adolescens, qui senatoria ætate nondum esset, & tamen in rebus subitis senatum habere poterat (i): cum populo vero agere non poterat, quod feriæ eo tempore essent. Sed hæ feriæ procedente tempore valde neglectæ sunt (k).

§. III. *De Præfecto Urbi ab Augusto instituto.*

Augustus Imperator ex consilio *Mæcenatis* alium præfectum urbi instituit (l), cujus potestas ordinaria, continua, & per plures sæpe annos prorogata fuit, cujus rei exemplum est in Pisone apud *Tacitum Annal. VI.* 11. ubi egregie de hac præfectura loquitur: valebatque ejus potestas intra urbem, & centesimum ab urbe lapidem, *L.* 1. §. 4. *D. de off. præf. urb.* quam præfecturam ipse Mæcenas (m) primus gessit. *Munus* (n) ejus erat jus dicere (unde prætoris insignibus usus esse videtur (o)) præsertim inter dominos & servos, libertos & patronos; de criminibus tutorum & curatorum cognoscere; nummulariorum fraudes coercere, & omnino quietem publicam procurare. Tum etiam quædam, quæ ædilicii muneris fuerant, usurpabat; ut curam carnis venalis (p), & disciplinam spectaculorum (q). Habebat etiam potestatem relegandi, deportandique in insulam (r), quam Imperator designavisset. Creabatur hic præfectus plerumque ex iis, qui jam alios honores omnes cum laude gesserant; & quasi vicarius principis erat: unde *in Novell. LXIII.* §. 2. constituitur, ut *urbicaria præfectura omnibus aliis præsideat.*

(g) *Dion. Hal. IV.* 49. (*) (Id jam Servius perpulerat. Liv. I. 45.) (h) *Dionys. l. d.* (i) *Gell. XIV.* 8.
(k) *Vid. Cic pro Planc. c.* 9. (l) *Suet. Aug. cap.* 37.
(m) *Horat. Od. III.* 8. 17. & 29. 25. (n) *L.* 1. *D. de off. præf. urb.* (o) *Vid. Spanhem. de us. & præst. numism. diss.* X. 118. (p) *V. Pancir. Not. Imp. Occ.* 4. (q) *d. L.* 1. §. 11. *seq.* (r) *L.* 2. §. 1. *ff. de pœn. L.* 6. §. 1. *de interd. & releg.*

sideat dignitatibus; & parem cum *præfecto prætorio* dignitatem obtinebat (*s*). Unde eum *amicum* suum vocant Imperatores apud *Ulpianum L. 4. D. de off. præf. vig.* Præfecto urbi etiam additus fuit *vicarius*, qui eo absente vel mandante jurisdictionem exerceret (*t*).

§. IV. *De Præfectis Prætorio.*

Præfectis urbi subjungamus jam *præfectos prætorio* (qui magistris equitum successisse dicuntur (*u*)) quos Augustus primum ex equestri ordine binos creavit eo consilio, ut sibi invicem obstarent (*x*), si quid novi alter moliretur. Tiberius vero unum fecit *Ælium Sejanum*; qui vim præfecturæ modicam antea intendit (*y*), dispersas per urbem cohortes prætorias in una castra conducendo: sed alii rursus Augusti duos præfectos prætorio creaverunt (*z*). Initio autem institutionis suæ præfecti prætorio res bellicas tantum curabant; erantque proprie magistratus Cæsaris, quemadmodum prætor populi: sed primum M. Antoninus cœpit secum præfectos habere, quorum auctoritate & periculo jura dictabat (*a*): & tandem *Commodus* Imperator, ut ipse deliciis vacaret, *Perenni* præfecto prætorio omnes curas commisit; eoque interfecto, quia nimia potestas videbatur, duos constituit (*b*), at postea tamen rursus in ea re variatum est. Itaque demum judicia & appellationes ad præfectum prætorio sunt delatæ (*c*): & ab eorum sententiis appellatio (salva supplicatione) interdicta fuit (*d*).

Postea Constantinus, immensa præfectorum potestate divisa, pro duobus quatuor constituit: unumque *Orienti*, alterum *Illyrico*, tertium *Italiæ* & *Africæ*, quartum denique *Galliis*, *Hispaniis*, & *Britanniæ* præfecit (*e*): sed militum curam iis ademit, eamque ad *magistros militum* transtulit (*f*). Verum etiam ita magnam semper auctoritatem retinue-

(s) *L. 1. C. de Præf. Prær. 12. 4.* (t) *Cassiod. Var IX. 15. Vid. Clar. Noodt de jurisd. II. 1.* (u) *L. un. D. de off. præf. præt.* (x) *Dio LII. p. 325. & LV. p. 377. ed. Steph. 1548.* (y) *Tac. Annal. IV. 2.* (z) *Suet. Caj. c. 56. Tac. Annal. XII. 52. XIV. 51.* (a) *Capitol. M. Ant. c. 11.* (b) *Herodian. I. 9.* (c) *Vid. L. 32. §. 4. Cod. de appell.* (d) *L. un. §. 1. D. de off. præf. præt. Vid. Pancir. ad notit. dign. Imp. Occ. 3.* (e) *Zosim. II. p. 109. ed. Oxon. 1679.* (f) *Vales. ad Amm. Marc. XIV. p. 48. ex eodem Zosimo.*

nuerunt: edicta enim perpetuo observanda promulgabant; nisi a principe revocata fuissent (g): provinciarum, quibus præerant, præsidibus imperabant (h): judices delinquentes puniebant, aut inhabiles removebant (i): tributum a principe indictum per provincias describebant (k): omnia denique vectigalia, portoria, salinæ, annonæ, ac classes ad species illas transvehendas erant sub eorum dispositione. Præterea etiam a præsidibus provinciarum ad præfectum prætorio appellabatur (l).

Olim præfecti prætorio (plerumque quidem, non semper (m)) erant ex equitibus (n): sed *Alex. Severus* senatoriam dignitatem iis addidit, ne, qui senator non esset, senatores judicaret.

Habebat autem præfectus prætorio sub se *vicarios* (o), sub quibus rursus tota erat *diœcesis*. *Diœcesis* autem multas *metropoles* sub se continet: *metropolis* multas *civitates*. Hæc autem ita breviter subjungere visum est; licet nec præfecti prætorio, nec eorum vicarii proprie ad scopum nostrum pertineant; cum de iis maxime agere statuerimus, quæ libera rep. obtinuerunt.

§. V. *De Præfecto annonæ.*

Præfectus annonæ olim inter magistratus urbanos extraordinarios fuit; nempe nonnisi arctissima annona creatus (p). Et ita etiam Pompejus M. hunc magistratum gessit (q). Augustus ordinarium *curatorem frumenti populo dividundi* instituit (r): quæ dignitas etiam magna esse debuit; quod *Varus* eam in solatium ablatæ præfecturæ prætorio acceperit (s).

CAPUT XII.

De Decemviris legibus scribendis Consulari potestate.

Initio Reipublicæ paucæ admodum leges Romæ fuerunt: sed regum arbitrio lites judicabantur; & quod

(g) *L. 2. C. de off. præf. pr. Or. & Illyr.* (h) *L. un. C. de P. P. Af.* (i) *L. 3. 4. C. de off. P. P. Or. & Ill.*
(k) *L. 13. C. de ann. & trib. 10. 16.* (l) *d. L. 32. C. de appell.* (m) *Tac. Hist. IV. 68.* (n) *Capitol. Comm. & M. Anton.* (o) *Scalig. Ep. 184.* (p) *Vid. Liv. IV. 12 13.*
(q) *Cic. pro dom. c. 5.* (r) *Svet. Aug. c. 37.*
(s) *Tacit. Hist. IV. 68.*

& quod illi justum judicassent, pro lege erat (*a*). Denique cum paucæ illæ leges solis patriciis essent notæ, consules plerumque libidinem & licentiam pro legibus habebant. Hoc cum plebs diutius ferre nec vellet, nec posset, A. U. 291. C. *Terentius Arsa* tr. pl. legem promulgavit, *ut quinqueviri scribendis de imperio consulari legibus crearentur; utique quod populus in se jus dedisset, eo consules uterentur, neve ipsi licentiam ac libidinem suam pro lege haberent* (*b*). Sed assiduis inter patres & plebem contentionibus in A. U. 299. res est protracta; quo tandem anno ex Senatusconsulto legati in Græciam missi sunt, qui Atheniensium leges a *Dracone & Solone*, aliarumque gentium ab aliis legumlatoribus latas describerent (*c*). Iis A. U. 302. reversis, cum omnes alii magistratus abdicassent, *decemviri* consulari potestate ad leges perscribendas ex patriciis creati sunt (*d*); qui primo quidem summa æquitate jus populo dixerunt, singuli decimo quoque die imperii insignia habentes. Tum etiam decem legum tabulas centuriatis comitiis pertulerunt æquissimas (*e*), ita ut universo populo summo opere placerent. Sed cum etiam duas tabulas reliquis adjici placuisset, in annum sequentem iterum decemviri creati sunt: verum hi de libertate opprimenda, & imperio sibi retinendo conjurationem inierunt; & cum multa tyrannice admodum & impotenter gessissent, abdicare tandem sunt coacti (*f*), & in carcere, vel fuga perierunt. Leges tamen, quas tulerunt, ut erant æquissimæ, ita quoque sanctissimæ semper sunt habitæ. Et hæ sunt celebres illæ duodecim (*g*) tabulæ, *juris publici privatique per orbem Romanum norma ac fundamentum* (*): easque ad tempora Ciceronis usque nobilior juventus memoriæ mandabat (*h*), post quæ tempora jus prætorium introduci cœpit.

CA-

(a) *Dion. Hal. IV. 24. X. 1. Tacit. Ann. III. 5. Pompon. l. 2. §. 1. D. de orig. jur.*
(b) *Liv. III. 9.*
(c) *Ibid. 31. Vid §. 10. Inst. de jur. nat. gent. & civ.*
(d) *Liv. III 33.* (e) *Ibid. 34.* (f) *Ibid. 54.*
(g) *Aus. Gryph. torn. 61.*
(*) (De his legg. omn. consule Tacit. Annal. III. 27.
(h) *Cic. de legib. II. 23.*

CAPUT XIII.

De Tribunis Militum Consulari Potestate, & quibusdam aliis.

§. I. *De Tribunis militum consulari potestate.*

CUM tribuni plebis ingenti molimine communicandum esse cum plebe consulatum urgerent, & patres viderent se contentione pares amplius non futuros, nec tamen ipsum consulatum cum plebe communicatum vellent, ut specie saltem aliqua super plebejos eminerent, A. U. 309. Senatusconsulto, & decreto populi sancitum (*a*) est, ut pro consulibus tribuni militum tres ex patriciis, tres ex plebejis crearentur, qui consulari potestate rem publicam gererent (*b*); eoque anno finito rursus ex Senatusconsulto plebs rogaretur: *consulesne, an tribunos mallent?* quique magis placuissent, fierent. Tribuni autem militum consulari potestate sunt dicti, quia inter homines plebejos maxime eminebant illi, qui tribuni in castris fuissent. At primo illo anno tres duntaxat ex patriciis creati sunt; iique paullò post, quod vitio creati esse dicerentur, abdicarunt, subjectis ipsis consulibus (*c*). Sequentibus annis consules iterum, vel tribuni militum creati sunt, prout vel plebs, vel patres contentionibus prævaluissent: & hoc obtinuit usque ad A. U. 387. quo primus de plebe consul factus est ille, quem jam diximus, L. Sextius Sextinus Lateranus (*d*). Creati sunt primum tres, inde quatuor, demum sex: octo vero nunquam; licet id jam olim creditum sit. Vid. *Cl. Perizon. Animad. hist. c.* 2. *p.* 45. *etiam Rupert. ad Pompon. de orig. Jur. II.* 2. ex nomine autem ipso apparet, eorum munus & insignia eadem quæ consulum fuisse.

§. II. *De quibusdam aliis Magistratibus.*

Triumviros, vel *tresviros reipublicæ constituendæ*, (qui post trucidatum in senatu Julium Cæsarem (*) fuerunt *M. Æmilius Lepidus*, M. Antonius, & C. *Julius Cæsar Octavianus*, qui postea *Augustus* est di-

(a) *Vid. Liv. IV. 6.* (b) *Dion. Hal. XI. 60.*
(c) *Liv. ibid. 7.* (d) *Liv. VI. 42. Tabb. Cap.*
(*) (Nam & hic cum Pompejo & M. Crasso societatem ac triumviratum inierat. Vid. Svet. Cæs. c. 19. Liv. Epit. CV. Flor. IV. 2. 12. quo resp. cit etiam Lucan. I. 84. F. R.

dictus) quidam etiam magistratibus extraordinariis accensent; sed verius est, eorum meram tyrannidem (*e*), non magistratum fuisse.

Fuerunt alii quoque magistratus extraordinarii *minores*; ut *quinqueviri mensarii* (*f*), qui curarent, ut æs alienum dissolveretur; *quinqueviri muris, turribusque reficiendis* (*g*); *duumviri navales* (*h*); *triumviri ædibus sacris reficiendis* (*i*), &c. Sed de iis idem dicendum, quod de similibus ordinariis diximus, scilicet nomine ipso munus eorum satis indicari. Hi autem omnes magistratus, licet minores, ex honoratissimis fere capiebantur, ut de duumviris navalibus videmus apud *Livium XL.* 42. & de triumviris coloniæ deducendæ *ibid. c.* 29. & 43. Atque ita *Pompejus M.* & *Piso* colonos *Capuam* deduxerunt (*k*): & antea *Lutacius Mutinam* (*l*). Sub Imperatoribus etiam fuerunt *curatores Kalendarii*, qui fœnus principibus debitum exigebant (*m*).

CAPUT XIV.

De Magistratibus Provincialibus, sive de Proconsulibus, Proprætoribus, eorumque Legatis.

§. I. *De nomine, & diversis Proconsulum generibus.*

P*Rovincia* (Græc. ἐπαρχία (*a*)) est *regio, quam populus Romanus provicit* (*b*) vel *procul vicit* (*c*); & quia talis *provinciæ* regendæ munus quotannis alicui imponebatur, hinc vox ea pro omni *munere*, sive *officio* sumi cœpit; (*d*) ut *consularis provincia* dicitur obtigisse Verri, cum quæstor esset consulis *Carbonis* (*e*). Hi vero magistratus *proconsules* & *proprætores* sunt dicti, quibus aderant *quæstores* & *legati*.

Italiæ autem proprie dictæ hic honos est datus, ut numquam pars ejus in provinciæ formam redacta

(e) *Suet. Aug. c.* 27. (Flor. IV. 7. 5. Liv. Epit. CXX.)
(f) *Liv. VII.* 21. (g) *Id. XXV.* 7. (h) *Id. II.* 30.
(i) *Id. XXV.* 7. (k) *Cic. post red. in sen.* 11.
(l) *Polyb. III.* 40. (m) *Vid. omnino Cl. Noodt de fœn. II.* 1.
(a) *D. Luc. Act. XXIII.* 34. *XXV.* 1. (b) *Fest.*
(c) *Isid. XIV.* 5. (d) *Ter. phorm. I.* 2. 22. & *ibi Donat.*
(e) *Cic. in Verr. I.* 13.

cta fuerit. Et hic obiter notandum, septem *fœderati Belgii civitates* non recte Latine *provincias* dici, quæ vox potius terris in *Brabantia* & *Flandria*, tum in aliis orbis partibus Ordinum nostrorum imperio parentibus conveniat. Disputatur autem, an aliquis dicendus sit *proconsul* unica voce, an vero *pro consule* (*f*), sed ea res magni momenti non est, & utrumque apud probos auctores inveniri puto (*g*). Ante bellum Punicum secundum imperio proconsulari raro opus erat, quia scilicet magistratus urbani omnibus fere negotiis sufficiebant; at postea aucto imperio provinciæ extra ordinem mandari cœperunt, quod quatuor potissimum modis factum est. *Primo*, aliquando privatis imperium proconsulare mandabatur; quod primum contigit *K. Fabio*, & *Sp. Furio* A. U. 275. & ita postea *P. Cornelio Scipioni* (*h*), qui A. U. 542. nullo dum magistratu gesto, vigesimum quartum ætatis annum agens in Hispaniam cum imperio est missus (*i*). Et huc etiam referendi sunt, qui sequentibus temporibus post aliquot annos, quam consulatum gesserant, in provincias mittebantur; & qui ex prætura imperium proconsulare acceperunt, ut M. Marcellus A. U. 538. (*k*) & A. U. 562. *L. Æmilius* (*l*).

Secundo, alicui quandoque ultra annuum tempus provincia prorogabatur; quod primum factum est a. u. 427. in *Q. Publilio Philone* (*m*).

§. II. *De tertio & maxime usitato Procoss. genere*.

Sed *tertio*, usitatius *proconsules* dicebantur, qui post gestum in urbe consulatum in provincias mittebantur; de quibus exactius jam est dicendum.

A. U. 631. *C. Sempronius Gracchus* legem tulit, cum tribunus plebis esset, (vide omnino *Manut. ad Cic. Famil. I. n. 7.* & *Pighii Annales ad h. an.*) quæ etiam deinceps observata fuit, ut senatus (nam ad eum omnino hæc cura spectavit, licet tribuni plebis sæpe se ei negotio immiscerent (*n*)) ante comitia duas provincias consulares, & sex prætorias futuris magistratibus decerneret, quas designati inter se sortirentur, vel *compararent*.

(f) *Vid. Man. ad Cic. Fam.* I. 1. *qui* τὸ proconsul *probat*.
(g) *Es ita Pigh. ad a. u.* 275. (h) *Dion. Hal.* IX. 16.
(i) *Liv.* XXVI. 18. (k) *Liv.* XXIII. 30.
(l) *Plut. ejus vita p. m.* 256. (Liv. XXXVII. 2. pr.)
(m) *Id.* VIII. 26. (n) *Vid. Cic. or. de prov. consular.* 1.

rent. Sed tamen hæ provinciæ certæ non erant; verum pro re nata, & arbitrio senatus (o) eadem provincia aliquando consularis, aliquando prætoria fuit (p). Etiam labente jam Republica aliquando contra leges plures provinciæ uni sunt datæ, & aliis (e. gr. Pompejo, Cæsari) (q), per plures annos imperium est prorogatum. Post hanc legem Semproniam itaque comitiis ad constituendos proconsules nihil opus erat; sed sub finem annui in urbe magistratus, consules, vel prætores legem ad populum curiatis comitiis ferebant de imperio militari obtinendo (r), sine qua lege bellum administrare non poterant (s). Distinguendum enim hic est inter *imperium* & *potestatem*: nam *potestatem* habere dicitur, *quicumque a populo negotio alicui præfectus est*; *imperium* vero *is* tantum, *cui a populo* (*) *nominatim belli gerendi potestas data est*. Imperium autem mandari solebat dictatori, consuli, prætori; & aliquando, ut hic videmus, privatis: proconsules enim proprie magistratus non erant (t), sed tantum *cum potestate*, &, si lex accessisset, *cum imperio* esse dicebantur: ideoque nec auspicia habebant; nec triumphus facile ipsis decernebatur; præsertim si ex privatis in provincias ivissent (u): quod tamen perpetuum non fuisse, ex *Pompejo Magno* patet, qui eques Rom. iterum triumphavit (x).

Postquam provinciæ ita præsidibus suis obvenissent, vel potius ante, quam eas sortiti essent, ne ita locus odio vel gratiæ daretur (y), senatusconsulto *ornabantur* (z), hoc est, *earum latitudo*, *magnitudo exercitus*, *stipendium*, *viaticum*, *comitatus*, sive *cohors* (a) (in qua erant legati, tribuni, præfecti, centuriones, ministri, contubernales (b)) *decernebantur*: *ornare* enim sæpe nihil aliud est, quam *instruere* (c). Contubernales autem proprie dicebantur adolescentes primarii, qui cum præsidibus ibant,

(o) *Vid. senatus auctoritatem apud Cœlium ad Cic. epist.* 8. *& omn. Manut. ad Cœl.* (p) *Ibid.* 7. *Id. de prov. cons.* 7.
(q) *Svet. Jul. c.* 25. (r) *Liv. V.* 52.
(s) *Vid. supra sect. I. c.* 6. §. 2.
(*) (Fest. *cum imperio* &c.) (t) *Aperte Liv. XXVIII.* 38. *Vid. omn. Spanh. de us. & præst. numism. diss. X. p.* 175.
(u) *Val. Max. II.* 8. 5. (x) *Cic. pro leg. Man. c.* 21.
(y) *Vid. exempl. apud Liv. XXXIII.* 43.
(z) *Cic. Agrar. II.* 13. (a) *Tac. An. VI.* 9. *& ibid. Lips.*
(b) *Vid. Svet. Jul. c.* 2.
(c) *Cic. in Verr. IV.* 20. *& sæpe alibi.*

bant, ut sub eorum quasi oculis militiæ aliorumque munerum rudimenta discerent (*d*). In ea cohorte præterea erant *amici imperatoris*, iique varii gradus, ita ut vel *primæ*, vel *secundæ*, vel *tertiæ admissionis* dicerentur (*e*), quos Galli hodie dicerent *du grand & du petit coucher, ou lever*; qui scilicet ita familiares sunt præsidi, vel principi suo, ut ipsi cubitum eunti, vel lecto exsurgenti, adsint: olim etiam *comites* sunt dicti (*f*). Post hæc proconsul, sacris in capitolio rite peractis, *paludatus* (hoc est, *paludamento*, quæ vestis erat imperatoria (*g*) *indutus*) in provincias proficiscebatur (*h*), lictoribus cum fascibus, & securibus adsumtis, & amicis aliquanto spatio extra urbem eos deducentibus (*i*).

§. III. *Proconsulum in provincia munus.*

In provinciis hi magistratus, ut jam vidimus, habebant *imperium* & *potestatem*; illud militiam, hæc jurisdictionem & cognitionem spectabat: hanc autem ut exercerent, plerumque paullo post quam in provinciam venerant, conventum provincialium in civitatem aliquam indicebant (*k*); vel ipsi provinciæ civitates juri dicundo obibant (*l*), idque *forum agere* proprie dicebatur (*m*). Jus porro dicebant (honestioribus quibusdam provincialibus in judicium adscitis (*n*)) ex legibus, quas imperator, quum primum regionem illam in provinciæ formam redegisset, ex decem plerumque legatorum (*o*) sententia ei imposuerat; vel ex iis, quæ postea de ea provincia in urbe latæ erant, vel denique ex suis *edictis* (*p*); quæ, quia plerumque ex edicto prætoris urbani sumebantur, *translaticia* dicebantur (*q*), & sæpius edictis urbicis erant similia (*r*): licet tamen multa, quæ olim singulari jure in urbe recepta erant, ad provincias non porrigerentur (*s*). Habebant præterea curationem omnium rerum, quæ ad pro-

---

(d) *Cic. pro Cœl. c. 30. Id. pro Planc. c. 2. Tacit. Agric c. 7.*
(e) *Senec. de benef. VI. 33. Suet. Vesp c. 14.*
(f) *L. 4. D. de off. assess. L. 15. de off. præs.*
(g) *Juv Sat VI. 400. Cic. Verr. V. 13.* (h) *Diarium vetus apud Pigh. ad a. u. 585.* (i) *Vid. Liv. XLII. 49. C. in Pis. c. 13.* (k) *Cic. Famil. III. 8.* (l) *Suet. Jul. c. 7.*
(m) *Cic. ib. 6. Att. II. 16. 17.* (n) *Cic. Verr. II. 29.*
(o) *Liv. XXXIII. 24. Cic. Verr. II. 50.*
(p) *Quorum exempla exstant apud Cic. ad Att. VI. 1.*
(q) *L. 9 §. 2. ff de off proconf.* (ubi tamen hujus vocabuli nulla mentio. Sed vide Briss de verbor. quæ ad jus pertinent sign.)
(r) *Vid. Menard. not. ad Cic. in Verr. Act. II. 43.*
(s) *Vid. Celeberr. Noodt Obs. II. 5.*

provinciæ administrationem spectabant : ubi etiam omnia ad imaginem administrationis urbanæ fieri solebant (*t*).

§. IV. *Reditus ex provincia*.

Finito annuo munere (annus autem ille putabatur a tempore, quo provinciam ingressi essent, non a tempore profectionis ex urbe (*u*)) proconsul successori, si advenerat, provinciam & exercitum tradebat; & intra triginta dies juxta legem *Corneliam* (*x*) provincia decedebat; postquam (quod lege *Julia* cautum erat (*y*)) rationes provinciæ apud duas ejus civitates deposuisset : quod si successor ejus nondum advenisset, tamen decedebat, legato, vel quæstore suo (*z*) (quod frequentius erat, quia quæstor erat magistratus P. R. (*a*)) cum potestate in provincia relicto. Cum Romam rediisset proconsul, privatus urbem ingrediebatur, nisi triumphum peteret : tum enim urbem non intrabat, sed senatui extra urbem in ædem *Bellonæ* (vel etiam aliquando aliam (*b*)) evocato res suas gestas exponebat: &, si triumphum impetrasset (*c*), donec eum egisset, imperium, lege ea de re ad populum lata, retinebat (*d*), & interea *ad urbem esse* dicebatur (*e*). Inde rationes provinciæ gestæ ad ærarium referebat; ut & *beneficiarios* (*f*), sive *eos, quos testimonio suo ob negotium aliquod in provincia bene gestum honoratos volebat*: & hoc intra triginta dies post rationes relatas debebat fieri (*g*). Si provinciam bene rexissent proconsules, magnos honores a sociis consequebantur, statuas, (ad quas improbi prætores etiam pecuniam exigebant (*h*)) fana (*i*), dies festos (*k*), &c. quemadmodum, e. g. *Lucellea* festum in honorem *Luculli* apud *Cyzicenos* celebratum legimus (*l*), & *Marcellea* in honorem *Marcelli* Syracusis (*m*): sin secus, judiciis repetundarum, peculatus, aliisque accusari poterant.

§. V.

(t) *Cic. Fam X.* 17. (u) *Id. ad Att. V.* 14. 15. 21.

(x) *Cic Fam. III.* 6. (y) *Cic. Famil. V.* 20. & *not. ad II.* 17. (z) *Ib. II.* 18. (a) *Ib.* 15. 18. & *ad Att. VI.* 6.

(b) *Liv. XXXVIII.* 44. (c) *Id. XXXIX.* 4. (d) *Cic. ad Att. IV.* 16. *Liv. XLV.* 35. (e) *Cic. ad Att. VII.* 16. *Phil. III.* 10. 11. (f) *Cic. pro Arch. c.* 5. & *Famil. V.* 20.

(g) *Cic. l. prox. d.* (h) *Cic. in Verr. II.* 57. (i) *Vid. Cic. Famil. III.* 7 & *omn. ad Att. V.* 21. (k) *Ascon. ad Cic. in Verr. II.* 10. (l) *Plut. Lucull. p. m.* 505.

(m) *Cic. in Verr. II.* 21. (De divinis procoss. honoribus agunt Memor. Acad. Lit. Paris. tom. II, p. 450.

§. V. *De Propraetoribus*.

Omnia, quæ de proconsulibus dicta sunt, etiam de *propraetoribus* dicta esse oportet intelligi; inter quos nulla fuit differentia, nisi quod illi duodecim, hi sex tantum lictoribus uterentur; tum quod proconsulis exercitus, cohors, &c. fere ampliora essent: imo qui ex prætura in provincias mittebantur, aliquando proconsules dicti sunt (*n*); & rursus propraetores, qui ex consulatu: quin quæstores in provincia relicti proconsules quandoque dicuntur (*o*). Aliquando denique etiam quæstor pro prætore in provinciam missus legitur, ut *Piso* apud *Sallustium Catilin. c.* 19. cui adde eumd. in *Jugurth. c.* 111. *edit. Jos. Wasse*, & *Cato* in *Cyprum* (*p*).

§. VI. *Ordinatio provinciarum ab Augusto instituta*.

Quartum proconsulum genus ab Augusto Imperatore institutum est: is enim totum orbem Romanum in duas partes divisit, & provincias quidem validiores, & quæ hosti patebant (*q*) magis, sibi retinuit; pacatiores vero senatui populoque tribuit; eo consilio, ut ita omnes legiones, & omne imperii robur penes se essent; licet specie populum exercituum onere levandi. Prima hæc divisio talis fere fuit (*r*): *Senatoriae & populares provinciae* erant *Africa*, *Numidia*, *Asia*, & cum *Epiro Graecia*, *Dalmatia*, *Macedonia*, *Sicilia*, *Creta*, *Cyrene*, *Bithynia* cum *Ponto* finitima, *Sardinia*, atque *Hispania Baetica*. *Imperatorias provincias* constituit hasce, *Hispaniae* quod reliquum erat, ut *Tarraconensem* & *Lusitaniam*, tum omnem *Galliam*, *Narbonensem* scilicet, *Lugdunensem*, *Aquitanicam*, & *Celticam*, *cum iis populis*, *qui eorum coloni essent*: item *Caelesyriam*, *Phoeniciam*, *Ciliciam*, *Cyprum*, *Aegyptum*; quibus postea adhuc aliæ accesserunt. Sed tamen sæpe regionum istarum conditio mutata est, ita ut, quæ antea senatoriæ provinciæ fuissent, deinde essent Imperatoriæ; & rursus vice versa (*s*). Ad provincias senatorias regendas a senatu

E natu

(n) *Vid. Fr. Fabr. ad Cic. pro Ligar. c.* 1. *Suet. Aug. c.* 3.
(o) *Vid. Manut. ad Cic. Famil. II.* 17. (p) *Vell. II.* 45. *ubi male Heins. & Burmann. legunt* quæstorios.
(q) *V. Suet. Aug. c.* 47. (r) *Dio lib. LIII. ad A. U.* 726.
(s) *Vid. omn. Lips. ad Tacit. I,* 76.

natu sortito mittebantur, qui *proconsules* dicti sunt (*t*), licet aliquando prætorii tantum essent, (vid. *Ez. Span. de us. & præst. numism. diss. XIII. p.* 593. *sequ.*) qui autem in Cæsaris provincias mittebantur, *legati consulares* (*u*); vel simpliciter *consulares*; item *legati Cæsaris pro consule* (*x*), vel *pro prætore dicebantur*: & aliquando etiam *præsides* (*y*); vel *procuratores*; præsertim si ex privatis missi essent. His quidem, ut gladium & habitum militarem gererent, & militem capite plectere possent (*z*), concessit Augustus; quæ omnia proconsulibus ademit (*a*). Proconsules anno, legatos suos quamdiu ipse jussisset, provinciis præesse voluit: illis, ne delectum militarem habere, vel pecuniam extraordinariam cogere possent, interdixit; (quamquam delectus nec libera republica, nisi speciali permissu iis concessus videatur (*b*)) tum constituit, ut successore misso statim provincia decederent. Vetuit quoque, ne quis ante quintum annum post gestum magistratum urbanum provinciam sortiretur. A præsidibus etiam multum differebant *procuratores Cæsaris*, qui *curatores* quoque, & *rationales Cæsaris* (*c*) dicebantur; & res fisci dumtaxat curabant (*d*), & aliquando etiam legatus & procurator in eadem provincia, ille jurisdictionem, hic vectigalia curabat (*e*). De quæstoribus provincialibus jam supra *c.* 8. *bujus sectionis* diximus.

§. VIII. *De Legatis.*

Proconsulibus & proprætoribus aderant *legati*, vel a senatu dati (*f*), vel senatus permissu ab ipsis proconsulibus adsciti (*g*), qui tum *aliquem sibi legare* dicebantur (*h*); vel denique lege extra ordinem constituti. Numerus eorum minimum erat ternarius (*i*); qui pro dignitate præsidis, & magnitudine provinciæ sæpe augebatur (*k*). *Munus*

(t) *Salmas. ad Suet. Aug. c.* 47. (u) *Strab. III. p.* 156. (x) *L.* 20. *D. de off. præs.* (y) *L.* 1. *D. eod.* (z) *L.* 6. §. 8. *D. de off. præs.* (a) *Dio lib. LIII.* (b) *Cic. ad Famil. XV.* 1. (c) *Lamprid. Alex. Sev. c.*45. (d) *Tac. Agr. c.* 15. (e) *Vid. Ambiiss. Corn. a Bynkersh. Obs. jur. Rom. II.* 20. *seqq.* (f) *Cic. Vatin. c.* 15. (g) *Vid. Cic. ad Fam. XIII.* 55. *& Manut. ib. ad I.* 7. *Cic. in Verr. I.* 27. (h) *ad Fam. VI.* 6. (i) *Vid. Sigon. de ant. jur. prov. II,* 2. (k) *Cic. Philipp. II.* 13.

nus legatorum erat, ut quasi vicarii quidam sui præsidis essent, eumque omni ratione, qua opera, qua consilio juvarent: tum privatarum caussarum cognitionem mandata jurisdictione habebant (*l*), publicas vero quæstiones ipse proconsul exercere debebat (*m*): nec etiam legati animadversionem habebant, nisi proconsul a provincia abesset: unde fiduciariam tantum operam obtinere dicuntur (*n*). Aliquando etiam legati (*o*) sine præside provincias, pacatas scilicet, populi Romani nomine obtinebant (*p*). Munus hoc honoratum valde habebatur (*q*); & sæpe consulares (*r*) & prætorii eo functi leguntur: quin lictoribus quoque & fascibus legati, aliquando certe, utebantur (*s*).

§. VIII. *De Legationibus liberis*.

Senatores, qui negotium aliquod privatum (unde tales reipublicæ causa abesse non censentur (*t*)) in provinciis gerendum habebant, aliquando *liberam legationem* a senatu impetrabant (*u*), hoc est, *legati nomine & insignibus ornabantur*; ut ita honoratiores apud exteras nationes essent (*x*), & ut facilius negotia sua perficere possent; quemadmodum exemplum talis legationis, voti solvendi causa susceptæ, habemus apud *Ciceronem ad Att. IV.* 2. *XV.* 8. & 11. Sed cum multi facilitate senatus hac in re abuterentur, atque ita sociis sumptui onerique essent, Cicero (*y*) in consulatu suo, cum rem plane tollere non posset, tempus minuit, & ex indefinito annuum fecit: quod tamen postea ex lege Julia rursus quinquennale factum fuisse videtur (*z*).

(l) *Cic. pro Flacc. c.* 21.
(m) *L.* 1. *pr. D. de off. ej. cui mand. est jur.*
(n) *Cæs. de bell. civ.* II. 17. & III. 51. *Vid. & L.* 1. §. 1. *D. de off. ejus, cui mand. est jur.* (o) *d. L.* 1. §. 1.
(p) *Cic. de prov. cons.* 3.
(q) *Cic. in Vatin. c.* 15. *qui locus visu dignus est.*
(r) *Liv.* XXXVII. 10. (s) *Cic. ad Famil.* XII. 30. *Vid. & Liv.* XXIX. 9. & *Cic. ad Fam.* XII. 21.
(t) *L.* 14. *D. de legation.* (u) *Cic. ad Famil.* XI. 1. & XII. 21. (x) *Val. Max.* V. 3. *ex.* 3.
(y) *Ipse de legib.* III. 8. (z) *Cic. ad Attic.* XV. 11.

CAPUT XV.

De Ministris Magistratuum.

§. I. *De Scribis.*

Inter *ministros magistratuum* primo loco erant *scribæ*, qui singulis magistratibus apparebant, ut rationes publicas in tabulas referrent, & leges actaque omnia perscriberent; quique id muneris exercebant, *scriptum facere* dicebantur (a). Denominabantur autem scribæ a magistratibus, quibus apparebant (b), ita ut *quæstorii*, *ædilicii*, (*scriba librarius ædilium curulium* est apud *Grut. p.* 94. *n.* 11.) *prætorii*, & sic porro dicerentur: erantque in decurias divisi: unde *decuriam emere* dicit *Cicero in Verr. III.* 79. pro *emere munus scribæ*. *Munus* eorum non nimis honorificum erat; sed tamen ingenui plerumque eo fungebantur, rarius libertini: (*) imo *honestus eorum* ordo ibidem *Ciceroni* dicitur.: vid. eund. *de legib. III. c. ult.* & adeo demum se extulerant, ut *Cato* in quæstura eorum audaciam reprimere coactus fuerit (c): sed certum tamen est, eorum munus apud Græcos multo honorificentius, quam apud Romanos fuisse (d).

§. II. *De Accensis.*

Accensi (*stads-boden of deur-warders*) dicti sunt ab *acciendo*: hi populum ad concionem, & jus poscentes in judicium ad prætorem *accibant*; silentium indicebant; consuli eo mense, quo fasces non habebat, præibant (e); erantque fere ex libertis.

§. III. *De Præconibus.*

Præcones etiam in decurias divisi erant: eorum vero usus erat multiplex; scilicet primo *in sacris*, ut silentium indicerent, & verbis male ominatis par-

(a) *Liv.* IX. 46. *Piso apud Gell.* VI. 9.
(b) *Vid. Sigon. de antiqu. jur. civ. Rom.* II. 9.
(*) Eos a servili comitatu distinguit Livius XXXVIII. 55. f. Sed quod servos publicos aliquando scribarum munia obiisse ait Pignorius p. 61. dubito an satis evincat L. 3. C. de serv. reip. manumit. Belgice dixeris eos *stads-schryvers*, *boek-houders*; at barbara voce *klerken* audiunt.)
(c) *Plut. Cat. Min. p. m.* 766.
(d) *Nepos Eumen. c.* 1. (e) *Vid. Liv.* III. 33.

parcere juberent (f), unde apud Græcos ἱεροκήρυκες sunt dicti (g), quasi *sacros præcones* dicas; eoque alludit D. *Paulus* 1. *Tim. II.* 7. 2. *Tim. I.* 1. Secundo, interveniebant præcones in *auctionibus* (h), ut bona venalia proclamarent, & pretia oblata renunciarent: qui autem in auctionibus publicis emebant, *sectores* dicebantur (i); imo ipsa *auctio sectio* appellatur apud *Cic. Philip. II.* 26. 29. *&c.* Tertio, in concionibus, ut *audientiam facerent* (k). Quarto, in *comitiis* (l), ut populum ad suffragia citarent, & magistratus designatos renunciarent. Quinto, in *legibus ferendis*, ut eas subjiciente scriba populo recitarent. Sexto, in *judiciis*, ut reos, accusatores, testes citarent, instrumenta prælegerent. Septimo denique, in *senatu*, ut literas ad eum missas, aliaque recitarent. Eorum autem ars admodum erat lucrosa (m), erantque plerumque liberi (*). His affines fuerunt *coactores*, qui rerum in auctionibus venditarum pretia exigebant (n). Sed fuerunt etiam *coactores* publicanorum ministri, qui pecunias publicas *cogebant* (o).

§. IV. *De Lictoribus*.

Lictorum origo a Romulo fuit; exemplum rei ab Etruscis. Dicti sunt, juxta (p) plerosque, a *ligando* (q); & magistratibus majoribus, exceptis censoribus, apparebant; primo, *præeundo* cum fascibus virgarum (unde Græce ῥαβδοῦχος) & securibus, de qua re jam satis dictum est; secundo, *submovendo* (r) obvios, (τῷ ἀνασέλλειν (s)) ut locum magistratibus facerent, formula sequente: *si vobis videtur, discedite Quirites*; unde tribuno-

 rum

(f) *V. infra sect. IV. c. 3. §. 6.* (g) *Homer. Iliad. IX.* 170. (κήρυκας tantum invenio: neque enim alteram vocem reciperet versus.) *Athen. IV. p.* 149. (h) *Plaut. Men. V.* 9. 93. (De formulis *subhastare*, *subjicere* hastæ, vid. Brisson. VI.)

(i) *Flor. II.* 6. (48.) *& Cic. pro S. Rosc. c.* 29. 33. 35. *&c.*

(k) *Plaut. Pœn. prol.* 2. (l) *Cic in Verr. V.* 15.

(m) *Martial. V.* 57. *VI.* 8. *Juven. VII.* 6.

(*) Immo ex antiqua lege apud Brisson. de formulis p. 142. *cives Romani* esse debebant, quod etiam claret ex Martiale. II. cc.) (n) *Cic. pro Cluent. c.* 63. *Horat. Serm. I.* 6. 86.

(o) *Vid. Græv. ad Cic. pro Rab. Post. c.* 11. *Inscript. apud Grut. p.* 635. *n.* 5. 6. *p.* 627. *n.* 1. (p) *Vid. Plut. Romulo p. m.* 34.

(q) *Non. I. p.* 80. *edit. Plant.* 1565.

(r) *Liv. VIII.* 33. *Horat. Od. II.* 16. (s) *Dion. Hal. X.* 59.

rum plebis accensus id facere non poterat, quia illi non omnium, sed plebis tantum magistratus erant (t); tertio, *animadvertendo*, ut debitus honos iis redderetur (u). Damnatos etiam jubente magistratu hac vel simili formula: *I lictor, adde virgas reo, & in eum lege age* (x), virgis cædebant, & securi percutiebant (y): erantque fere ex ima plebe, sed tamen libera, & sæpe liberti illius, cui apparebant (z). Itaque diversi erant lictores a servis publicis, de quibus extat senatusconsultum apud *Frontin. de aquæduct. L. II. n.* 1658. *in Thes. Græv. T. IV.* (Adde *Pignor.* & *T. Popmam de servis publicis*. *Adparitores* autem eorum similes fuisse credo, quos nostri majores *wardgelders* dixere: quique hodie Amstelodami ac Lugduni *stoepen*, & Rotterodami *hellebardiirs* vocantur, & magistratibus a custodia corporis sunt.

§. V. *De Viatoribus*.

Viatores, qui proprie ædilium & tribunorum plebis erant ministri, ita sunt dicti, quia frequens eorum ab urbe in agros *via* erat (a), cum proceres illi prisci, quos arcessebant, plerumque ruri degerent (b); agriculturæ enim studiosissimi erant Romani veteres (c).

§. VI. *De Carnifice*.

Carnifex fuit, qui servos, vel infimæ sortis homines gravioribus pœnis damnatos supplicio afficiebat: servi enim & liberti diverso ab ingenuis supplicio afficiebantur (d). Erat autem tanto contemptui, ut extra urbem habitare cogeretur (e): quod etiam apud Græcos obtinuit (f); imo apud *Rhodios* urbem numquam ingrediebatur (g) carnifex.

S E-

(t) *Liv.* II. 56. (u) *Id.* XXIV. 44. (x) *Id.* XXVI. 16.
(y) *Id.* II. 5. *Nonius l. prox. d.* (adde Liv. I. 26. II. 5. & VIII. 7.) (z) *Vid. Cic. in Verr.* I. 26. (a) *Columell. Præf.* 1. *Fest. hac voc.* (Inscriptio quædam apud Gruter. p. 255. habet: *Viatores qui Cæsarib. & Cos. & Pr. apparent.*)
(b) *Cic de senect.* c. 16. (c) *Vid. Juven.* XI. 86. *Sen. de prov.* c. 3. (Cives Romani erant, ut jubebat lex vetus apud Brisson. de formul. lib. II.) (d) *Tac. Annal.* III. 50. & XV. 60.
(e) *Vid. Plaut. Pseud.* 1. 3. 98. *Cic. pro Rabir. perd. reo*, c. 5.
(f) *Pollux Onom.* IX. 1. *f.* (g) *V. Meurs. Rhodo* I. 21. (& Falster. Amœnit. philos. tom. 1. p. 195.)

SECTIO TERTIA

DE JUDICIIS.

CAPUT I.

De Judiciis.

Judicia ſunt vel *privata*, vel *publica*: *privata judicia ſunt controverſiarum de rebus privatis legitimæ diſcuſſiones, cognitiones, & definitiones*. Eorum porro ratio hæc erat.

§. I. *De Citatione*.

Si domi inter amicos lis componi non potuiſſet, (quod tamen plerumque tentabatur (*a*)) die poſtulationum petitor (*) adverſarium *in jus vocabat*, hoc eſt, *rogabat, ut ſe ad prætorem ſequeretur*. Si ſequi nollet, ex legibus XII. tabularum obtorto collo eum in judicium rapere poterat (*b*); ſi antea præſentem aliquem *anteſtatus eſſet* (*c*), hoc eſt, *teſtem advocaſſet* (*d*); quod fiebat tacta ejus *auricula* (*e*), quia *ima auris* memoriæ ſedes habebatur (*f*). Sed poſtea edicto prætoris cautum fuit, ut, ſi quis in jus vocatus non iret, ſatisdaret fore, ut ſe in jure ſiſteret (*g*). Si reus ſatis, vel cautum non dediſſet, poſt anteſtationem in jus ducebatur ad prætorem poſtulationibus ſedentem; alioquin in carcerem, ubi ſervaretur in ſequentem poſtulationis diem in jure ſiſtendi cauſa (*h*). Quod ſi quis domi ſuæ latitaret, extrahere quidem eum inde non licebat (*i*), quia ſua domus tutiſſimum cuique refugium atque receptaculum eſt; verum edicto prætoris, quod ad ædes rei cum teſtatione affigebatur, *citatus* fuit; &, ſi tertiæ citationi (fiebant citationes decem diebus inter ſingulas interpoſitis (*k*)) reus non paruiſſet, prætoris decreto bona ejus poſſideri,

(a) *Vid. Cic. pro Quint c. 5. & 11. & ibi not. Id. pro Cæc. c 2.*
(*) (Qui ambo olim rei ſunt dicti. *Vid. Synonyma* noſtra.)
(b) *Plaut. Pœn. III. 5. 45.* (c) *Horat. Serm* I. 9. 75.
(d) *Plaut. Perſ.* IV. 9. 50. *Curc.* V. 3. 17. *Pœn.* V. 4. 59.
(e) *Hor. d. l. 77. Plaut. Curc.* V. 2. 23. *ſeq.*
(f) *Servius ad Virg. Ecl.* VI. 3. (g) *Tit. D. ſi quis in jus voc. non ier.* (h) *Plaut. Perſ.* II. 4. 18. *Vid. Clar. Noodt obſerv.* II. 20. (i) *L. 18. & 21. D. de in jus voc. Vid. Cic. pro dom. 41.* (k) *L. 68. ſeq. D. de judic.*

fideri, profcribi, & diftrahi jubebantur (l). Si reus in judicium veniffet, actor *edebat actionem* (m), hoc eft, *declarabat*, *qua actione uti*, *& qua ex causa agere vellet*; nam fæpe plures actiones in unam caufam concurrebant: ut, e. g. in caufa furti aliquis poterat agere rei vindicatione, vel conditione furtiva, vel denique ad pœnam dupli in furto nec manifefto, vel quadrupli in furto manifefto (n): ei, qui domo fua prohibitus fuerat, actio injuriarum, & alia de vi illata competebat: & fic in aliis. Tum actor a prætore *actionem*, five *judicium poftulabat*, hoc eft, *petebat*, *ut fibi in adverfarium liceret intendere* (o); reus vero *poftulabat advocatum*. His impetratis actor certa formula *vades petebat*, fore, ut reus certo die (qui plerumque *perendinus* erat) fe judicio fifteret; ifque reum *vadari* dicebatur (p), reus contra dicebatur *vadimonium promittere* (q); & fi non adeffet, *vadimonium deferere* (r). Tertio inde die, nifi *transactum effet* (s), prætor litigatores citari jubebat, quique non adfuiffet (nifi *caufa* (t) *fontica* fuiffet impeditus) caufa cadebat (u).

§. II. *De intentione actionis*.

Si uterque adeffet, *actionem* fuam actor *intendebat* certa *formula* conceptam; fingulæ enim actionum intentiones propriis fuis formulis erant inclufæ, a quibus nec latum unguem recedere licebat (x), nec vel uno nummo, e. g. plus petere (y); eafque compofuiffe dicebatur *Cn. Flavius* fcriba primum; mox ædilis curulis A. U. 449. (z): (a) fed eas formulas prudenter fuftulit Imperator Conftantinus *L. 1. C. de form. & imp. act. fubl.* Concepta actionis intentione, actor *judicium* five *judicem* in eam a prætore poftulabat: fi *judicem*; aut eum, qui proprie *judex* dictus eft, aut *arbitrum*: fi *judicium*; aut *recuperatores*, aut *centumviros*. *Judex*, qui

(l) *V. Sigon. de judic.* I. 18. (m) *L. 1. pr. D. de edend. Plaut. Perf.* IV. 9. 8. (n) *§. 5. Inft. de oblig. quæ ex del. nafc.*
(o) *L. 1. §. 2. D. de poftul. L. 4. §. 8. D. de damn. infect.*
(p) *Hor. Serm* I. 9. 36. *Plaut. Curc.* 1. 3. 5. (q) *Gell.* VII. 1.
(r) *Cic. pro Quint. c.* 14. 15. *&c.* (s) *Quid fit* tranfigere *vid. L. 1. D. de tranfact.* (t) *Tot. tit. D. fi quis caut. in jud. fift.* (u) *V. Suet. Cajo c.* 39. *Horat. Serm.* I. 9. 35.
(x) *Suet. Claud. c.* 14. (y) *Plaut. Most.* III. 1. 122.
(z) *Liv.* IX. 45. *L. 2. §. 7. D. de orig. jur.*
(a) *Cic. ad Att.* VI. 1. *pro Mur. c.* 11. *& de orat.* I. 41.

qui ex albo (*b*) prætoris dabatur (*c*), cognovit omnis generis cauſſas, ſed leviores; nec a formula judicii vel tantillum, ut dixi, ei licebat diſcedere (*d*). (Judex inter partes *ſedere* dicitur Phædr. *Fab. I.* 10. Gell. XIV. 2. *p.* 643. ubi vid. Gronov.) *Arbiter* cognoſcebat de iis cauſſis, quæ *bonæ fidei* (*e*) & *arbitrariæ* dicuntur: & in arbitriis aliquando pecunia deponebatur, quæ dicebatur *compromiſſum* (*f*). Recuperatores dicti ſunt, qui de rebus privatis *recipiendis*, reddendiſque cognoſcebant, & in controverſiis de facto tantum dabantur, ut in injuriis (*g*), &c.

§. III. *De Centumviris.*

De *centumviris* paullo latius eſt dicendum. Hi fuerunt creati terni ex ſingulis tribubus, ita ut revera centum & quinque numero eſſent; qui in cauſſis gravioribus, & quæ non facti, ſed juris erant, (præcipue in hæreditatis petitione, cauſa inofficioſi teſtamenti (*h*), & ſimilibus (*i*)) judicia faciebant. Hæc autem centumviralia judicia nec privatis, nec publicis judiciis erant ſimilia. Vid. *Cl. Græv. Præf. ad tom. II. Theſ. antiquit. Roman.* Sed propriam quamdam ſibi formam habebant: ac præterea centumviri in tribunalibus ſedebant (*k*), cum alii judices ſubſelliis dumtaxat uterentur (*); nec ab iis appellari poterat (*l*), quia totius populi hic conſeſſus quodammodo conſilium erat. Videntur creati centumviri circa a. u. 513. quando primum triginta quinque tribuum numerus expletus eſt, & facit eo *L.* 2. §. 29. *D. de or. jur.* At poſt Auguſtum hæc judicia magis frequentari cœperunt (*m*), & centum ac octoginta ordinario judices conſcripti ſunt, & in quatuor *conſilia*, ſive *tribunalia* diviſi (*n*). Hi prætore denunciante a *decemviris*

(b) Cujus *meminit Senec. de benef.* III. 7. (c) *Gell.* XIII. 8.
(d) *Sen. de clem.* II. 3. & *epiſt.* 48. (e) §. 30. *ſeq. Inſt. de act. Vid. omnino* Cic. *pro* Q. *Roſc.* Com. 4.
(f) *V.* Cic. *ibid. & in Verr.* II. 27. *ad Famil.* XII. 30.
(g) *Gell.* XX. 1. *Vid. Hotom. ad* Cic. *pro* Cæcin. *c.* 1.
(h) *L.* 13. *D. de inoffic. teſtam.* (De centumviralium cauſarum profanatione &c. multa conqueritur Plin. Ep. II. 14.)
(i) Cic. *de Or.* I. 38. *omn.* (k) *Vid. L.* 76. *pr. D. de legat.* 2. (*) (Gell. XIV. 2. ubi vid. Gronov.)
(l) *V. Siccama de jud. centumvir.* I. 6. *Suet. Domit. c.* 1.
(m) *Vid. Dial. de cl. or. c.* 38.
(n) *Plin. Ep.* I. 18. IV. 24. VI. 33. *Quinctil.* XII. 1.

ſlitibus judicandis (o) cogebantur, qui inter minores magiſtratus, & in conſilio prætoris erant; ac etiam centumviris quodammodo præerant: erant autem quinque ſenatores, & quinque equites Romani (p). Præſidebat huic judicio prætor urbanus medius, ut videtur, inter quatuor conſilia; ſed cauſæ leviores in duplici tantum conſilio aliquando agebantur, ita ut uno tempore duæ diverſæ cauſæ agi poſſent (q). Conveniebant centumviri in *Baſilicis*, quæ fuerunt ædificia ſplendida: ubi depoſita erat *haſta* (r), ſignum juriſdictionis: unde *haſtæ judicium* pro *centumvirali* dicitur (s), & *haſtum cogere* dicebantur decemviri; quemadmodum *judicium cogere* dicuntur, *qui judicio præſunt* (t).

§. IV. *De forma judicii.*

Judex, ut arbiter, a reo probari debebat, ac tum *judex convenire* dicebatur (u): & judicio quoque centumvirali uterque tam actor, quam reus ſubſcribere (x) debebat, ut ita in illud conſenſiſſe eos appareret. Judex porro ille dabatur (y), qui nec legibus, nec natura, nec moribus, quo minus judex eſſet, prohiberetur: & in ea verba dabatur, quibus poſtulatus erat. Tum interponebantur *ſatisdationes judicatum ſolvi*, & *rem ratam haberi*. Prior præſtabatur a procuratore rei, abſente reo (z), vel ab ipſo reo, ſi præſens eſſet, in judicio, vel extra judicium, procuratorem ſuum confirmante (a). Hujus ſatisdationis tres erant clauſulæ (b), nempe de *re judicata ſolvenda*; de *re defendenda*, hoc eſt, *judicio ſiſti*; & *de dolo malo*. Sed in propria perſona conventus reus ſatisdatione non gravabatur (c); at de exitu litis exſpectando vel juratoriam cautionem, vel nudam promiſſionem, vel ſatisdationem pro qualitate perſonæ ſuæ dare compellebatur. *Rem ratam haberi*, ſatisdationem præſtare debebat procurator actoris (d), de cujus mandato aliqua ex parte

---

(o) *Lucan ad Piſon.* 45. (p) *Vid. Celeb. Noodt de juriſd.* I. 12.
(q) *Vid. omn. Plin. Ep.* II. 14. (r) *L.* 2. §. 26. *D. de or. jur. Suet. Aug. c.* 35. *Martial.* VII. 62. (s) *Val. Max.* VII. 8. 1.
(t) *Val. Max.* IX. 12 7. *Cl. Noodt de juriſd.* I. 12.
(u) *Val. Max.* II. 8. 2. *Cic. pro Cluent. c.* 43.
(x) *Plin. Epiſt.* V. 1. (y) *L.* 12. §. 2. *D. de judic.*
(z) §. 5. *Inſt. de ſatiſd.* (a) §. 4. *Inſt. eod.*
(b) *L.* 6. *D. judicat. ſolvi.* (c) §. 2. *Inſt. de ſatiſd.*
(d) §. 4. *Inſt. h. t. Vid. Men. arg. in orat. Cic. pro Quint.*

te dubitabatur (*e*): vel, si mandatum exhibere non cogeretur, quales erant personæ conjunctæ actori (*f*). Hujusque rei ratio erat, ne judicia fierent eluſoria, atque ita dominus de eadem re iterum experiri cogeretur. Tum etiam actor eum, unde petebatur, sponsione provocabat, *ni ita esset:* & pecunia, quæ deponebatur, dicebatur *sacramentum* (*g*).

Deinde fiebat *litis contestatio*; quæ nihil aliud est, quam *rei controversæ apud judicem ex utraque parte testato facta narratio* (*h*): & judicium demum a lite contestata incipere dicitur; unde ante *judicium conceptum*, & ante *litem contestatam* idem valent (*i*). Post litem contestatam uterque litigator denunciabat alteri in diem tertium, sive *perendinum* (*k*), unde *comperendinatio* est dicta, quæ eadem *conditio* (*l*). Eo die judicium fiebat; nisi judex aut alter litigantium *morbo sontico* (*m*) impeditus abesset; tum enim *dies diffindebatur* (*n*). Si alter litigatorum non venisset, neque morbum excusasset, prætor in eum *edictum peremptorium* (*o*) dabat; ad quod non post tria, sed post duo edicta ventum est (*p*). Si uterque venisset, judex primo jurabat, se ex lege judicaturum; & mox uterque litigatorum ejus jussu *jusjurandum calumniæ* (*q*) præstabat, hoc est, *jurabat, se non frustrandi, aut vexandi causa litem suscipere* (*r*): *calumniari* enim proprie est, quod Galli hodie dicunt, *chicaner* (*s*). Actor etiam in quibusdam causis *in litem jurabat* (*t*), hoc est, *juratus litem æstimabat* (*u*); scilicet in judiciis bonæ fidei, ubi res repetebantur (*x*), vel, si contumacia, aut dolus rei intervenisset (*y*). Judex, si unus esset, unum vel alterum amicum jurisperitum in consilium sibi adsume-

E 6 bat

(e) *L.* 1. *Cod. de proc.* (f) *d.* §. 3. *Inst h. t*

(g) *Vid. Valeſ. ad Liv.* III. 57. *Varr. de ling Lat.* IV. 4.

(h) *Vid. L. un C. de lit. cont.* (i) *Vid. Cl Noodt de jurisd.* I. 15. (k) *Ascon. ad* 1. *in Verr. c* 9. (l) *Vid. Fest hac voc.*

(m) *Qui quis sit, vid. L ult.* §. 1. *D. de ædil. edict. Gel.* XX. 1. *L.* 60. *D. de re jud L.* 113. *D. de verb. sign.*

(n) *L.* 2. §. 3. *D. si quis caut. in jud. sist. Gell.* XIV. 2. *Vid. legem Numæ apud Fest. voc. Reus.* (o) *L.* 68. *seq. D. de jud.*

(p) *Vid. Cl. Noodt Obs.* I. 8. (q) *Cic. pro Mil. c.* 27.

(r) *Vid. L.* 233. *D. de verb. sign. & ibi Goedd.*

(s) *Pollux Onomast.* VIII. 6. 55. (t) *Cic. pro Q. Rosc. Com. c.* 1. *L.* 5. *D. de in lit. jur.* (u) *L.* 8. *D. eod.*

(x) *L.* 3. §. 2. *D. commod.* (y) *L.* 8. *D. de in lit. jur.* (De jurejurando qualicumque veterum lege Memor. Acad. Inſc. Pariſ. tom. II. p. 244. & tom. V. p. 1. ſeqq.)

bat (z). Tum *causa perorabatur*, quod vel breviter fiebat, & *causæ conjectio* dicebatur (a); vel pluribus & artificiosis verbis, quales sunt orationes *Cic. pro Quinctio*, & pro *Roscio Comœdo*. Rabulæ autem, qui causas tantum *morabantur*, *moratores* inde fuerunt dicti (b). Denique testes audiebantur; & tabulæ aliaque instrumenta producebantur.

§. V. *De exitu judicii.*

Post meridiem ante solem occasum ad *sententiam dicendam* ventum est, nisi judex causam non intellexisset; tum enim jurabat sibi *non liquere*, atque ita judicatu illo solvebatur (c): & hinc postea, ne temere judicarent, aliquando Imperatoris judicium efflagitabant (d). Vel etiam *ampliabat* (e) judex *causam*, hoc est, *differebat*: (ἀναβάλλειν dicunt Græci (f)) quod tamen publicis judiciis magis usitatum fuisse videtur. Pronunciabant autem plerumque judices *videri* (g) sibi rem aliquam ita *esse*, vel *non esse*, etiamsi certissime rem cognovissent (h): alioquin alterum litigatorum condemnabant (i), alterum absolvebant (k). *Arbitri* vero primo arbitrium pronunciabant; deinde, ni reus arbitrio paruisset, eum condemnabant (l); & quidem, si dolus rei intervenisse probaretur, in quantum actor jurejurando litem æstimasset (m); licet etiam quandoque officio judicis jusjurandum taxatione refrenaretur (n). Et in arbitriis quidem judex liberior fuit (o), quam in judiciis, quæ stricti juris erant; quia in arbitriis poterat rationem habere ejus, quod bona fides exigebat (p): licet tamen etiam arbitri prætoris auctoritati essent subjecti (q); iisque eorum, ut aliorum judicum, sententiam & pro-

(z) *Gell.* XII. 13. *Plaut. Merc.* IV. 3. 34.
(a) *Gell.* V. 10. *Vid. L.* 1. *D. de reg. jur.*
(b) *Vid. Asc. & alios ad Div. in Verr. c.* 15.
(c) *Gell.* XIV. 2. (d) *Phædr.* III. 10.
(e) *Ascon. ad Verr.* I. 9. (f) *Lucas Actor.* XXIV. 22. & XXV. 17. (g) *L.* 27. §. 1. *D. de liber. caus.* (Phædr. I. 10. 9. ubi vid. Rittersh. & Rigalt. Adde Brisson. de form. Quod si *non liquere* sibi jurassent, judicatu illo solvebantur. Vid. Gell. XIV. 2. f. adde Phædr. III. 10. 41.)
(h) *Cic. Acad.* IV. 47. (i) *Vid. ex. gr. L.* 1. §. 1. *D. quæ sent. sine ap. resc.* (k) *Vid. Sigon. de jud.* I. 22.
(l) *L.* 18. *pr. D. de dol. mal.* (m) *L.* 68. *D. de rei vind.*
(n) *d. L.* 18. *pr. D. de dol. mal.* (o) *Sen. de benef.* III. 7.
(p) §. 30. & *seq. Inst. de act.*
(q) *L.* 3. §. 1. *D. de recept. qui arbitr.*

pronunciaret, & exequeretur. Cum autem semel judex, sive bene, sive male, sententiam dixisset, judex in ea causa esse desinebat (r).

Peracto judicio, reo aliquando ex justis causis dabatur *restitutio in integrum* (s); quæ est *redintegrandæ rei, vel causæ actio*: & proprii erroris veniæ petitionem, vel adversarii circumventionis allegationem continet, cum *appellatio* iniquitatis sententiæ querelam prodat (t).

Reus, nisi intra triginta dies, quam condemnatus fuerat, judicatum fecisset, vel appellasset, a prætore *nexus creditori addicebatur* (u), ut eum in privatum carcerem conderet, donec pecunia, vel opera satisfecisset (x). Actor contra *calumniæ* judicio tenebatur: *calumniatores* autem sunt, *qui accepta pecunia litem falso intendunt* (y). In judiciis vero divisionis tam reus, quam actor, de calumnia jurare debebat (z).

Judex denique, si sciens (a) dolo malo injuste judicasset, *litem suam faciebat*, hoc est, *veram litis æstimationem præstare cogebatur* (b); de quo crimine aliquando etiam lege repetundarum quæsitum fuit: Quod si pecuniam judex a litigantibus accepisse convinceretur, ex lege XII. tabularum capitis damnabatur (c). Et hæc de judiciis privatis: sequuntur publica.

CAPUT II.

De Judiciis Publicis.

§. I. *Publica judicia quæ sint*.

PUblica *judicia sunt, in quibus quæritur de criminibus*; atque ita vocantur, quia in iis cuivis de *populo* actio permittitur (a). Ita igitur recte possunt definiri, quod sint *Decreta, quæ de crimini-*

(r) *L. 55. D. de re jud.* (s) *L. 1. seq. D. de in integr. rest.* (t) *L. 17. D. de minor.*

(u) *Ter. Phorm. II. 2. 20. Cic. pro Flacc. c. 20. Gell. XX. 1. omn.* (x) *Quinctil. Inst. VII. 3.* (Hi temporarii servi erant, & proprie nexi dicebantur: at durius a dominis habiti magnas sæpe turbas dedere. Vide e. g. Liv. II. 23. Hoc tamen ligandi jus desiit a. u. 429. teste Livio VIII. 28.)

(y) *Tot. tit. D. de calum.* (z) *L. 44. §. 4. D. fam. ercis.*

(a) *L. 15. D. de judic.* (b) *Pr. Inst. de obl. quæ quasi ex d. n. rubr. tit. 13. L. 1. Dig.* (c) *Gell. XX. 1.*

(a) *§. 1. Inst. h. t. Vid. Salm. de modo usur. c. 3. p. m. 103.*

minibus, *quæstore aliquo judicium exercente*, *judices ab eo dati fecerunt*, *prout leges de singulis criminibus latæ jusserunt* (*b*). Fuerunt hæc *judicia*; vel *ordinaria*, vel *extraordinaria*: *illa*, quæ a prætoribus; *hæc*, quæ a quæstoribus (qui *quæstores* parricidii (*c*) dicebantur & duumviri (*d*)) a populo extra ordinem constitutis exercebantur. Atque olim quidem omnia judicia publica erant *extraordinaria*: verum circa A. U. 605. constitutæ sunt *Quæstiones perpetuæ*, (de quibus jam aliquid, cum de Prætoribus ageremus, diximus) hoc est, *certa crimina certis Prætoribus dijudicanda sunt data; ita ut novis legibus ad eam rem amplius opus non esset*. Post hoc tamen tempus multæ etiam Quæstiones, vel ab ipso populo in Comitiis, (de quibus judiciis paulo post dicemus) vel a Quæstoribus extra ordinem creatis exercitæ sunt; & hoc vel ob atrocitatem, vel ob novitatem criminis: ut, exempli gratia, in caussa Milonis, qui Clodium occidisse dicebatur (*e*); & in caussa ipsius Clodii *pollutorum sacrorum* rei (*f*). Et sic A.U. 640. de incesto Vestalium extra ordinem quæsivit *L. Cassius Longinus* (*g*). Primæ autem Quæstiones perpetuæ fuerunt *Repetundarum*, *Peculatus*, *Ambitus*, & *Majestatis*.

§. II. *De materia horum judiciorum*.

Repetundarum, subintellige, *pecuniarum*; (Græci dicunt, *κρίνειν τινὰ κακώσεως ἐπαρχίας judicare aliquem repetundarum* (*h*); & *εὐθύνας ὀφλεῖν*, *damnari repetundarum* (*i*)) *repetundarum*, inquam, judicium est (*k*), quo socii provinciales pecunias, sibi a magistratibus provincialibus contra legem ereptas, *repetunt*; unde *socialis* hæc *lex* a Cicerone in *Verrinis* (*l*) vocatur: & hoc judicio ex lege *Julia* etiam poterat agi adversus eos, ad quos ea pecunia per-

(b) *Vid. Sigon. de jud.* II. 1.
(c) *L.* 2. §. 23. *ff. de O. J.*
(d) *Cic. pro Rab. c.* 4. *Liv.* l. 26.
(e) *Vide Orat. pro Milone*.
(f) *Cic. ad Att.* I. 12. *Plut. Cic. p. m.* 874.
(g) *Ascon. ad Cic. pro Mil.* 12.
(h) *Plut. Cæs. non longe ab init.* (i) *Æschin. apud Buæ. comm. L. Gr. p. m.* 42. (k) *L.* 1. 3. 4. *ff. ad L. Jul. repet. Possel. Calligr. p.* 44.
(l) *Vid. Divinat.* 5. & 20.

pervenerat (*m*): licet videatur etiam exilii pœna fuisse constituta repetundarum damnatis (*n*). *Peculatus* judicium est, quo quis accusatur furti pecuniæ, publicæ, vel sacræ (*o*); itaque *κλοπὴ τῶν δημοσίων* dicitur Plutarcho aliisque. Peculatui affinis est quæstio *de pecuniis residuis*, ut nempe pecuniæ publicæ, quæ residuæ apud quemque essent, exigerentur (*p*). *Ambitus* crimine tenetur, qui malis artibus honores a populo impetrare conatus est (*q*); itaque hoc judicium in Urbe cessavit, postquam ad curam Principis magistratuum creatio pertinuit, non ad populi favorem. *Majestatis* crimen est (non ut vulgo hodie prave enuntiant, *læsæ Majestatis*; * & hoc crimen aliquando simpliciter *Majestas dicitur* (*r*)) quod adversus Populum Romanum, aut ejus securitatem committitur (*s*), ut exercitum e provincia educere; sua sponte bellum gerere; injussu populi, aut Senatus in regnum accedere (*t*); legiones sollicitare (*u*). Sed hujus criminis prætextu secuti Principes plurimos innocuos sustulerunt, ita ut *Plinius Paneg. p. m.* 121. eleganter dicat, *Majestatis singulare & unicum crimen fuisse* (sub Domitiano scilicet) *illorum, qui crimine vacarent*. *Majestas* autem, ut id obiter addam, quemadmodum ea vox hodie sumitur, vel potius quemadmodum sumi oporteret, nihil aliud est, quam *dignitas ex imperio & honore*; nec tale quid, quale hodie sibi fingunt omnipotentiæ Principum patroni (*x*). Hoc crimen sub Imperatoribus *impietatis crimen* dictum fuit (*y*): *δίκη τῆς ἀσεβείας* (*z*). His quæstionibus postea Sulla Dictator adjecit quæstiones de *Sicariis* & *Veneficis*, (quibus qui teneantur, videri potest in titulo Pandectarum ad eam legem) & *de*

(m) *Cic. pro Rabir. Post.* 4. (n) *Vid Cic Verr* IV. 10. *collato cum orat. pro Balbo* II. *nam ex iis locis videmus*, C. Catonem Tarracone *exulasse*. (o) *L.* 1. *&* 4 *ff ad l. Jul. pecul. in Cic.* 1. *in Verr.* 4. (p) *Ascon. ad Cic. Cornel.* 1. *p.* 561. *ed. Græv. Rubrica tit.* 13. XLVIII. *ff.* (q) *Vid. l. un. pr. ff. de L. Jul. amb.* (*) (Tamen Tac. Ann. III. 24. dixit: *nam culpam ... gravi nomine* læsarum religionum *ac* violatæ majestatis *adpellando*.)

(r) *Cic. ad Famil. III.* 2.

(s) *L.* 1. §. 2. *ff. ad L. Jul. Majest. Cic. Verr.* 1. 5.

(t) *Cic. in Pis.* 21. (u) *Id. pro Cluent.* 35. (Insigne exemplum in Pisone V. apud Tacit. II. 79. seqq.)

(x) *Vid. elegantiss. Radb. Herm. Schelium de jure Imperii p. m.* 46. (y) *Tac. Ann.* VI. 47.

(z) *Xiphilin.* 66.

& *de Falso*. *Falsi* crimen committit, qui testamentum, vel aliud instrumentum falsum fecerit, vel monetam adulterinam sit fabricatus (*a*): unde hæc lex etiam *testamentaria* & *nummaria* dicitur a Cicerone in *Verrem L. 1. c. 42. §. 7. Instit. de publ. jud.* Mox etiam aliæ quæstiones accesserunt, ut quæ fiebant *ex lege Pompeja de parricidis*: (quorum pœna erat (*b*), ut cum simia, cane, serpente, & gallo gallinaceo culleo insuti, & virgis sanguineis verberati in mare demergerentur (*c*): quod si mare longius abesset, secundum D. Hadriani constitutionem ad bestias dabantur, vel vivi exurebantur (*d*)) *ex legibus Juliis de vi publica*, vel *privata*: *vis publica* est, quæ principaliter rei jurique publico (*e*) contraria est; *vis privata*, quæ rei jurique privato (*f*). Et sic aliæ præterea quæstiones, ut *de adulteriis*, *de perjuriis*, &c. fuerunt.

§. III. *De Ordine Judicii Publici*.

Ordo Judicii Publici hic erat: Qui aliquem accusare volebat, eum in jus vocabat eo modo, quem in privatis Judiciis diximus: & hoc sæpe juvenes nobilissimi faciebant, qui ex virorum illustrium accusatione gloriam sibi aucupabantur (*g*); vel, ut loquitur Cicero *pro Cœlio cap. 7. adolescentiam suam commendare volebant* (*h*). Inde accusator a Prætore postulabat, ut sibi ejus *nomen deferre* liceret: (quod itaque ab ipsa accusatione distinguendum est (*i*)) sed hoc nec mulieribus (*k*), nec pupillis (*l*), (nisi in certis caussis, ut si parentum, liberorumque, & patroni, & patronæ, & eorum filii, filiæ, nepotis, neptis mortem exequantur) nec militibus concedebatur (*m*), nec infamibus: neque etiam licebat magistratus, vel eos, qui caussa Reipublicæ abes-

(a) *Vid. tit. ff. ad l. Corn. de fals. l. 8. & 9. eod.*
(b) *L. 9. ff. h. t.*
(c) *Juven. VIII. 213. Suet. Ner 45.*
(d) *L. 9. ff. ad L. Pomp. de parr. Vid. Cl. Noodt probab. I. II.*
(e) *L. 1. & 3. ff. ad l. Jul. de vi publ.*
(f) *Tit. ff. ad l. Jul. de vi priv.*
(g) *Exem. ap. Suet. Jul. 4. Cic. in Verr. 1. 38.*
(h) *Vid. etiam Cic. ib. 30.*
(i) *Vid. Cic. ad Famil. VIII. 6. & ibi Manut. Id. pro domo 19.* (k) *L. 8. ff. de accus.*
(l) *L. 2. §. 1. ff. eod.*
(m) *D. l. 8. ff. eod.*

abessent, accusare secundum legem *Memmiam* (n). Si autem plures essent accusatores, judicium fiebat (o), uter deferre deberet, quod *Divinatio* dicebatur: de cujus nominis ratione vide *Ascon. argumento in divinationem Ciceronis*, & *Gellium II. c. 4.* Alii vero, si vellent, excusationi subscribere poterant (p). Inde die constituta coram Prætore *delatio nominis* certa etiam formula fiebat, (exempli gratia, *Ajo te spoliasse Siculos, &c. atque eo nomine sestertium millies ex lege repeto* (q)) si prius accusator jurasset *calumniam* (r), hoc est, *se non calumniandi caussa rei nomen esse delaturum*. Quod si reus tacuisset, aut confessus esset, *lis æstimabatur* (s) in judiciis repetundarum, aut peculatus; aut *pœna repetebatur* in aliis. Si inficiatus esset, postulabatur, ut *nomen ejus inter reos reciperetur*, hoc est, *in tabulas inter reos referretur* (t): delatio autem libello subscripto, quo omnia & singula ad accusationem spectantia comprehendebantur, apud Prætorem relinquebatur (u). Tum Prætor certum diem, quo uterque, reus scilicet & accusator, adesset, constituebat; qui aliquando decimus, aliquando tricesimus erat; & in judicio repetundarum sæpe longior (x), quia scilicet probationes ex provinciis multa inquisitione erant petendæ. His factis reus cum amicis & cognatis suis *sordidum* (y), sive obsoletum habitum adsumebat, & patronos sibi conquirebat. Cum dies dictus advenisset, accusatores, reus & patroni ejus per præconem *citabantur*, quique non adfuisset, *caussa cadebat* (z): sive absente accusatore rei nomen ex tabulis eximebatur (a). Si adessent, *sortitio judicum* fiebat eo numero (b), quem

(n) *Cic. in Vatin.* 14. *Val. Max.* III. 7. 9.
(o) *L.* 16. *ff. de accus.*
(p) *Cic. divin. in Verr.* 15. *&* *ibi Ascon. Tac. Ann. I.* 74. *Cælius ad Cic.* 8. *Liv.* XXXIII. 47. (Nepos Attic. 6.)
(q) *Divin. in Verr.* 5.
(r) *Cælius ad Cic. Famil.* VIII. 8. *Liv.* XXXIII. 47.
(s) *Cic. in Verr. Act.* 1. 13.
(t) *Cælius ad Cic. l. d.*
(u) *L.* 7. *pr. & §.* 1. *ff. de accus. Gell.* II. 4.
(x) *Ascon. argum. Act. I. in Verr.*
(y) *L.* 39. *ff. de injur. Liv.* II. 54.
(z) *Ascon. in argum. Cornelian.*
(a) *Cic. Verr.* II. 40. *&* IV. 15.
(b) *Ascon. in Proœm. Act. in Verr. &* 6.

quem lex præscribebat; & ex illis, qui eo anno ad judicia selecti erant (*c*): quæ, ut jam antea vidimus, aliquando penes Senatores, aliquando penes Equites fuerunt; quibus demum ex lege *Aurelii Cottæ* Prætoris accessere *Tribuni ærarii* (*d*): quos sustulit Julius Cæsar (*e*): sed iis restitutis *Ducenarios* addidit Augustus, qui de levioribus summis judicarent (*f*). Ex his litigantes, quos idoneos sibi non putabant, *rejicere* poterant (*g*); atque in eorum locum Prætor, vel Judex quæstionis alios *subsortiebatur* (*h*): in judicio vero repetundarum ex lege *Servilia* (*i*) actor ex quadringentis & quinquaginta judicibus edebat centum, ex quibus reus quinquaginta rejicere poterat. *Judices citati* (nisi ex justis caussis se excusassent) *jurabant* (*k*), se ex lege judicaturos. Hinc jam caussa peragebatur *accusatione*, & *defensione*. *Accusatio* maxime nitebatur *testimoniis*, quæ *sunt probationes artis expertes*; *suntque triplices*. Primo, *Quæstiones*, sive *testimonia a servis tormentis expressa* (*l*); quod tamen contra dominos non licebat, nisi in caussa incestus (*m*), vel conjurationis. Secundo, *Testes*, qui debebant esse homines liberi & non infames (*n*): erantque vel *voluntarii*, vel *inviti* (*o*), quibus ex lege accusator testimonium denunciare poterat (*p*): utrique autem *jurati* testimonium dicebant; unde etiam *juratores* dicuntur (*q*). Alii autem *juratores*, ut hoc obiter addam, erant, qui portum intrantes de nomine suo, de patria, de mercibus, quas ferebant, interrogabant; quorum meminit modo citatus *Plautus in Trinummo A. IV. S. II. vers.* 30. posses eos hodie Gallice dicere, *des commis de recherche*.

(c) *Vid. de hac re omn. Patric. ad Or. pro Scauro p.* 1006. *ed. Grav.* (d) *Ascon. ad Or. in Pis.* 39.
(e) *Suet. Jul.* 41. (f) *Id. Aug. in* 32.
(g) *Vid. Abram. not. ad Cic. in Vatin. II. P. Manut. in argum. Or. pro Mil.*
(h) *Ascon. in Verr. l. d. & ipse Cic. Act. I. in Verr.* 10.
(i) *Vid. Sigon. de jud. II.* 27.
(k) *Vid. Cic. Lucull. vers. fin. & Phil. V.* 5.
(l) *Id. pro Cluent.* 63. (Exempla frequentia occurrunt ap. Livium. Adde *Tacit. III. Annal.* 14. 22. 23. 67. & *Ascon. in Milonian.* p. m. 2777. *Terent. Adelph. III.* 4. 37.)
(m) *Cic. pro Mil.* 22. *& in partit.* 34.
(n) *L.* 3. *pr. ff. de testib.* (Terent. Phorm. II. 1. 63.)
(o) *L.* 4. *ff. eod. Vid. l.* 19. *Cod. de test.*
(p) *Cic. pro Rosc. Amer.* 38. *& in Verr. I.* 9.
(q) *Plaut. Prol. Poen.* 58. *Senec. Apocolec. init.*

obe. Sed e diverticulo in viam. Tertio igitur, etiam ex tabulis accusatio instituebatur, quarum nomine omne scripturarum genus venit, quo caussa firmari potest: ut, e. g., tabulæ dati & expensi; tabulæ auctionariæ (r); tabulæ argentariorum (s). His productis accusator dicebat oratione ad inferenda & augenda crimina artificiose composita; cui patroni rei defensionem ad misericordiam movendam factam opponebant: itaque præter testimonia, etiam argumenta petita ex vita anteacta rei, tum conjecturas, suspiciones, &c. addebant: & præcipue in peroratione judicum animos flectere conabantur. Præter patronos reus etiam plerumque *laudatores* exhibebat viros amplissimos (t); præsertim si quis reus repetundarum esset, qui provinciales quosdam testes sibi adducere solebat: dabanturque fere, quasi legitimo numero, laudatores decem (u): & præterea etiam personæ miserabiles, liberi forte rei impuberes, uxor similesque producebantur (x).

§. IV. *De Sententiæ latione.*

Inde Judices *Sententiam ferebant*; nisi lex *Comperendinationem* haberet, ut in judicio repetundarum (y). *Comperendinatio* autem differebat ab *Ampliatione* (de qua mox) præcipue, quod hæc in certum diem pro arbitrio Prætoris, illa semper in *perendinum* fiebat (z): tum, quod in comperendinatione prior defensor, inde accusator dicebat, quod in ampliatione secus obtinebat. *Sententia ferebatur* hoc modo: Prætor judicibus *tabellas* dabat (a), eosque, ut sententiam ferrent, *in consilium mittebat* (b). Tabellæ autem erant triplices (c): Una *absolutionis*, in qua erat litera A. Altera *condemnationis*, in qua litera C. (d). Tertia *Ampliationis*, in qua literæ N. L. significantes *Non liquet*: & hæc am-

(r) *Cic. Catil.* II. 8. *Id. Agrar.* II. 25. (s) *Quintil.* XI. 2.
(t) *Cic. pro Balbo* 18. *Id. ad Famil.* I. 9. *Suet. Aug.* 56.
(u) *Cic. in Verr.* V. 22. (x) *Vid. eund. pro Sext.* 65.
(y) *Cic. in Verr.* I. 11. & II. 7. & *Val. Max.* VIII. 1. 2.
(z) *Ascon. ad Cic. in Verr.* I. 9. (a) *Cic. pro Flacc.* 39.
(b) *Cælius ad Cic. Famil.* VIII. 8. (c) *Ascon. ad Cic. Divin. in Verr.* 7. *Vid. Or. pro Cluent.* 18. (d) *Cic. pro Mil.* 6. (Vel Θ Martial. VII. 36. & Ascon. Pedian. ap. Erasm. in Chiliad. *Isidorus* quoque 1. *Orig.* c. 3. Nam judices eandem literam *Theta* apponebant ad eorum nomina, quos supplicio afficiebant.)

ampliatio, incertis judicibus utrum absolvere, aut condemnare reum deberent, sæpius fieri poterat (e). Hæ tabellæ a judicibus in *urnam* conjiciebantur (f); unde cum essent eductæ, Prætor *sententiam*, postquam eam ex tabellis cognovisset, (prætexta prius posita (g)) *pronunciabat* certa formula conceptam, scilicet, *videri aliquem aliquid fecisse*, (ut nempe dubitationis aliquam speciem præ se ferrent) vel, *videri jure fecisse* (h), vel contra: æquis autem suffragiis reus absolvebatur (i). Atque in ipsa formula condemnationis *Pœna* plerumque etiam exprimebatur hoc modo, exempli gratia, *Videtur vim fecisse, eoque nomine aqua & igni ei interdico*; quod Græcis est, πυρὸς καὶ ὕδατος εἴργω. *Dion. Hal. IV. c. II.* apud *Plutarchum* vero *in Mario p. m. 420. A.* additur καὶ στέγης, *& tecto*: & idem Græce etiam dicebatur εἴργεσθαι ἀγορᾶς, καὶ τῶν ἱερῶν (k): verum licet pœna expressa non esset, tamen legis potestas in reum exercebatur (l): quemadmodum fere hodie in Anglia judices ex privatis, quos *juratores* vocant, pronunciant, *guilty or no guilty*, *sontem esse vel insontem*; Judex vero regius legem exequi curat. Condemnatum reum sequebatur *litis æstimatio* in judiciis repetundarum (m) & peculatus; in aliis *animadversio* pro ratione delicti. Reo vero absoluto duo judicia adversus accusatorem relinquebantur: alterum *Calumniæ* (n), si falsum crimen dolo malo intulisse constaret; cujus pœna erat, ut frons calumniatoris (o) lit. K. (ab ea enim litera olim vox hæc inchoabatur scribendo, *Kalumniam* (p)) inureretur; unde *integræ frontis hominem* dicimus pro *probo* (q): alterum *Prævaricationis*,

(e) *Val. Max. VIII. 1. Liv. XLIII. 2.* (f) *Vid. Virg. Æn. VI. 431.*

(g) *Senec. de Ira I. 16. Val. Max. IX. 12. 7.*

(h) *Vid. Cic. Lucul vers. fin.* (i) *Id. pro Cluent. 27. Dion. Hal. IV. 64. f. licet ibi de judicio populari agatur. Lege autem ibi: ὥστε εἰ μία προσῆλθε αὐτῷ φυλὴ &c.*

(k) *Bud. comment. ling. Gr. 394.*

(l) *Cic. pro Sulla 22. l. 1. §. 4. ff. ad SC. Turpil.*

(m) *Vid. Cic. pro Rabir. Post. 4. & ibi Abram. Vellej. Paterc. II. 8.*

(n) *L. 1. §. 1. & seq. ff. ad SC. Turpill.*

(o) *Plin. Paneg.* (Schol. ad Cic. pro S. Roscio 20.)

(p) *Martian. Capell. III.* (Plin. Paneg. XXXV. 3. & ibi Cellar.) (q) *L. 13. ff. de Testib.*

nis, si accusatorem cum reo collusisse, vel vera crimina reticuisse probaretur (*r*).

Præter Prætorem etiam his judiciis præerat, qui *Judex Quæstionis* dicebatur. Hunc Sigonius (*s*) (cui adsentitur *Celeberr. Noodt de jurisd. II. c.* 5. (*t*)) putat fuisse magistratum captum post ædilitatem (*u*); ejusque fuisse munus, tum, ut absente Prætore ejus munere fungeretur; tum, ut datam actionem exerceret, judices sortiretur, testes audiret, tabulas inspiceret, quæstiones haberet, & reliqua faceret, quæ Prætor fere vel propter dignitatem, vel propter occupationes minus curabat.

§. V. *De Judiciis popularibus*.

Constitutis Quæstionibus perpetuis quædam tamen *judicia*, ut diximus, *apud populum Comitiis* peracta sunt (*x*): & *judicium* quidem *perduellionis* semper Comitiis centuriatis. *Perduellis* autem dicitur (*y*), *qui hostili in Rempublicam animo esse deprehenditur*; nam *hostes* veteres *perduelles* dicebant (*z*). Ergo hoc crimine tenebatur, qui directo contra leges de jure civitatis, aut libertatis populi fecerat; ut contra legem *Porciam*, (latam A. U. 556. a *P. Porcio Læca* Tr. pl. (*a*)) vel *Semproniam* (*b*): quarum illa vetabat, ne quis civis Romanus verberaretur, aut necaretur (*c*); hæc, ne de capite civis Romani injussu populi judicaretur (*d*): merito enim de his rebus ipse populus cognoscebat, eratque hoc crimen inter crimina majestatis atrocissimum (*e*). *Tributis Comitiis* judicia facta sunt, cum Magistratus, vel Pontifex non capitis aliquem arcesseret, sed mulctam indiceret (*f*): vel, si capitis die dicta, antequam illa venisset, reus spon-

(r) *L.* 1. §. 6. *ff. ad SCtum Turpil. l.* 1. *ff. de prævar. Vid. Cic. Partit. Orat.* 36. (s) *De judic. II.* 5.

(t) *Vid. etiam Suet. Jul.* 11. *& ibi Cas.*

(u) *Vid. Græv. ad d. l. Suet. & omn. Grut. Inscr. CCXXV.* 7. *Cic. pro Cluent.* 27. *&* 29.

(x) *Cic. pro Sext.* 30. *& de LL. III.* 4.

(y) *L.* 234. *ff. de V. S.*

(z) *Plaut. Amph. I.* 1. 94.

(a) *Vid. Vaill. G. Porcia* 10.

(b) *Vid. exem. ap. Val. Max. VI.* 5. 3.

(c) *Liv. X.* 9. *Cic. pro Rab. perd. reo* 4.

(d) *Ibid. Plut. Gracch. p. m.* 836. *D.*

(e) *Vid. Cic. Verr. I.* 5. *Liv. XXVI.* 3.

(f) *Cic. de legg. III.* 3.

ſponte ſua in exilium abiiſſet, hæc Comitia ſufficiebant, ut exilium ei confirmaretur (g).

Forma Judicii popularis hæc erat: Magiſtratus, qui aliquem accuſare vellet, populo per præconem convocato e roſtris (h), *diem* reo *dicebat* ad audiendam accuſationem; & in rebus capitalibus quidem *Vades* (i), (quod primum contigit in *K. Quinctio* (k) A. U. 291.) in mulcta *prædes* a reo petebat (l), qui ſi dati non eſſent, reus ad diem judicii in carcere ſervabatur. Cum dies dicta veniſſet, neque par, vel major Magiſtratus interceſſiſſet, reus per præconem e roſtris citabatur (m); &, ſi non veniſſet, neque excuſatus eſſet, mulcta ei dicebatur (n). Si veniſſet, accuſator teſtibus & argumentis adhibitis accuſationem inſtituebat, eamque ter intermiſſa die peragebat. In ſingulis autem accuſationibus *pœnam*, *mulctamve* pro arbitrio accuſator *dicebat*, eaque *anquiſitio* dicebatur (o): populus vero, qui mulctam aut remittebat, aut jubebat, *mulctam certare* dicebatur (p). Tum per tres nundinas (q) rogationem ſcriptam promulgabat, quæ crimen & pœnam continebat (r): ipſis deinde tertiis nundinis quartam accuſationem peragebat (s), & tum denique poteſtas dabatur reo ad dicendum. Poſt hæc magiſtratus, qui accuſabat, diem Comitiis edicebat, vel, ſi Tribunus plebis aliquem perduellionis accuſaret (t), diem Comitiis a majore Magiſtratu petebat. Tum deinde reus cum amicis populum *ſordidati* (u) ſupplicabant & *prenſabant* (x); ac judicium fiebat ſuffragiis latis eo modo, quem capite de *Comitiis* diximus: niſi interceſſiſſet aliquis, aut judicium auſpiciis, vel excuſatione morbi, exilii, aut funeris curandi eſſet diſcuſſum: vel etiam ſi accuſator accepta excuſatione *diem prodixiſſet* (y); aut placatus plane ab accuſatione (z) deſtitiſſet. Denique, vel *abſolutio* rei, vel in eum damnatum *animadverſio* ſequebatur.

§. VI.

(g) *Liv* II. 35 XXVI. 3. (h) *Vid. Plut. in Bruto p. m.* 956. (i) *Auſon. Technopægn. p.* 488. *ed. Toll.*
(k) *Liv.* III. 13. (l) *Gron. ad d. Liv. l.*
(m) *Liv.* XXXVIII. 51. (n) *Exem. vid. ap. Liv.* XXV. 4.
(o) *Id.* II. 52. XXVI. 3. (p) *Idem* XXV. 3. *Cic. de LL.* III. (q) *Cic. pro domo* 16. (Dionyſ. Halic. VII. 58.)
(r) *Aſcon. in Or. Cic. pro M. Scauro init.*
(s) *Cic. pro domo* 17. (V. Sigonium, de omnibus his late differentem.) (t) *Liv.* XXVI. 3. (u) *Gell.* III. 4.
(x) *Liv.* II. 51. III. 12. & 58. (y) *Liv. d. l.*
(z) *Id.* IV. 42.

§. VI. *De Suppliciis Rom.*

Itaque pauca hic addamus licet de diversis *poenarum*, quae apud Romanos obtinuerunt, generibus. Eae vel bona spectarunt, ut *damnum*; vel *corpus*, ut *vincula*, *verbera* & *talio*; vel *jus*, ut *ignominia*, *exilium*, *servitus*; vel denique ipsa *morte* quidam puniti sunt. *Damnum* alio nomine *mulcta* est dicta: & antiquissimis temporibus in ovibus & bubus dumtaxat constitit (*a*): sed cum ea mulctae punitio inaequalis esset, quod boves, ovesque alias parvi, alias majoris pretii adducerentur, postea *lege Ateria* constituti sunt in oves singulas aeris deni, in boves aeris centeni: ita ut maxima mulcta tunc esset termille & viginti assium (*b*).

Vincula erant, vel *publica*, vel *privata*: *Publica* erant carcer, in quem post confessionem rei conjiciebantur (*c*): (unde nonnisi 10. die post latum judicium ad supplicium duci poterant. Vid. Tacit. Ann. III. 51. & ibi Gronovium.) *Privata*, cum apud magistratus domi, aut etiam privatos nobiles custodiendi ponebantur (*d*).

Verberatio, quae virgis fiebat, extremum mortis supplicium praecessit (*e*): *fustuarium* autem in castris magis obtinuit; de quo ergo suo loco dicemus.

Talio ex lege duodecim tabularum erat poena injuriae propter membrum ruptum (*f*); nisi reus cum laeso de poena remittenda pactus fuisset (*g*).

Ignominia fuit infamia, ita dicta, quod *in nomine* tantum versaretur (*h*), ut jam supra diximus: eaque jus munerum, honorumque civilium ferme ademit.

Exilium quidem in irrogatione poenae non nominabatur, sed *aquae & ignis interdictio*, quam necessario sequebatur exilium: neque enim sine aquae & ignis usu esse quisquam in Urbe poterat (*i*): sed aquae & ignis interdictioni sub Augusto successit deportatio (*k*). His mitius puniebantur *relegati* (*l*),

(a) *Gell.* XI. 1. (b) *Fest. V. Mulcta*. (Qui ad nostram monetam valent 75 $\frac{1}{2}$ floren.)

(c) *L.* 5. *ff. de cust. reor.* (d) *Liv.* XXXIX. 14. *Sallust. Catil.* 51. (e) *Suet. Ner.* 49. (f) §. 7. *Institut. de injur.* (g) *Gell.* XI. 1. *Fest.* V. *Talionis*. (h) *Cic. de Rep. IV. ap. Non.* I. 93. (i) *Vid. eund. pro Caecin.* 34. (k) *Vid. P. Manut. de LL. Rom.* 23. *f.*

(*l*), quippe qui civitatem retinerent; quæ aquæ & ignis interdictione, sive exilio tollebatur (*m*): eaque pœna honestiorum ferme erat (*n*).

In *Servitutem* vendebantur, qui nomen suum in censum non detulissent (*o*); vel, qui citati nomen militiæ non dedissent (*p*).

Mortis damnati, vel *securi percutiebantur* prævia, ut diximus, verberatione (*q*): eaque pœna *more majorum* infligi dicebatur (*r*); vel *laqueo* ipsis guttur in carcere frangebatur (*s*); vel de *robore*, qui locus quidam in carcere erat, præcipitabantur (*t*); vel denique de saxo *Tarpejo* dejiciebantur (*u*): sed hoc pœnæ genus postea abolitum fuisse videtur (*x*): *Servorum* vero supplicium ordinarium erat *crux* (*y*), sive *furca*, quam ipsi *ferre* debebant, unde *furcifer* commune servorum opprobrium (*z*); licet alii *patibulum* furcam fuisse dicant (*a*). Aliquando etiam servorum frontes literis inurebantur (*b*). Dum autem ad supplicii locum ducebantur, *nolam* de collo pendulam gestabant (*c*), ne obvii forte infausto occursu polluerentur.

Aliquando etiam ignominiæ causa cadavera uncis per Urbem tracta (*d*) in *scalas Gemonias* abjecta sunt (*e*); vel etiam in Tiberim (*f*).

Alia suppliciorum genera, quod arbitraria fere fuerunt, & pro libidine ac sævitia Principum exacta sunt, non recensebimus.

Locus, ubi judicia publica exercita sunt, fuere forum, vel Campus Martius, vel etiam Capitolium: privata in foro coram tribunali, vel in basilicis, vel denique de plano sunt peracta.

(In-

(l) *Ovid. Trist. II.* 137. (m) *L.* 2. *ff. de publ. jud.*
(n) *Juven. XIII.* 247. (o) *Dion. Hal. VI.* 15. *&* *V.* 75.
(p) *Cic. pro Cæcin.* 34. *Valer. Max. VI.* 3. 4. (v. et. p. 81.)
(q) *Liv. II.* 5. *&* *XXVI.* 15. (r) *Svet. Ner.* 49. (& Cæs. g. b. VI. 44.) (s) *Sall. Catil.* 55.
(t) *Fest. V. Robur.* (u) *Liv. VI.* 20.
(x) *L.* 25. *ff. de pœn.*
(y) *Plaut. Mil. II. IV.* 19. *Juven. VI.* 219.
(z) *Donat. & Eugraph. ad Ter. Andr. III. V.* 12. *Plut. quæst. Rom.* p. 280. (Similes tituli sunt, *mastigia*, *verbero*, *cruciarius*.)
(a) *Isid. Orig. V.* 27.
(b) *Juven. X.* 24. *Plaut. Cas. II. VI.* 49.
(c) *Id. Pseud. I. III.* 98.
(d) *Juven. X.* 66.
(e) *Svet. Vitell.* 17. (Tib. 75.)
(f) *Lamprid. Heliog.* 17.

(Inter notas, sceleſtis poſt mortem adjectas, potiſſimæ fuere *nominis* atque *imaginis*. (1) Ne quis ex eorum gente idem deinde prænomen gereret. *Liv. VI.* 20. *Tac. Ann. II.* 32. & *III.* 17. (2). Ut eorum nomen e faſtis raderetur. *Tac. Ann. III.* 17. (3) Ne eorum imago funus familiare ſequeretur. *Tac. Ann. II.* 32. & *III. fin.* Sequentia autem loca ex Falſteri V. CL. Amœnit. Philolog. *de pœna nominis* tranſcribimus: *Gell. II. 6. VII.* 20. & *IX.* 2. *Lactant.* de Perſec. *III.* 3. *Svet.* Domit. c. ult. *Lamprid.* in Commodo c. ult.) plura dabit conſultiſs. C. H. Trotz in *Memoria damnata*.

(Crucem & patibulum idem eſſe vid. Juſt. XXII. 7. Et alia apud Lipſ. & Bartholin. de cruce. FR.)

SECTIO QUARTA

De Sacris Romanorum.

CAPUT PRIMUM.

De Diis.

IN Sacris Romanorum hæc tria potiſſimum conſideravimus: primo ſcilicet, *quos coluerint*; ſecundo, *per quos*; tertio, *quomodo*.

§. I. *De diverſis Deorum generibus.*

Dii, *quos coluerunt* Romani, fuerunt fere innumeri (*a*), præſertim cum procedente tempore & prolato Imperio omnia fere ſacra peregrina in Urbem penetraverint (*b*); quorum tamen Deorum maxime celebratos duntaxat recenſebimus. Diſtribuebantur *in Deos Majorum gentium* (*c*), & *Minorum gentium*. *Majorum gentium* Dii erant *duodecim Conſentes*, ita dicti ab antiquo verbo *conſo* pro *conſulo* (*d*); & octo *Selecti* (*e*). *Minorum gentium Dii* ſunt, qui *Semones*, *Indigetes* & *Semidei* vocantur: quibus etiam *Dii agreſtes*, *marini*, *fluviatiles*, & ſimiles ſunt accenſendi.

F §. II.

(a) *Vid. Plin. H. N.* II. 7. *Juven.* XIII. 45.
(b) *Min. Fel. p.* 16. *ed. Rigalt.* (c) *Cic. Tuſc.* I. 13.
(d) *Auguſtin. de C. D.* IV. 23.
(e) *Vid. Varr. fragm. p.* 41. *ed. Durdr.*

§. II. *De Jove*.

Consentum, (quos *Ennius* his versiculis comprehendit (*f*),

Juno, *Vesta*, *Minerva*, *Ceres*, *Diana*, *Venus*, *Mars*,
Mercurius, *Jovi'*, *Neptunus*, *Vulcanus*, *Apollo*.)

Consentum, inquam, primus est *Jupiter* omnium Deorum maximus (*g*), Deorum atque hominum *Pater* (*h*): & *Jovis* quidem nomine communiter *summa divinitas* significata fuisse videtur, ut in Oriente *τῷ Bel*, sive *Baal*. Vide *Selden. de DIIS Syris Synt. II. c.* 1. *p. m.* 109. qui recte, ut videtur, inde statuit *Jovis nomine* pro *vero Deo* nos uti posse (*). Hic juxta quosdam (*i*) ita dictus est, quasi *Juvans Pater*: sed verius est antiquum nominativum *Jovis* fuisse junctum voci *Pater*, & inde primum factum esse *Jovis pater* (*k*), mox *Joupiter*, & *Jupiter*. *Canterus* vero *annotationibus in epitaphia Heroum Homericor. p.* 23. vult *τὸ Jupiter* esse diminutivum a *Diuspiter*; cum antiquis *Dius* fuerit, quod nobis est *Deus*. *Jovis* autem ab Hebraico *Jehovah* dictum videtur: nisi verior sit opinio *Salmasii* in *epist. ad Menagium p. m.* 5. *Jupiter* vocem esse a Ζωπάτηρ. Vid. & *Voss. Etymol. V. Juvo*: & L. *Cappell. dissert. de nom. Jehovah p. m.* 289. Fuerunt hoc nomine plures; & *Varro* vel trecentos fuisse dicit (*l*), quorum omnium res gestæ postea uni Jovi *Cretensi* sunt adscriptæ. Sic *Saturni*, & *Rheæ*, sive *Opis* filius fuisse, & in Creta insula (*m*) natus, educatus, & a quibusdam etiam sepultus dicitur (*n*). Cum autem adolevisset, patrem suum regno expulisse, atque illud cum fratribus suis divisisse fertur; ita ut ipse quidem aerem & terram, *Neptunus* mare, *Pluto* infe-

(f) P. 263. *edit. Neap.* (g) *Horat. Od.* I. XII. 17.
(h) *Virg. Æn.* I. 254. (*) (At Jovem fabulosum a poetis nostris Hebræorum more *Deum Deorum* dici, non minus pie quam graviter conqueritur Vir Ampliss. atque amiciss. B. Huydecoper, Criseos in Voudel. p. 26. seqq.)
(i) *Cic. N. D.* II. 25. (k) *Gell.* V. 12.
(l) *Apud Tertull. in Apologet.* 14. (m) *Virg. Æn.* III. 104.
(n) *Cyprian. de idolor. vanit. init. Callim. hymn. in Jovem vers.* 7. *Lucan.* VIII. *vers. ult.*

inferos obtinuerit. Et quidem hæ fabulæ in historiæ veritate originem habent (*o*), sed earum tamen omnium explicatio hic nimis longa, satis incerta, & operosa foret: præsertim cum id tantum agamus, ut poetæ potissimum ab adolescentibus minore negotio intelligantur. *Pingebatur* Jupiter plerumque sedens in throno eburneo, sceptrum sinistra manu, dextra *fulmen* tenens, *aquilam* avem sibi sacram, (unde illa *minister* (l. ministra) *fulminis* (*p*)) cum *Ganymede* pocillatore suo, juxta se habens: nam hunc Jovi, *Heben* Junonis filiam Diis aliis ministrasse quidam dicunt (*q*); vel etiam *Vulcanum* (*r*). *Arbor* ei sacra erat *Quercus*, (præsertim Jovi πολιοῦχῳ, *urbium præsidi* (*s*)) vel *Æsculus* (*t*).

Cognomina Jovis apud Romanos plurima fuerunt; inter præcipua autem hæc: Jupiter Feretrius (Græcis τροπαιοῦχος, sive σκυλοφόρος dici possit (*u*)) dictus est a *ferendo*; quia ei *spolia opima*, hoc est, *quæ dux duci hostium in acie detraxisset* (*x*), *afferebantur*, & consecrabantur; licet a *feriendo* ita dictum velit Plutarchus *in Romulo p. m.* 27. C. Huic primus templum dedicavit Romulus cæso *Acrone* Cæninensium Rege (*y*). Jupiter Stator (Græcis Ζεὺς Ὀρθώσιος (*z*), qui & Ἐπιστάσιος (*a*) dici possit) a *sistendo* appellatus; cui idem Romulus templum vovit (*b*), ut Sabinos victores, & Romanos fugientes *sisteret*. Jupiter Elicius ab *eliciendo* dictus, quia se eum certo carmine e cælo *elicere* posse putabant (*c*) ad prodigia expianda, & præcipue fulmina; cui primus aram exstruxit Numa (*d*). Jupiter Capitolinus ita dictus a *Capitolio*, quod erat templum in monte *Tarpejo* (unde etiam aliquando Tarpejus Jupiter dicitur (*e*))

F 2 omni-

(o) *Diod. Sic. V.* 15. (p) *Horat. Od. IV. IV.* 1.
(q) *Br. Schol. ad Hom. Iliad.* 8. 2.
(r) *Lucian. Deor. Dial.* 5.
(s) *Plut. Coriol. p. m.* 214. *E.*
(t) *Plin. H. N. XVI.* 4.
(u) *Dion. Halic. II.* 34. *Vid. omn. Propert. IV. El. XI.*
(x) *Fest. V. Opima.* (y) *Liv. I.* 10.
(z) *Dion. Halic. II.* 50.
(a) *Plut. Romul. p. m.* 29. *B.*
(b) *Liv. I.* 12. (c) *Ovid. Fast. III.* 329.
(d) *Liv. I.* 20. & 31.
(e) *Juven. XII.* 6.

omnium magnificentissimum (*f*), & quasi sedes quædam Imperii Romani, & *arx omnium nationum*, ut dicit Cicero *Verrin. VII. c.* 72. ita ut eo exusto finis Imperii adesse crederetur (*g*). Votum fuit hoc templum a Rege Tarquinio Prisco, altius exstructum a Servio Tullio, perfectum a Tarquinio Superbo, & dedicatum denique ab *Horatio Pulvillo* Consule A. U. 244. (*h*). Postea ter incendio, vel ruina eversum, ter restauratum est, a Sulla nempe, a Vespasiano (*i*), & postremum ab ejus filio Domitiano (*k*), cum sub Tito rursus arsisset: hic, Domitianus scilicet, in ejus duntaxat inaurationem (quod pro nostrorum temporum tenuitate vix credibile sit) duodecim millia talentorum sive 7200000. nostratium florenorum (imperialium potius) absumpsit (*l*). In eo Consules primo magistratus sui die, & Imperatores ad bellum ituri sacra faciebant, & vota nuncupabant (*m*), ac victores reversi triumphali pompa eo deducebantur (*n*). Jupiter Latialis a Tarquinio Superbo consecratus est, ut ab omnibus *Latii* populis (*o*), inter quos erant præcipui Romani, coleretur, cum ferias Latinas πανδημεὶ in monte Albano celebrarent (*p*): & ex tauro immolato quisque populus (erant populi quadraginta septem) partem acciperet (*q*). Diespiter (*r*), quasi *diei* & *lucis pater*; qui etiam Lucetius (*s*) & Dijovis (*t*) est dictus. *Jupiter* Lapis, † ita dictus a *lapide silice* (*u*), quem jurantes manu tenebant; quod jusjurandum sanctissimum habebatur (*x*), ejusque formula videri potest apud *Festum V. Lapidem*. *Hospitii* juri sanctissimo quoque præsidere credebatur Jupiter, unde Ξένιος, sive Hospi-

(f) *Vid. Plin H.N.* XXXVI. 15.
(g) *Tac. Hist.* IV. 54.
(h) *Paulo aliter Dion. Halic.* V. 35. & *Tac. Hist.* III. 72.
(i) *Tacit. Hist.* IV. 53. (k) *Suet.* 5. *Stat. Sylv.* IV. 3. 16.
(l) *Plut. Poplic p. m.* 105. (m) *Liv.* XLII. 49.
(n) *Virg. Æn.* VI. 835. (o) *Vid. Cic. pro Planc.* 9.
(p) *Liv.* XXI. 63. (q) *Dion. Halic.* IV. 49.
(r) *Horat. Od.* I. 34. (s) *Fest. hac voc.*
(t) *Varr. de L. L.* IV. 10. *Gell.* V. 12. *omn.*
† (Lactant. c. 20. ait, lapidem quem Saturn. pro Jove devoravit, deinde terminum esse factum: cui consentit Pausan. in Phoc. & ita Jupiter Lapis esset *Jupiter terminalis*. F. R.)
(u) *Gell.* I. 21.
(x) *Gell. ibid.*

Hospitalis est dictus (*y*). *Vejovis* denique appellatus est, qui *nocendi* tantum vim haberet; ita dictus a particula privativa *ve* (*z*), & a *juvando*, quasi *minime juvaret*; vel, ut alii putant, quasi *parvus Jupiter* (*a*). Sacra Jovi fiebant juvenca; nam taurum ei immolare mali ominis fuisse vult *Servius ad Virg. Æn. IX. v.* 627. Sed aliter *Ovidius Metam. IV. v.* 755. ubi vid. *Farnab.* (*b*): & omn. *Vossium Idol. L. IX. c.* 17. (De Jove Fulgeratore singularem libellum conscripsit Cl. P. Burman. Adde *Histor. Acad. Liter. Paris.* T. 1. p. 13. de *Jove Tonante* &c.)

§. III. *De Junone.*

Jovi comitem dabimus uxorem & sororem (*c*) *Junonem*, quam etiam a *juvando* dictam quidam volunt (*d*). *Pingebatur* hæc Dea throno insidens, habitu regali, scilicet sceptro & diademate insignis, *pavonem*, qui ipsi sacratus erat (*e*), juxta se habens. Hæc Dea primo *divitiis* proprie præsidebat, & *regnis* (*f*); unde *Juno Regina* Romæ in Aventino culta fuit, captis *Vejis* eo traducta (*g*); & absolute etiam aliquando *Regina* (*h*), & *Regina Deorum* (*i*) dicitur. Secundo *Matrimoniis* præerat (*k*); & hinc dicta est *Matrona* (*l*), & *Materfamilias* (*m*); (quæ eadem fere quæ Gr. γαμηλία) *Juno Juga* (*n*) item (Gr. Ζυγία (*o*)) quod conjuges *jungeret*; & *Pronuba*, quod *nubentibus* præesset (*p*): & ex eo munere etiam *Cinxia* vocatur a *cingulo*, sive *zona virginali*, qua sponsa (*q*) *cingebatur*. Tertio, *puerperarum* Dea præses erat, & tum dicebatur *Juno Lucina* (*r*), quod lucem nascentibus daret, & eo nomine apud Comicos a puerperis invocatur (*s*). *Juno Moneta* etiam cele-

F 3 bris

(*y*) *Virg. Æn.* I. 731. & *ibi Serv.* (*z*) *Gell.* V. 12.
(*a*) *Ovid. Fast.* III. 447. (b) *Vid.* & *Dion. Hal.* IV. 40.
(*c*) *Virg. Æn.* I. 45. *unde explicandus Cic. pro domo* 34. *f.*
(*d*) *Serv. ad Virg. Æn.* I. 4. (*e*) *Ovid. Metam.* I. 722.
(*f*) *Id. Ep. Paridis.* 81. (*g*) *Liv.* V. 22. XXII. 1. XXVII. 37. (*h*) *Juven.* XII. 3. (*i*) *Virg. Æn.* I. 9.
(*k*) *Id. Æn.* IV. 59. (*l*) *Horat. Od.* III. IV 59.
(*m*) *Plaut. Amph.* II. 11. 201. (*n*) *Fest.* V. *Jugarius.*
(*o*) *Apul.* VI. *non longe ab init. Poll. Onom.* III. 3. *Segm.* 38.
(*p*) *Virg. Æn.* IV. 166. (*q*) *Fest.* V. *Cinxiæ.*
(*r*) *Varro de L. L.* IV. 10. (*s*) *Plaut. Trucul.* II. V. 23. *Terent. Andr.* III. 1. *Ovid. Fast.* II. 449.

bris Romæ fuit (*t*), a *monendo* dicta; quia *monuerat* terræ motum sue plena esse procurandum. Junonis *ministra* & *nuncia* erat *Iris* (*u*), cujus occasione obiter addere debeo, (licet nihil ad hunc rhombum) Homerum etiam dicere Jovem statuisse *iridis ostentum mortalibus*, (*Il.* λ. vers. 28.) ἐν νέφεϊ στήριξε τέρας μερόπων ἀνθρώπων, quod ex sacris nostris (*x*) haustum videri possit.

§. IV. *De Vesta*.

Vestas duas fuisse volunt, alteram *Majorem Cæli* uxorem, Saturni matrem (*y*); unde sæpe cum Cybele Deorum matre confunditur (*z*): alteram *Minorem* hujus & Opis filiam (*a*): Illa *terram*, hac *ignem* significatum fuisse dicunt; unde hæc etiam semper *virgo* fuisse credita est; quia ignis nihil producit (*b*): sed plerumque confunduntur (*c*), & posteriori, quæ prioris sunt, adscribuntur; atque hoc vice versa. Dictam volunt quidam *Vestam*, quod *vi sua staret* (*d*): sed verius est etymon, quod a Græca voce ἑστία, hoc est, *foco* deducitur (*e*); quippe in cujus honorem ignis perpetuus (de quo mox) in *foco* servaretur: nisi quis cum *Becmanno de Orig. L. L. p. m.* 355. deducere velit ab אשׁ, *ignis*, & יה, *jah*, *dominus*: quod postea etiam fecerunt *Voss. in Etym. & alibi*; & *Leigh. in Crit. Sacr. p. m.* 13. Cultus ejus fuit antiquissimus, utpote ab ipso Ænea in Italiam allatus (*f*). Romæ autem ei templum primus exstruxit Numa; quod *rotundum* erat, quia tellus *rotunda* est (*g*): vel potius, quod universum mundum eo adumbraverint; cujus in medio ignis sit (*h*). In eo statua nulla erat; sed *ignis* ille *perpetuus* (*i*), quem certissimum Imperii pignus esse credebant (*k*), adservabatur a *Virginibus Vestalibus* (de quibus infra hac Sect. c. 2. §. 17.) magna in eam, quæ id extingui

(t) *Ib.* VI 183. (u) *Id. Metam.* I. 270. *Virg. Æn.* IV. 694.
(x) *Genes.* IX. 12. *seq* (y) *Virg. Æn.* IX. 259.
(z) *Vid. Ez. Spanhem. diss. de Vesta*. §. 19.
(a) *Ovid. Fast.* VI. 285. (b) *Ibid* 293.
(c) *Vid. Voss Idol* II. 51. (d) *Ovid. Faster.* VI. 299.
(e) *Cic. de Nat. Deor.* II. 27.
(f) *Vid. Virg. Æn.* II. 296. (g) *Fest.* V. *Rotundam*.
(h) *Plut. Numa p. m.* 67. (i) *Ovid. Fast.* VI. 297.
(k) *Ibid.* 445.

tingui passa fuerat, pœna constituta (*l*) ; & hoc etiam magni & infaustissimi prodigii loco habebatur : eoque casu a radiis solaribus rursus accendebatur (*m*) ; licet etiam quotannis Kalendis Martiis renovaretur (*n*). Tamen etiam hodie in nummis statua ejus conspicitur (*o*), tum alia forma, tum tympanum manu gestans, quia ventos terra (*p*), ut aerem tympano, contineri credebant. In ejus templo pernoctare, (nam ingredi fas erat (*q*)) aut ejus penetrale ingredi viro nefas erat (*r*) : in quo alia etiam sacra adservata fuisse volunt (*s*) ; sive illa *Palladium* (*t*), hoc est, *minuta quædam Palladis effigies* (*u*), (quæ maxime vulgaris est opinio) sive aliud quid fuerint. Solebant etiam veteres in vestibulis ædium aram Vestæ sacram habere (*x*).

§. V. *De Minerva & Musis.*

Minerva dicta fuit ab antiquo verbo *meneo*, pro quo hodie dicimus *moneo* ; alio vero nomine *Pallas* est vocata ἀπὸ τοῦ πάλλειν τὸ δόρυ, sive a *vibranda hasta* (*y*). Hæc Jovi dignitate fuit proxima (*z*) ; unde etiam in Capitolio cum eo & Junone culta fuit (*a*), & fulmen a Jove acceptum (*b*) vibrare credebatur. Imo ex ejus *cerebro* nata fingitur (*c*), quia *sapientiæ* & omnium bonarum *artium Præses* habetur (*d*) ; quin ipse Jovis intellectus, sive providentia (*e*) : & hinc *patrima* dicitur, quod *patrem* tantum, non vero *matrem* habebat (*f*) ; hinc quoque illæ phrases sunt ortæ, *invita* (*g*), vel *crassa Minerva* (*h*) aliquid facere : quarum illa significat, conari aliquid, cui negotio a natura dotes tibi non sint concessæ ; ut, si quis, qui poe-

(l) *Liv. XXVII. 1. Val. Max. I. 1. 5.*
(m) *Plut. Numa p. m. 66. C.* (n) *Ovid. Fast. III. 143.*
(o) *Vid. Lips. Synt. de Vest. 3.* (p) *Suid. V.* Ἑστία.
(q) *Dion. Hal. II. 67. Tac. A. XV. 36 & H. I. 43.*
(r) *Ovid. Fast. VI. 450.* (s) *Vid. Dion. Halic. II. 66.*
(t) *Ovid. Trist. III. 1. 29.* (u) *Vid. Lucan. IX. 996.*
(x) *Eugraph. ad Ter. Andr. IV. III. 11.* (y) *Serv. ad Virg. Æn. 1. 39.* (z) *Hor. Od. I. XII. 19. sed vid. ibi Cl. Benelejum.*
(a) *Liv. III. 17.* (b) *Virg. Æn. I. 42.*
(c) *Lucian. Deor. Dial. 8.* (d) *Ovid. Fast. III. 813.*
(e) *Phurnut. de nat. Deor. 20.* (Sic id passim inculcat Anna Daceria ad Hom. Iliad.) (f) *Catull. : quicquid ibi tumultuentur interpretes.* (Vide tamen Vossium ad eum.)
(g) *Horat. de arte 385.* (h) *Cic. Famil. III. 1.*

poeta natus non sit, versus conetur facere: hæc vero notat tenui filo, & quasi aliud agas, rem quandam perficere. Ob hanc ergo caussam præcipue Athenis, ubi maxime vigebant literarum studia, culta fuit, ἡ Θεὸς κατ᾽ ἐξοχὴν ibi dicta (*i*). Speciatim autem *lanificii* (*k*) dicitur inventrix, & *oleæ* (*l*); unde *Pallas* aliquando pro ipso *oleo* ponitur (*m*): & præterea *architecturæ* præsidere dicebatur (*n*). Tum *bellorum* etiam & *armorum* Dea erat; unde *Armipotens* (*o*) dicta fuit, & *belli præses* (*p*): & denique *quadrigas* & *bigas*, quibus in bellis utebantur veteres, invenisse scribitur (*q*). Hinc *pingitur* armata, torvo vultu, glaucis oculis (*r*), (quemadmodum perpetuum ejus epitheton apud Homerum est γλαυκῶπις Ἀθήνη) scutum, sive *ægidem* (nam *ægis* erat scutum pelle caprina obductum) manu tenens, quo belli Trojani tempore a Jove donata fuerat; in eoque *Gorgonis*, sive *Medusæ* caput effictum (*s*) erat. Festum ejus celebrabatur mense Martio per *quinque dies*, unde *Quinquatrus*, sive *Quinquatria* dicitur (*t*): vel potius quod post quintum Id. Mart. celebraretur (*u*): qualia ei in Albano monte celebranda etiam postea instituit Domitianus Imperator (*x*). *Avis* ei sacra fuit *noctua* (*y*), *arbor* vero *olea*.

Minervæ jungendæ sunt *Musæ* Jovis filiæ (*z*), *scientiarum præsides*: sed notius est, quam ut moneri oporteat, eas novem numero fuisse; quarum nomina fuerunt hæc: *Calliope*, *Clio*, *Erato*, *Thalia*, *Melpomene*, *Terpsichore*, *Euterpe*, *Polyhymnia*, & *Urania*. De his singulis vero dicere nimis longum, & minus utile foret. (V. Auson. Eidyll. xx.)

§. VI.

(i) *Aristoph Pluto* 1195. *&* *Nub.* 600. *Catull. epith. Pelei* 212.
(k) *Virg Æn.* V. 284. VIII. 409. (l) *Id. Georg.* I. 18.
(m) *Ovid. Trist.* IV. V. 4. (n) *Virg. Æn.* II. 15.
(o) *Ibid.* 425. (p) *Id.* XI. 483. (q) *Cic. de N.D.* III. 23.
(r) *Propert.* II. XXI. 14. *Ovid. Art.* II. 659.
(s) *Virg. Æn.* VIII. 435. (De Gorgonib. v. Mem. Acad. Liter. Paris. T. IV. p. 70.) (t) *Ovid. Fastor.* III. 810.
(u) *Varr. de L. L.* V. 3. *Gell.* II. 21.
(x) *Svet. Domit.* 4. (y) *Hygin. fab.* 204.
(z) *Hesiod. Theog. vers.* 25. *&* 52.

§. VI. *De Cerere.*

Ceres Saturni & Opis filia (*a*) ita dicta (juxta veterum quidem mentem) ab antiquo verbo *cereo* pro *creo* (*b*), quasi *frugum creatrix*; prima enim sationem & usum frumenti homines docuit; cum illi antea glande vescerentur (*c*): unde sæpissime *alma* dicitur ab *alendo* scilicet (*d*); Græcis, θνητῶν θρέπτειρα προπάντων (*e*); licet etiam aliis Deabus hoc cognomen tribuatur, ut Veneri apud *Ovid. Metam. XV. v.* 844. Primum autem hanc artem monstravit *Triptolemo* (*f*); ille deinde reliquis hominibus, & hinc *Ceres* pro *ipsis frugibus* dicitur (*g*). *Leges* etiam prima hominibus dedisse creditur (*h*), unde Θεσμοφόρος Græcis, Latinis vero *legifera* dicitur (*i*); & ejus sacra Θεσμοφόρια dicta sunt: unde unum ex dramatibus *Aristophanis* Θεσμοφοριάζουσαι, hoc est, *mulieres sacra Cereris celebrantes* inscribitur: & hoc ideo, quia homines ad mitiorem cultum, a glandibus ad fruges traducens legibus vivere fecit: præsertim cum etiam agros tum distinguere oportuerit (*k*). Sacra ejus peragebantur Romæ mense Aprili per dies octo a matronis castis (*l*), quæ tum viris & vino abstinere debebant (*m*), & in *casto Cereris* esse dicebantur (*n*). Quia autem hæc sacra religioso quodam silentio celebrabantur, *Horatius Od. III. n.* 2. *arcanam Cererem* dicit, quod tamen maxime ad sacra (*o*) *Eleusinia*, quæ ei in Attica fiebant, spectat; qui enim non initiati iis adfuissent, morte plectebantur (*p*).

Faces in ejus sacris adhibebant (*q*), (unde πυρφόρος Græcis dicitur (*r*)) quia facibus ad *Ætnam*

 accen-

(a) *Ovid. Fast.* VI. 285. (*quasi Geres*, ait Cic de N. D. II. 26. ubi & aliorum numinum etyma persequitur.)
(b) *Serv. ad Virg. Georg.* I. 7. (c) *Claud de rapt. Prof.* I. 30. *Juven* VI. 10. (d) *Serv. d. l.* (sed credibilius, esse ab Hebr. עלמה *virgo*.) (e) *Orpheus hymn. in Cererem* 7.
(f) *Virg. Georg.* I. 19. *Marmor. Arundell.* 24.
(g) *Terent. Eun.* IV. V. *Lucan.* IV. 381.
(h) *Ovid. Metam.* V. 341. (i) *Virg. Æn.* IV. 58.
(k) *Serv. Æn.* IV. 58. *Grot. de J. B. & P.* II. 2. §. 2.
(l) *Juv.* VI. 50. (m) *Dion. Halic.* I. 33.
(n) *Fest. V. Minuitur.* (o) *Suet. Ner.* 34.
(p) *Liv.* XXXI. 14. (q) *Juven.* XV. 143.
(r) *Eurip. supplic.* 250.

accensis filiam suam *Proserpinam* a Plutone raptam quæsiverat (*s*). Filius Cereris fingitur esse *Plutus divitiarum Deus*, quia priscis hominibus divitiæ ex agricultura proveniebant (*t*). Immolabatur Cereri *porca fœta*, quia illud animal frugibus noxium esse solet (*u*). *Pingebatur* vero coronam gestans spicis ornatam (*x*), *facem* plerumque altera manu tenens, altera quandoque *papaver*. In Cereris sacris etiam *vulpes* comburebatur (*y*), quod *Carseolis Æquorum* oppido segetes incendissent vulpes, eodem fere modo, quo *Samsonem Philistæorum* segetes incendisse legimus.

§. VII. *De Diana.*

Diana juxta quosdam dicta est quasi *Dea Jana*, hoc est *Luna* (*z*); nam eadem Luna fuisse plerumque putatur (*a*): alii nomen ejus deducunt a Græco Διὸς, hoc est, *Jovis*; ejus enim & *Latonæ* filia est habita: unde & *Latonia Virgo* (*b*) dicitur; nam semper virgo fuisse fertur. Hæc venationibus, sylvis & montibus præfuit (*c*); unde *canes* ei sacræ fuerunt (*d*): & primitias feræ capiendæ, sive πρωτάγρια Dianæ Ἀγροτέρᾳ, sive *Venatrici* vovere solebant (*e*). Hinc etiam Ἀγραῦλος, Ὀρεία, Ὀρειλόχη dicta est (*f*). Eadem & *parturientibus* opem ferebat (*g*); & tum cum Junone Lucina confundi videtur, (ita certe (*h*) vocabatur) & etiam *Ilithya* a Græco verbo ἠλυθον, hoc est, *veni* (*i*); ac *Diva genitalis* dicitur. Hinc etiam imago ejus multis *mammis* & uberibus aliquando instructa est, & ipsa πολύμαστος, sive *multimammia* est dicta (*k*). Hæc quo-

(s) *Ovid. Fast.* IV. 493. (t) *Hesiod.* Θεογ. 950.
(u) *Ovid. de Ponto* II. IX. 29. (x) *Horat. carm. sæc.* 30.
(y) *Ovid. Fast.* IV. 573. *seq.* (z) *Varr. de R. R.* 1. 37. *ut quidem emendat Scal. de Emend. Temp.* II. p. m 174.
(a) *Vid. Varron. de R. R.* I. 37. *Voss Instit. Or.* IV. 1. §. 7. *& de Art. Gr.* II. 13. (b) *Virg. Æn.* XI. 557.
(c) *Horat. Od.* III. 22. (d) *Ovid. Fast.* V. 141.
(e) *Vid. omn. Ez. Spanh. ad Callim. hymn. in Dian.* 104.
(f) *Vid. Celeb. Perizon. ad Æl. V. H.* II. 25.
(g) *Hor. carm. sæc.* 13. (Timæi jocum in Dianam Ephesiam v. ap. Cic. II. de N. D. 27.) (h) *Catull. carm.* 35.
(i) *Horat. l. mox d. ubi tamen Clar. Bentl. legendum vult* Genetyllis; *quem vid.* (k) *Minuc. Fel. p.* 93. *ed. Rigalt. & ipse ad eum loc.* (S. cap. XXI. p. 128. ed. Davis.) *Nummus ap. Vaill. G. Claud.* 41.

quoque, ut dixi, *Luna* credita fuit, unde cum *lunula bicorni* in fronte pingitur, (nam eosdem Deos veteres sub diversis sæpe nominibus colebant) eoque nomine hæc cum Apolline fratre suo ludis sæcularibus maxime colebatur (*l*): quibus ludis in eorum honorem pueri & puellæ patrimi & matrimi choreas ducebant, & hymnos canebant, ac ob eandem rationem etiam *Noctiluca* (*m*), & *siderum Regina* vocatur (*n*). Templum Dianæ primum Romæ exstructum fuit sub Servio Tullio Rege in monte Aventino, quod τὸ κοινὸν τῶν Λατίνων, sive *Latinorum commune* erat (*o*). *Pingebatur* coma dissoluta, arcum & sagittas manu tenens, (unde ἰοχέαιρα dicitur (*p*), & τοξότις (*q*)) cervos, vel alia animalia persequens, ac canes & instrumenta venatoria juxta se habens. Immolabatur ei *verres* (*r*) & *pinus* arbor ei sacra fuit (*s*). Confunditur eadem sæpe cum *Hecate* (*t*), sive *Proserpina*, de qua nos tamen separatim potius dicemus.

§. VIII. *De Venere, Cupidinibus, & Gratiis.*

Venerem a veniendo dictam volunt, quod *Amor* (cujus hæc Dea præses est) *ad omnes veniat* (*u*). Alii derivant a Succoth Benoth; quæ II. Reg. XVII. 30. (*x*) Cl. Clericus deducit ab Æolico Φίνωσι pro ἵνωσις (*y*). Eam quidam *Jovis & Diones* filiam dicunt (*z*): plures *spuma* maris ortam volunt, & inde Græcis Ἀφροδίτην ἀπὸ τοῦ ἀφροῦ, hoc est, a *spuma* esse dictam (*a*): unde etiam plerumque in *concha* stans, vel *concham* manu tenens (*b*) *pingitur*, & quidem nuda: ac propterea *marinam* eam vocat Horatius *Od. IV. XI. v.* 14. & ideo etiam a navigantibus invocabatur (*c*). Aliquando etiam curru vehitur tracto a *cygnis*, vel *columbis* (*d*), vel etiam

---

(l) *Horat. Od.* IV. VI. (m) *Ibid.* 38. (n) *Id. carm. sec.* 35. (o) *Dion. Halic.* IV. 25. (p) *Hom. Iliad. E.* 53. (q) *Hesiod.* Θεογ. 14. (r) *Hor. Od.* III. 22. (s) *Ibid.* (t) *Vid. Meurs. Misc. Lacon.* I. 2. (u) *Cic. de N. D.* II. *circa med.* (Vid. Belg. Græc p. 215.) (x) *Selden de Diis Syris S.* II. 6. *Voss. Idol.* II. 22. (y) *Bibl. Select. T.* VII. *p.* 149. (z) *Virg. Ecl.* IX. 47 & *Æn.* I. 256.

(a) *Ibid. v.* 801 *Senec. Hippol.* 2. *v.* 273.

(b) *Vid. Plaut. Rud.* III. 111 47.

(c) *Ovid. ep. Parid.* 24. (d) *Ovid. Metam.* XIV. 557.

iam *passeribus* (e); quæ aves, vel ob pulchritudinem, vel ob salacitatem Veneri erant sacræ, eique etiam immolabantur; quamquam vulgo sanguine non placaretur (*f*), sed ture & vino; quia scilicet non decebat Deam generationi præsidentem cæso animali placare. Colebatur præcipue a Romanis, quia genus suum per Æneam ab ea deducebant (*g*); unde ille sæpe apud Virgilium, aliosque *Dea natus* vocatur (*h*): & propterea Julius Cæsar templum *Veneris genitricis* (*i*) Romæ exstruxit. Aliis etiam cognominibus Romani eam venerabantur, ut *Veneris Erycinæ* (*k*), ita dictæ ab *Eryce* Siciliæ monte (*l*), ubi Æneas ei templum exstruxerat. *Cluacina* vocata est ab antiquo verbo *cluere* (*m*), hoc est, *purgare*; quia ejus templum eo loco structum erat, ubi Romani & Sabini positis armis se a bello *purgaverant*, & reconciliati erant. *Libitina* (*n*) Venus vocabatur (*o*), in cujus templo ex instituto Servii Tullii Regis (*p*) pro singulis mortuis singulus nummus solvebatur; (quemadmodum in templo Junonis Lucinæ pro natis, & in templo *Juventutis* pro iis, qui virilem togam sumpserant (*q*)) ut ita doceretur omne, quod natum est, etiam mori debere: & in eo templo a *Libitinariis* omnia vendebantur (*r*), quæ ad procurationem funeris necessaria erant. Hinc *Libitinarius* in glossariis dicitur ἐντοφιαστής, ἐνταφιοπώλης, & νεκροθάπτης; cujus servus erat *Pollinctor* (*s*): & ipsa *Libitina* ἐντάφιον, sive *funus* (*t*). Fingebatur Venus uxor esse Vulcani, sed cum Marte adulterium committere dicebatur, & cum eo aliquando reti a marito suo mira subtilitate facto deprehensam fingebant (*u*). Arbor *myrtus* ei sacra erat (*x*), & mensis *Aprilis*;

* un-

(e) *Apulej. Metam.* VI. *non longe ab init.* (f) *Tacit. Hist.* II. 3. *Catull. de Coma Berenic.* 90. (g) *Lucret. ipso init.*

(h) *Virg. Æn.* V. 730. (i) *Suet. Jul.* 51. (k) *Horat. Od.* I. II. 33. (l) *Virg. l. d.* 760. (m) *Plin. H. N.* XV. 29.

(n) *Hor. Serm.* II. VI. 19. (o) *Vid. Plut. Numa p. m.* 67.

(p) *Dion. Hal.* IV 15. (q) *Ibid.* (r) *Plut. Quæst. Rom.* 23. *p. m.* 269. (s) *l.* 5. §. 8. *ff. de instit. act.*

(t) *Vid. Lips. ad Senec. de benef.* VI. 38.

(u) *Ovid. Metam* IV. 171. (Adde *Homer.* Odyss. Θ. 257... 360. *Lucian.* in Dial. Deor. p. 150. & 155. Edit. Bened. It. epigrammation elegans in Anthol. *L. II.* εἰς χαλκῆς. De Maja Vulcani uxore pauci prodiderunt: at Lucian. priori loco Vulcanum uxores ait duxisse *Venerem* & *Gratiam*.

(x) *Horat. Od.* I. IV. 9. *Virg. Ecl.* VII. 62.

(*) unde Kalendis Aprilis mulieres myrto coronatæ lavabant (*y*): quem mensem tamen non ἀπὸ τῆς Ἀφροδίτης, sive a *Venere*, (quæ plurimorum sententia est) sed ab *aperiendo* dictum vult *Varro* (*z*), quod cælum, terra & mare tunc *aperiantur*: unde idem mensis apud Athenienses Ἀνθεστηριὼν vocatur, quod hoc tempore cuncta *florescant* (*a*).

Veneris comites & filii fuerunt *gemini Cupidines Eros & Anteros* (*b*), quibus eleganter significatur, *amorem, nisi mutuus sit, subsistere non posse*. Hi finguntur & pinguntur *pueri*; quia amantes *pueris* plerumque vix sunt sapientiores (*c*); finguntur *nudi* ad puritatem, *alati* ad levitatem amantium significandam; vel etiam, quia amantes agiles esse convenit: sagittis instructi dicuntur; vel, ut velocitas amoris denotetur; vel etiam ob dolorem (*d*), qui eum sæpe sequitur: *lampades* habent, ut ardor amoris notetur (*e*); atque ipsæ etiam sagittæ eorum ardere dicuntur (*f*).

Tres *Gratiæ* etiam Veneris Comites fuerunt (*g*), quæ nudæ plerumque finguntur, quia amicitia sine fuco esse debet; & manibus junctis, ut concordia amicorum significetur (*h*). (Memorabilia de *Gratiis* habent Memor. Lit. Acad. Parif. T. IV. p. 10.)

§. IX. *De Marte, Bellona, & Victoria*.

Mars, ut notum est, *Belli Præses* fuit (*i*); atque ita dictus est, quod *maribus* in bello præesset (*k*); vel potius a Græco Ἄρης præposito *M. Mavors* etiam dicitur, quod *magna vertat* (*l*); & *Gradivus* (*m*), Græcis θοῦρος Ἄρης (*n*), vel θούριος, ut est apud *Servium ad Virg. Æn. III. vers.* 35.) vel a *gradiendo* in bellum; vel potius a Græco verbo κραδαίνειν; hoc est, *vibrare*, quod *hastam vibret*.

Fin-

(*) (ex 1. Ed. Horat. IV. Od. XI. 15.) (y) *Ovid. Fast. IV.* 139. (z) *Apud Macrob. Saturn.* 1. 12.

(a) *Ibid.* (b) *Horat. Od.* 1. 19. *Senec. Hippol.* 274. (Cupido Vulcani Venerisque filius fuit. *V. Anthol. l. c.* Unde privignus Martis, & hic ejus vitricus dicitur *Ovid. II. Amor. El. IX.* 47. 48. (c) *Vid. omn. Propert. II.* 9. (d) *Hor. Od. II.* 8.

(e) *Claudian. de rapt. Prof. I.* 26. (f) *Horat. Od. II.* 8. 14.

(g) *Id. Od. I. IV.* 5. *& I. XXX.* 5.

(h) *Vid. de iis fuse Senec. de benef. l.* 3. *& Pausan. Bæot.* 34. (i) *Ovid. Fast. III.* 85.

(k) *Varro de L.L. IV.* 10. *sed rectius ex lingua Hebraica ejus nomen deducit Cl. Periz. ad Æl. IX.* 16. *& Voss. de Idol. l.* 22. *& magis ib. II.* 33. (l) *Cic. de N. D. II.* 26.

(m) *Virg. loco in textu not.* (Ovid. Fast. V. 535.

(n) *Hom. Iliad. E.* 30. *& sæpe*.

Fingitur Mars (juxta quosdam; nam aliter Hom. Iliad. E. vers. 896.) ex Junone (o) sine maris ope natus, & solo floris cujusdam contactu conceptus. A Romanis autem præcipuo honore afficiebatur, quia Romuli & Remi pater fuisse vulgo creditus est: & quod etiam genti bellicosissimæ ejus cultus maxime conveniebat: ac præter alia templum habuit in foro magnificentissimum, ubi Martis *Ultoris* nomine colebatur (p). Dux etiam Romani exercitus ad bellum profecturus antea sacrarium Martis ingrediebatur, & *ancilia* (q) (*scuta* quædam *sacra* erant, de quibus infra *Sectionis hujus cap.* 2. §. 13.) commovebat, ac mox hastam ipsius simulacri dicens, *Mars vigila* (r). Sacerdotes Martis peculiares erant *Salii*, & *Flamen Martialis*; de quibus suo loco. Animalia ei sacra erant *Lupus*, *Picus* (s), & maxime *Equus*; qui etiam ei immolabatur mense Octobri in campo Martio (t). *Pingebatur* ardente vultu, curru plerumque insistens, vel equo insidens, hasta & flagello armatus, gallum gallinaceum quandoque juxta se habens ad vigilantiam militibus adeo necessariam denotandam, vel etiam ob pugnacitatem ipsius animalis. In ejus honorem primus anni mensis, qui nunc nobis tertius, a Romulo Martius dictus fuit.

De Bellona.

Marti aurigæ vicem præstabat *Bellona* (u), sive illa ejus uxor, sive soror fuerit. Hæc dicta fuit a *bello*, & ejus sacerdotes *Bellonarii* dicebantur, qui in furorem acti (x); (unde in Gloss. vet. *θεοφορούμενοι* vocantur) dum sacra ejus celebrarent, futura prædicere credebantur (y): tum etiam cultris se ipsos cruentabant, ut sanguine suo Deam placarent (z): (qui mos pluribus gentibus fuit familiaris, ut vel ex sacris literis (a) discimus) sed hæc sectio membrorum postea simulata dumtaxat fuit. *Enyo* etiam est dicta, unde hæc vox pro ipso *bello* ponitur (b). Ædes ejus extra Urbem fuit, in qua Se-

(o) *Ovid. Fast. V.* 230. (p) *Vid. cap. seq.* §. 13.
(q) *Serv. ad Virg. Æn. VIII.* 3. (r) *Ovid. Fast. III.* 36.
(s) *Lucret. II* 650. *S. Aur. Vict. de Or. gent. Rom.*
(t) *Fest. V. Equus. & latius V. October.*
(u) *Statius Theb. VII.* 71. (x) *Horat. Serm. II. III.* 223.
(y) *Juven. IV* 124 *& VI.* 512 (z) *Lucan. I.* 565.
(a) *I Reg. XVIII.* 28. (b) *Hom. Iliad. E.* 333 *& ibi Schol. Martial. de Spectac.* 24.

Senatus dabatur legatis exterarum gentium (*c*), & Imperatoribus a bello redeuntibus, & triumphum petentibus (*d*): ante illam ædem columella stabat, quæ *bellica* (*e*) dicebatur; in quam hastam mittere solebat fecialis, cum bellum populo alicui indixisset.

De Victoria.

Victoria, quæ simul cum Minerva educata fuisse dicebatur (*f*), etiam Romæ colebatur sub forma virginis alatæ, coronam, vel palmam manu præferentis.

§. X. *De Mercurio.*

Mercurius a *mercibus* dictus *Jovis* & *Majæ* (quæ filia erat *Atlantis*) filius (*g*), *Nuncius & Minister Deorum*, & præcipue Jovis fuit: unde *Camillus* apud Romanos est dictus (*h*), quæ vox *ministrum* notat. Hic *Deus sermonis* habebatur (*i*), (unde lingua ei sacra erat (*k*)) & inde Deorum superorum & inferorum internuncius (*l*): unde *Lystrenses Paulum* Mercurium dicebant, quia is *præibat in loquendo*, ἐπειδὴ αὐτὸς ἦν ὁ ἡγούμενος τοῦ λόγου (*m*): itaque animas defunctorum ad inferos deducere, loca iis adsignare (*n*), & rursus si opus esset, eas inde reducere (*o*) credebatur, ψυχαγωγὸς (*p*) & νεκροπομπὸς (*q*) inde dictus. *Mercatorum* quoque & *lucri* (*r*), (unde κοινὸς Ἑρμῆς dicitur (*s*), quia divitias procurat omnibus expetitas; κερδῷος (*t*) etiam, ἐμπολαῖος & ἀγοραῖος (*u*); & hinc etiam mercatores certo ritu præterita sua mendacia expiabant, & futurorum veniam (*x*) a Mercurio petebant) *lucri*, inquam, & ex ea ratione *furum* etiam Deus habeba-

(c) *Liv.* XXX 21. (d) *Id.* XXVIII. 38.
(e) *Fest.* V. *Bellonæ.* (f) *Dion. Halic.* I 31.
(g) *Virg. Æn.* 1. 301. (h) *Plut. Numa p. m.* 64. *G.*
(i) *Hor. Od.* I. X. 5. (k) *Scholiast. Aristoph. Pluto* 1112.
(l) *Claudian. de rapt. Prof.* I. 90. (m) *Actor.* XIV. 12.
(n) *Horat. Od* I. X. 15.
(o) *Virg. Æn.* IV. 243. (p) *Hesych.*
(q) *Lucian. Deor. Dial.*
(r) *Ovid. Fast.* V. 671.
(s) *Lucian. Navigio p.* 496. *ed. Græv.*
(t) *Id. Timon. p.* 331.
(u) *Poll. Onom.* VII. 2. *fin.*
(x) *Ovid. Fast.* V. 623.



bebatur (*y*): unde *Aristophani* Τοιχωρύχος dicitur (*z*), quod *perfossorem parietum* diceret *Plautus* (*a*): & ab hac lucri caussa cum marsupio aliquando pingitur (*b*): *Artium* quoque omnium præses, & præcipue *musices*, & lyræ inventor (*c*): tum etiam *palæstris* (*d*) & *gymnasiis*, *astronomiæ* (*e*), *poeticæ*, (unde poetæ viri *Mercuriales* dicuntur (*f*)) aliisque, ut dixi, artibus præsidebat, unde Λόγιος Ε'ρμῆς dicitur (*g*); ita ut plane esset negotiosissimus (*h*). *Pingebatur* ut juvenis formosus, petaso & talaribus aureis alatis insignis (*i*); *caduceum*, sive virgam manu tenens (*k*), cui duo serpentes erant circumvoluti; quia præconis etiam fungebatur munere, & pacis auctor erat, cujus symbolum olim fuit hic caduceus. In triviis & quadriviis statuæ quædam e lapide quadrato in ejus honorem ponebantur solo capite exerto, quæ *Mercuriales*, & Græcis *Hermæ* dicebantur (*l*), quia ob crebra ejus itinera viarum etiam curam peculiarem gerebat: unde ἐνόδιος, vel, ut alii, εὐόδιος etiam dicitur (*m*). In bibliothecis quoque, quia scilicet omnis eruditionis præses erat Mercurius, statuæ ejus ponebantur mixtæ cum statuis Minervæ, vel etiam *Herculis*, quæ inde *Hermathenæ* & *Hermeraclæ* dicuntur (*n*).

§. XI. *De Neptuno, Portumno & Matuta.*

Neptunus aquarum Deus a nubendo, hoc est, *tegendo* dictus, quia aqua terram *obtegit* (*o*), Saturni, & Opis filius, Jovis frater dicitur; & in sortitione universi *maris imperium*, ut dixi, obtinuit (*p*).

(*y*) *Horat. l. prox. d.* (*z*) *Pluto* 1143. (*a*) *Pseud. IV. II. 13.* (*b*) *Vid. Patin. num. Imp. ex ære med. form. p.* 314.
(*c*) *Horat. l. d.* (*d*) *Lucian. Deor. Dial. p.* 133. *ed. Græv.*
(*e*) *Manil. I.* 33. (*f*) *Hor. Od. II. XVII.* 29.
(*g*) *V. Bud. comm. lin. Gr. n. m.* 215.
(*h*) *Lucian. l. prox c.* (*i*) *Virg. Æn. IV.* 240.
(*k*) *Ibid.* 241. (*l*) *Nepos Alcibiade* 7. *Juven. VIII.* 53. *Ampliss. Van der Muelen de die mundi Diss. I. p.* 143.
(*m*) *Phurnut. de nat. Deor. V.* 16. (V. Cl. Otto de diis tutelar. Viar.)
(*n*) *Cic. ad Att. I.* 1. & 9. (V. nummum in tabella. At Neptuni etymon ego arcessebam a νύπτω, quod Scaligero jam placuisse video. Qui Hebraicam originem mavult, consulat Vossii Etymol. & Bocharti Phaleg, ubi plura ejusmodi reperientur.)
(*o*) *Varro de L. L. IV.* 10. *Arnob. III.*

Pag. 130

Pag. 136.





Pag. 136.


F.ÆS


(*p*). Hic a plerisque a primis jam temporibus Romæ cultus dicitur sub nomine *Consi* (*q*), quamquam alii dicant diversum fuisse. *Consus* autem ille *consiliorum* Deus fuit (*r*), cujus ara subterranea fuit (*s*), quia consilia, ut prospera sint, secreta esse debent: & ipsa vox *Consus* participium antiquum est verbi *condo*, pro quo hodie dicimus *conditus*; unde hodieque *absconsum* pro *absconditum* dicimus (*t*). Ejus festum *Consualia* dictum celebrabatur maxime ludis *equestribus* in Circo; quia Neptuno *equus* sacer erat, qui eum primum e terra produxisse dicebatur (*u*): veritas autem hujus rei esse videtur, eum primum *equitandi* artem invenisse (*x*); unde etiam equorum cura (*y*) ei tribuitur, & quadrigarum (*z*). *Terræ motuum* etiam caussa credebatur; quia mare sæpe numero terram vehementius concutit, eamque quasi movere videtur: unde *Ennosigæus* (*a*), & Σεισίχθων (*b*), hoc est, *terram quatiens* dicitur; & hinc Trojæ muros & fundamenta evertere fingitur a Virgilio *Æn. II. vers. 643*. Et quia mare ita sævum est & importunum, hinc in fabulis homines sævi *Neptuni filii* dicti sunt, ut *Busiris*, *Cyclopes*, *Læstrygones* (*c*). *Pingebatur* vultu senili, stans plerumque in curru a *Tritonibus*, equis marinis, vel delphinibus tracto, tridentem manu gerens (*d*).

Neptuno adjungi potest *Portumnus*, sive *Portunnus portuum* Deus (*e*), a quibus denominatur: hic Græce Παλαίμων dicitur (*f*). Ejus mater fuit *Matuta*, Græcis Λευκόθεα, quæ eadem *Aurora* credita est (*g*), & a matronis Romanis culta fuit (*h*); ejusque festum *Matralia* est dictum (*i*). Antea ille *Melicerta*, hæc *Ino* dicebatur (*k*); qui enim in deos referebantur, eorum nomina mutari solebant: quemadmodum sic etiam *Læda Nemesis*, *Circe Marica* fuerunt dictæ (*l*).

§. XII.

(p) *Virg. Æn. I. 138.* (q) *Plut. Romul. p. m. 25. D. Auson. Epigr. 65.* (r) *Ovid. Fast. III. 199.* (s) *Dion. Hal. II. 31.* (t) *V. Voss. Etymolog.* (u) *Virg. Georg. I. 18.* (x) *Vid. Sophocl. Oed. Colon. 705.* (y) *Homer. in hymn.* (z) *Orph. in hymn.* (a) *Juven. X. 182.* (b) *Amm. Marc. XVI. 7.* (v. omn. Gell. II. 28.) (c) *Phurnut. de nat. deor. c. 22. f. Gell XV. 21.* (d) *Virg. Æn I. 142. 149.* (& 150.) (e) *Ovid. Fast. VI. 547.* (f) *Id. Metam. IV. 541.* (g) *Lucret. V. 655.* (h) *Plut. Quæst. Rom. 15. p. m. 257.* (i) *Ovid. Fast. VI. 533* (k) *Ibid. 494. & 505.* (l) *Lactant. de fals. relig. I. 21.*

§. XII. *De Vulcano.*

Vulcanus ignis & fabrorum Deus. Dictum enim ajunt quasi *Volicanum* (m), quod ignis quasi per aerem *volitet*: sed verius est a *Tubalcaino*, qui primus artem fabrilem invenit (n), nomen ejus derivari. *Mulciber* etiam fuit dictus a *mulcendo* (o), hoc est, *molliendo* ferro. Jovis & Junonis, vel, ut alii dicunt, solius Junonis filius fuit (p): sed ob deformitatem a Jove cælo ejectus, & in *Lemnum* insulam delapsus, ac inde *claudus* factus fuisse fingitur (q). Vulcani uxor fuit *Maja*, unde quidam mensem *Majum* dictum fuisse volunt; sed *Piso* eam *Majestam* vocari dixit (r). Officinam suam in Lemno habuisse dicitur, & in insulis *Æoliis* prope Siciliam (s); quia in iis insulis montes ardentes sunt, quos hodie etiam vulgo *Vulcanos* vocant. Ejus ministri fuerunt *Cyclopes* (t), quos Gigantes monoculos fuisse finxerunt. Per hunc Deum veteres *ignem terrestrem* (u) maxime significarunt, ut per Vestam *ignem cælestem*, & hinc sæpe *Vulcanus* pro ipso *igne*, vel *flamma lucente* ponitur (x). Inde etiam Vulcanos quosdam fictiles juxta focum collocare solebant, tanquam dæmones ἐπιστάτας (y). In ejus festo facibus, sive lampadibus decurrebant; &, qui cursu superabatur, *Lampadem* alteri *tradere* debebat: unde vulgata illa phrasis est orta, *lampadem suam alteri tradere*, hoc est, *senio, vel alio casu fatigatum munere suo alteri cedere* (z).

§. XIII. *De Apolline & Æsculapio.*

Apollo dictus est a Græco verbo ἀπόλλυμι, hoc est, *perdo*; quia radii solis pestilentiæ tempore animan-

(m) *Serv. ad Virg. Æn.* VIII. 414. *Isid. Orig.* VIII. c.11.
(n) *Genes.* IV. 22.
(o) *Virg. Æn.* VIII. 724. *& ibi Serv. Fest. ex* V.
(p) *Lucian. de sacrif. & forte Hesiod.* Θεογ 927. *ubi vid. Grev.*
(q) *Lucian. in contempl. init. Hom. Iliad. A. v.* 591.
(r) *Macrob. Satur.* I. 12. (Vid. nos ad pag. 132.)
(s) *Juven.* I. 8. *Sed vid. omn. Virg. Æn.* VIII. 416. *seqq.*
(t) *Virg. l. d.* 424.
(u) *Id. Æn* V 662.
(x) *Virg. ib. Plaut. Amph.* I. I. 185.
(y) *Eustath. ad Od.* p. 455.
(z) *Lucret.* II. 77. *Schol. Aristoph. ad ranas* 131.

mantibus perniciem adferunt (*a*). Hic enim idem est qui *Sol* (*); unde etiam *Phœbus* dicitur a Græco Φοῖβος, hoc est, *splendidus*. Jovis & Latonæ (*b*) filius fuit, cum sorore Diana in insula *Delo* natus (*c*); (unde *Delius* hic, illa *Delia* dicta) ubi templum & oraculum celeberrimum habuit (*d*): & ibi sex menses æstivos degere credebatur; ut sex menses hybernos apud *Pataram Lyciæ* civitatem, unde *Patareus* dicitur (*e*). Quatuor præcipue artium inventorem eum & præsidem fecerunt. Primo quidem medicinæ, & præcipue *botanicæ*, sive *herbariæ* inventor esse dicebatur, quia solis calor herbas fovet (*f*). Secundo, *arti sagittariæ* præsidebat, quia radii solares sagittis quodammodo comparari possunt, & inde semper arcus ei tribuitur (*g*): hinc etiam *Pæan* dicitur ἀπὸ τοῦ παίειν, *a feriendo* (*h*). Tertio, *musicæ* & *poeticæ* præses erat (*i*); unde a poetis maxime invocatur (*k*), & lyram, vel citharam tenens plerumque pingitur (*l*). Quarto, *artem divinatoriam* exercere credebatur, unde *Augur* (*m*) vocatur, & Græce προφήτιος (*n*), quasi *præsagum* dicas; Λοξίας etiam ἀπὸ τοῦ λοξοῦ, hoc est, *obliquo* (*o*), quia *obliqua*, sive *dubia* responsa consulentibus dabat; cum sacerdotes scilicet ejus conjecturas suas pro oraculis credulis venditarent. Romanis post Augustum etiam Apollo *Actius* in memoriam victoriæ *Actiacæ* fuit cultus (*p*). Plurima autem per totum terrarum orbem oracula ei tribuuntur, quorum omnium præcipuum fuit oraculum *Delphicum* (*q*): imo etiam hominibus quibusdam divinandi artem largiri credebatur (*r*). *Pingebatur* Apollo specie imberbis juvenis, promissis capillis (*s*), (unde Latinis *intonsus*, Græcis

(a) *Hom. Iliad. A* 43. (*) (Vid. infra pag. 152.)
(b) *Horat. Od. IV.* 6. (c) *Ovid. Metam. VI.* 189. *seqq.* (Callim. in Delum: quod negant Ephesii, & hoc sibi honoris vindicant ap. Tacit. Annal. III. 61.) (d) *Virg. Æn. IV.* 143.
(e) *Serv. ad Virg. l. prox. c.* (f) *Ovid. Metam.* I. 521.
(g) *Horat. Od. I. XII* 23. (h) *Juven. VI.* 172.
(i) *Ovid. Metam.* I. 518. (k) *Id. Amor. I. XV.* 35.
(l) *Horat. Od. I.* 31. (m) *Id. Od. I. XI.* 32.
(n) *Pausan. Attic.* 31. (o) *Herod. IV.* 163.
(p) *Propert. IV. VI.* 67.
(q) *Juven. VI.* 555.
(r) *Virg. Æn. III.* 251. (at hic Harpyia loquitur. Potius citasset Æn II. 247. & ibi Servium (& XII. 391.
(s) *Tibull. I. IV.* 37.

cis Α'κερσεκόμης (*t*) est dictus) dextra arcum & sagittas, læva citharam, vel lyram tenens (*u*), quia cæli temperiem & intemperiem regit (*x*). Coronatur *lauro*, quæ arbor ei sacra fuit (*y*); unde, qui divinare volebant, *laurum* comedebant (*z*); & hinc etiam poetæ lauro coronantur. Aves ei sacræ erant *accipiter* (*a*) & *corvus* (*b*).

Apollinis filius fuit *Æsculapius*, qui peculiariter magis *medicinæ* præerat (*c*). Hic fingitur arte sua mortuos in vitam revocasse, & propterea a Jove irato fatorum ordinem ita turbari, fulmine percussus fuisse (*d*). Colebatur olim præcipue *Epidauri* in Græcia forma serpentis, vel baculo innixus, cui serpens circumvolutus erat. Unde oraculi jussu Romam arcessitus fuit (*e*); ubi templum ei in insula Tiberina exstructum est. Sed merentur videri de cultu Æsculapii & Serpentis ejus Viri Celeberr. *Mich. Rossallus*, qui locum *Joannis Apoc. II.* 13. de hujus Dei cultu explicat; & *Theod. Hasæus in Bibl. Hist. Phil. Classis III. Fasc.* 1. *Pingebatur* vultu senili, barba promissa, (unde jocus *Dionysii Syracusarum* tyranni, dum barbam auream statuæ ejus abraderet, dicentis: *Non convenire filium esse barbatum, dum pater imberbis esset* (*f*), pallio indutus, & baculum manu tenens. Immolabatur ei *Gallus*. Solebant etiam in ejus fano cubare ægroti, ut per somnium de remedio monerentur (*g*).

DE DIIS SELECTIS.

Dii Selecti fuerunt octo: *Janus*, *Saturnus*, *Rhea*, *Genius*, *Pluto*, *Bacchus*, *Sol*, & *Luna*.

§. XIV. *De Jano*.

Janus anni Deus (*h*) (nam eo nomine etiam *Solem* intellexerunt (*i*); unde *Matutinus pater* dici vide-

(t) *Hom. Iliad. Υ.* 39. (u) *Horat. Od. I.* 21.
(x) *Macrob Saturn. I.* 17.
(y) *V. Claud. de rapt. Pros. II.* 109. *Ovid. Met. I.* 558.
(z) *Tibull. II.* 5. 63. (a) *Homer. Od. o.* 525.
(b) *Ælian de animal. I.* 47. *seq. VII.* 18.
(c) *Virg. Æn. VII.* 772. (d) *Id. d. l.*
(e) *Ovid. Metam XV.* 622. *seqq.*
(f) *Val Max I.* 1. *ext.* 3. (Cic. III. Nat. D. 34.)
(g) *Plaut. Curcul. II.* 1. *Aristoph. Pluto* 662. *&c.*
(h) *Ovid. Fast. I.* 65.
(i) *Macrob. Saturn. I.* 17.

videtur apud Horatium *serm. II. VI. vers.* 20.) dictus fuit ab *eundo* (*k*), quasi *Eanus*; quia annus, sive tempus semper *it*, vel *procedit*; vel, quia cum *Horis* foribus cæli, per quas *itur*, & *reditur*, præesse dicebatur (*l*): & hinc etiam *foribus* in terra præest, quæ ab eo *januæ* dicuntur: & propterea quoque *Januarius* mensis, qui annum aperit de *Jano*, ita est dictus (*m*); ejusque prima die felicem anni successum sibi mutuo optabant Romani (*n*), & munuscula mittebant (*o*), quæ *strenæ* (*p*) dicuntur. Hic primus homines sacrorum ritus docuisse dicitur; & inde in omnibus sacris primus invocabatur (*q*): vel forte, ut Ovidius refert, hoc fiebat, ut per eum quasi janitorem ad reliquos Deos aditus esset (*r*). Quia autem antiquissimus Deorum erat (*s*), hinc peculiariter *Pater* dicebatur (*t*), (& in formulis precum plerumque primus nominari solebat (*u*)) licet id cognomen aliorum etiam Deorum esset. Revera autem antiquissimus quidam Italiæ Rex fuisse videtur (nam Græcis quidem hoc numen incognitum fuit (*x*)) qui *vini* usum Italos primum docuit; unde ab Hebræo יין *Jaiin*, quæ vox *vinum* notat, nomen ejus potius deducas: & hinc idem fuerit cum *Noacho*, cui revera vini inventio debetur: eadem de caussa *Œnotrius* quoque est dictus, quod Græcum *οἶνος vinum* significet: & facit, quod Œnotrius septemdecim ætatibus, ante bellum Trojanum regnasse dicitur (z), quod fere in Noachi ætatem incidit. Templum ei primum exstruxit Romulus, postquam pacem cum Sabinis fecisset (*a*), in quo templo statua ejus erat *bifrons*, vel ad unionem duorum populorum notandam; vel, quia omnis janua duas frontes habet (*b*); vel, quia Noachus primum & secundum orbem habitavit (*c*); vel denique, quia tempus præterita & futura respicit: digitis

(k) *Cic. de N. D. II. 27.* (l) *Ovid. d. l. 125.*
(m) *Varr. de L. L. V. 4.* (n) *Ovid. I. Fast. 175.*
(o) *Suet. Aug. 57. Tib. 34. Cajo 42.*
(p) *Vid. Fest. hac V.*
(q) *Cic. de N. D. II. 27. Martial. X. Epigr. 28. Macrob. Saturn. I. 9.*
(r) *Ovid. Fast. 1. 173.* (s) *Juven. Sat. VI. 393.*
(t) *Hor. Epist. I. XVI. 59.* (u) *Cato de R. R. n. 133.*
(x) *Ovid. Fast. I. 90. Athen. Deipnos. XV.*
(z) *Pomp. Sabin. ad Virg. Æn. I. 532.*
(a) *Serv. ad Æn. I. 291.*
(b) *Ovid. Fast. I. 135.*
(c) *Arnob. adv. gent. VI.*

gitis ita figuratis, ut trecentorum sexaginta quinque dierum nota per significationem anni, temporis & ævi Deum indicaret (*d*). Aliquando etiam *Quadrifons* (*e*) pingitur, ut *quatuor* anni partes significentur. *Clavem* & *virgam* manu tenet, quia janitor cæli est (*f*). *Patulcius* & *Clusius* nominatur, quia ejus templum bello indicto patebat (*g*), pace facta claudebatur (*h*): quod intra annos 724. ter tantum Romæ accidit. Non tamen putandum est, semper bellum ipso actu extitisse; sed bellum esse credebant veteres, cum firma pax facta non esset, licet re ipsa bellum non exerceretur.

§. XV. *De Saturno*.

Saturnus (per quem *universam mundi naturam* intellexisse veteres auctor est *Dionysius Halicarnassensis* L. I. c. 38.) temporis in genere Deus, ita dictus fuit a *satu* (*i*), quia homines primum *serere* docuit; Græcis autem Κρόνος dictus est, quasi Χρόνος (*) (quæ vox *tempus* notat; antiquissimi enim Græci literas adspiratas ignorabant) quia auctor est *temporum* (*k*). Hic Cæli & Terræ, sive Vestæ Majoris filius fuit; & fœdere cum fratre suo majore *Titano* facto, liberos suos se devoraturum esse promisit; quod etiam fecit, donec pro Jove & reliquis lapis ei obtruderetur (*l*). Postea a filio Jove regno pulsus ad Janum, qui parti Italiæ imperabat, confugit; & ibi *latuit*, unde ea regio *Latium* est dicta (*m*). Et ipsum Dei nomen verius est ab Hebræo סתר *Satar*, quod *latere* significat; unde primum parentem nostrum *Adamum* per eum significatum fuisse putant (*n*), quia pudore nuditatis suæ *latuerit* coram DOMINO (*o*): alii Noachum per eum adumbratum putant, quia ille diu in Arca *latuit*. Hinc etiam in nummis Romanorum navis (qua scilicet in Italiam advectus dicebatur) & Janus bifrons con-

(d) *Plin. H. N.* XXXIV. 7. (e) *Macrob.* I. 9.
(f) *Ovid. Fast.* I. 99.
(g) *Ibid.* 125. *Virg. Æn.* VII. 607.
(h) *Horat. Od.* IV. XV. 9.
(i) *Varro de L. L.* IV. 10. (*) (Cic. II. Nat. D. 25. ubi simul Saturnum dictum ait, quod *saturetur* annis.)
(k) *Macr. Sat.* I. 8. (l) *Vid. Apollodor. Biblioth.* 1.
(m) *Ovid. Fast.* I. 237. *Virg. Æn.* VIII. 319.
(n) *Fr. Junius not. ad Tertull. de spect.* 8. *Voss. Idol.* I. 8. & 18. (o) *Genes.* III. 10.

conspicitur (*p*). A Jano in regni societatem adscitus homines agrestes ad cultum humaniorem traduxit; unde sub eo *aurea ætas* fuisse perhibebatur (*q*). *Pingebatur* Saturnus ut senex decrepitus, quia nihil est tempore antiquius (*r*); falcem manu tenens, quia tempus omnia desecat; vel etiam aliquando anguem caudam sibi mordentem, qua re significabatur tempus se ipsum quasi consumere; aliquando denique infantem devorans, qua re etiam *tempus edax rerum* denotabatur (*s*). In templo Saturni Romæ erat *Ærarium* (*t*), in quo præter pecuniam publicam, etiam monumenta publica, & signa militaria adservabantur: quia nempe regnante Saturno inviolata fides & justitia obtinuisse credebatur (*u*). Festum *Saturnalia* dictum in ejus honorem celebrabatur mense Decembri (*x*) per quinque, vel septem dies (varie enim traditur) maxima lætitia, conviviis agitandis, muneribus passim mittendis, & feriis agendis (*y*): imo omnis civitas feriata publico edicto conferre se in montem Aventinum, ac rusticari quodammodo solita fuit (*z*). Tum quoque servis, ut cum dominis luderent, & jocarentur, concedebatur (*a*): iisque ad mensam accumbentibus domini ministrabant (*b*); ut ita aurea ætas significaretur, qua omnes homines ejusdem conditionis fuerunt. *Gladiatores* quoque in ejus honorem depugnabant, quia Saturnus sanguine humano placari credebatur; sævus enim & terrestris deus fuit habitus (*c*); imo olim humanæ victimæ ei immolabantur (*d*): quod apud Italos primum abolevit *Hercules* hominum simulacris strami-

---

(p) *Ovid. Fast.* I. 235. *Lactant. de fals. rel.* I. 13.
(q) *Virg. Æn. VIII.* 324. *Ovid. Metam.* I. 89. *seqq. Tibull.* I. III. 35.
(r) *Ovid. Fast.* I. 234.
(s) *Id. Metam.* XV. 234.
(t) *Suet. Claud.* 24.
(u) *Plut. Quæst. R. p. m.* 275. *sive num.* 42.
(x) *Mummius vetus poeta apud Macrob. Satur.* I. 10.
(y) *Accius apud Priscian. V.* (de origine Saturnalium disseritur in Histor. Acad. Lit. Paris. T. 1. p. 78. seqq.)
(z) *Porcius Latro declam. in Catil.* 17. *p.* 158. *ed. I. Wass. Senec. ep.* 18.
(a) *Horat. Serm. II. VII.* 4.
(b) *Auson. de feriis Rom.* 16.
(c) *Plut. Quæst. R. II. sive p. m.* 266. & 34. *sive p.* 272. *Auson. d. l. v.* 35.
(d) *Ovid. Fast. V.* 627.

mineis substitutis, quæ Α'ργείους vocabant (*e*). Sacra ei fiebant capite aperto secus ac reliquis Diis (*f*): nempe, quia tempus omnia aperit (*g*).

§. XVI. *De Rhea.*

Rhea, qua (ne cum Vesta confundatur) *tellus habitata* significatur, Cæli filia, Saturni uxor & soror fuit. Hæc etiam *Ops* dicta est, quia terræ munera *opem* omnibus ferunt (*h*), (sed dissentit Varro *de* L. L. *IV. c.* 10.) & festum ejus *Opalia* (*i*). *Magna mater* (*k*), quia tellus tanquam *mater* omnia animantia nutrit: *Mater Deorum* (*l*), quia Saturni, a quo omnes fere Dii progeniti sunt, uxor fuit; & inde etiam *Domina* (*m*) sæpe dicitur (*n*). *Cybele* (*o*), *Berecynthia* (*p*), (vel *Berecyntia* potius (*q*)) & *Idæa mater* vocabatur (*r*) a montibus *Phrygiæ*, ubi præcipue colebatur: vel etiam *Cybele* vocata fuit a *cubo*, quæ figura omnium maxime stabilis est, sicut inter elementa, quæ vulgo vocant, terra: imo *Cybebe* sæpe dicitur: & ubicumque apud poetas *Cybelle*, aut *Cybele* media longa legitur, rescribendum esse *Cybebe* voluit *Gudius ad Phædr. L. III. F.* 20. (*s*). Bello Punico II. monitu librorum *Sibyllinorum Pessinunte* in Asia, ubi sub forma lapidis colebatur, Romam arcessita fuit (*t*). *Pingebatur* Rhea, sive Cybele matronali habitu coronam (*turritam* gestans, quia tellus urbes cum suis (*)) *turribus* sustinet; *clavem* tenens, quia hyeme velut *clausa* tellus vere *recluditur*; currui insidens a *leonibus* tracto (*u*), quia materna benignitate omnia, etiam ferocissima, mitescunt; veste picta induitur ob flores & animalia, quibus terra

(e) *Fest. V. Argeos.* (latius exsequitur in V. *Sexagenarios.*)
(f) *Macrob. Sat. I.* 10 *Serv. ad Æn. III.* 407.
(g) *Plut. Q. R.* 12. *sive p. m* 250. (h *Vid. Fest. V. Opis,*
(i) *Varr de L. L. V.* 3. *Fest.*
(k) *Varro ap. August. de Civ Dei VII.* 24.
(l) *Virg. Æn. VI.* 784. (m) *Ibidem III.* 113.
(n) *Catull. Attin V.* 13. & 91. *Virg. Æn. III.* 113.
(o) *Strabo XII. p.* 567. (p) *Virg. Æn. VI.* 784.
(q) *Serv. ad Æn. IX.* 82.
(r) *Lucret. II.* 611.
(s) *Vid. & Græv. ad Lucian. T.* 11. *p.* 855. *Broukh. ad Prop. III.* 15. 35. *Voss de Idol. II.* 52.
(t) *Liv. XXIX.* 14. *Ovid. Fast. IV.* 247. *seqq.*
(*) (Hæc verba ex 1. Edit. restituimus.)
(u) *Ovid. ib.* 215.

terra quasi est vestita. *Festum* ejus *Megalesia* dictum celebrabatur mense Aprili ludis præcipue scenicis. Ejus sacra peragebantur a sacerdotibus, qui *Galli* dicebantur a quodam Phrygiæ fluvio ita dicto (u); iisque præerat *Archigallus*. Hi in furorem acti (x) vaticinabantur; & se ipsos castrabant (y) ad imitationem Atyos cujusdam, quem cum Cybele adamasset, eumque amore nymphæ *Sangaritidis* irretitum invenisset, in furorem egerat, ita ut ipse sibi genitalia ferro demeteret. In ejus sacris *tympana* & *cymbala* adhibebantur, quia Rhea his instrumentis adhibitis Saturnum prohibuerat, ne Jovis vagitum, dum eum pareret, exaudire posset (z). Immolabatur ei bos (a), vel *porca fœta* (b), ut terræ *fœcunditas* significaretur. Arbor vero ei sacra erat *pinus*, in quam quoque Atyn mutatum fuisse fabulantur (c).

§. XVII. De Genio, Penatibus & Laribus.

Genius dicebatur *Naturæ Deus*, qui omnium rerum *gignendarum* vim habebat. Dictus est ab antiquo verbo *geno* (qua voce utitur aliquando *Lucretius*, ut, exempli gratia, *l.* I. *verf.* 130.) pro *gigno*; vel, quia curat ut *gignamur*; vel, quia nos *genitos* suscipit, ac tuetur (d): credebant enim veteres unicuique homini (e), & etiam loco (f) suum adesse Genium; cujus munus esset hominem istum, vel locum assidue tueri, eique præsidere: unde ab *Apulejo* (g) dicitur *singularis præfectus*, *domesticus speculator*, *individuus arbiter*, *inseparabilis testis*, *malorum improbator*, *bonorum probator*, &c. (*) Et hinc phrases sunt ortæ, *defraudare Genium suum*, hoc est, *negare naturæ*, *quod appetit* (h); cui contrarium est, in-

G

(u) *Ibid.* 361. (x) *Lucan.* I. 561. (y) *Juven.* VI. 513. *Ovid. in Ibin* 453. (z) *Id. Fast. IV.* 207. (a) *Ibid.* 630. *seqq.* (at verf. 336. Cibelæ ait Romæ *sine labe juvencam Mactatam, operum conjugiique rudem*: nisi id honori Claudiæ virginis tributum fuit. Ceterum de *Taurobolio* v. Memor. Acad. Lit. Parif. T. IV. vel III. verius, p. 431. seqq.) (b) *Hor. Epist. II.* 2. 143. (c) *Ovid. Metam.* X. 104. (d) *V. Censorin. de die natali c.* 3. *Fest. V. Genium*. (e) *Aftor.* XII. 15. *Hor. Epist. II.* 2. 187. (f) *Virg. Æn. VII.* 136. *Menandr. p.* 260. v. 558. *ed. Cl. Clerici*. (g) *De Deo Socratis*. (*) (Censor. de D. N. c. 3. *Eundem*, inquit, *esse Genium & Larem*, *multi veteres memoriæ prodiderunt*. V. ibi Lindenbr. & nos in *Synonymis*.) (h) *Terent. Phor.* I. 5. 1.

BIBLIOTECA NAZ. V. EMANUELE III ROMA

indulgere genio (*i*). Cum igitur aliquem enixe obtestari vellent, *per genium ejus* orabant (*k*). Sic etiam quisque *jurabat per Genium suum*, servi per *Genium heri*, omnes autem Romani post perditam libertatem per *Genium principis*, fustuarii pœna (*l*) in pejerantes constituta: mulieres vero & ancillæ per *Junonem suam* (*m*), vel *Genium heræ suæ* (*n*) jurabant. Plerique autem duos Genios, alterum bonum (*o*), alterum malum hominibus adesse credebant (*p*); quorum ille homines ad bonum, hic ad malum impelleret: & hi sunt, qui in monumentis sepulchrorum *Dii Manes* vocantur (*q*). Colebatur sæpe Genius sub forma serpentis (*r*); & aliquando juvenili, aliquando rursus senili forma effingebatur. Sacra ei fiebant natali potissimum cujusque die (*s*) floribus & vino (*t*), & unguentis (*u*), & ture (*x*), quia incongruum videbatur eum sanguine placare, qui vitæ auctor erat: aliquando tamen etiam porcum ei immolabant (*y*), nisi hic ad convivium potius fuerit. Græci δαίμονα *bonum Genium* vocant: & ita in conviviis ultimum poculum, quod in ejus honorem sumebatur, dicebatur Ἀγαθοῦ δαίμονος (*z*).

Geniis affines fuerunt *Penates* & *Lares*: ita enim dicebantur Dii, qui præ aliis eligebantur pro lubitu, vel ex Diis magnis, vel ex Majoribus defunctis (*a*), vel ex aliis Heroibus (*b*), (quemadmodum *Alexander Severus* Imperator etiam *Abrahamum*, *Christum*, & *Orpheum* in larario suo coluisse legitur) ut uni alicui regioni, urbi, (unde πολιοῦχοι θεοὶ (*c*) Græcis dicuntur) aut familiæ præessent. Dicti sunt *Penates* (*d*), quia in *penitissima* sive *intima* ædium parte, ubi *penus* adservabatur, colebantur; unde etiam *penetrales* (*e*) fuerunt dicti, & sacraria eorum *penetralia* (*f*). *Lares* vero dicuntur ab Etrusca voce *Lar*, quæ *Principem* (*g*), si-

(i) *Persius Sat. V.* 151. (k) *Hor. Ep. I. VII.* 94. (l) *L.* 13. §. *ult ff. de jurej.* (m) *Petron.* 25. *Tibull. IV. XIII. v* 15. (n) *Juven. II.* 98. (o) *Serv. ad Virg. Æn. VI.* 747. (p) *V. Plutarc. Bruto p. m.* 1000. (q) *V. Sanct. Minerv. p. m.* 611. & *ibi Cl. Perizon.* (r) *Virg. Æn. V.* 55. (s) *Pers. Sat. II* 3. (t) *Hor. Epist. II.* 1. 144. (u) *Tibull. II.* 2. *v.* 5. (x) *Ib. IV.* 2. *v.* 9. (y) *Id. Od. III.* 17. (z) *Vid. Ælian. V. H.* 1. 20. (& Ritus Conviv. *Alkem. & Schelling.*) (a) *Serv. ad Æn. VI. v.* 152. (b) *Vid. Lampr. Alex. Sev.* 29. (c) *Poll. Onom. I.* 1. 24. (d) *Cic. de N.D. II.* 27. (e) *Sen. Theb.* 440. (f) *Fest. hac V.*

(*g*), sive *Præsidem*, τὸν προςάτην, notat: inter quos & *Penates* hæc differentia fuisse videtur, quod *Lares* proprie dicuntur, qui uni alicui familiæ (*b*), *Penates*, qui urbi cuidam vel Reipublicæ præsunt; (qui etiam *Publici* vocantur, & Romæ in Capitolio colebantur (*i*)) licet sæpe hæ voces confundantur (*). Erant autem Lares hæreditarii familiis, unde *patrii* dicuntur Virgilio (*k*); Græcis vero θεοὶ πατρῷοι, γενέθλιοι, κτήσιοι, μύχιοι, ἕρκιοι (*l*): & quisque domi suæ in *larario* (*m*), vel ædicula quadam sacra (*n*), parvas eorum imagunculas habebat cereas (*o*), canina pelle vestitas, & *canem* juxta se habentes (*p*), qui *ædium custos* habetur. Ante eas imagines ignem perpetuum alebant; & quia in *atriis* ædium fere erant locatæ, ipsa *atria* inde denominari potuerunt (*q*), quod ex fumo *atra* fierent: & majorum imagines, quæ in atriis servabantur, *fumosæ* inde dictæ videntur apud Juvenalem VIII. v. 8. Hasce imagines floribus & sertis exornabant (*r*), quæ diebus festis renovabantur (*s*). Et quisque quidem in ædibus suis talia sacraria habebat (*t*), ubi sacra hæreditaria colebant: sed maxime tamen proceres, quemadmodum simile quid hodie apud Pontificios obtinet (*u*). Offerebant laribus frugum primitias, & porcum iis immolabant (*x*). Peregre autem abeuntes, vel inde redeuntes Deos Penates salutabant (*y*). *Compita* etiam Laribus erant sacra; & in eorum honorem festum *Compitalia* dictum celebrabatur (*z*). Denique *Penates* & *Lares*, qui *ædibus* præsunt, sæpe pro *ipsis ædibus* ponuntur (*a*); & etiam *Lar* singulari numero pro *interiore parte* domus (*b*). *Mater Larium* dicebatur *Lara*, vel *Larunda* (*c*): vel etiam *Mania*; nisi hæc forte eorum avia fuit (*d*).

 §. XVIII.

(g) *Vid. Liv. IV.* 5. *II.* 17. (h) *Juven. XII.* 89.
(i) *Liv. III.* 17. (*) (*V.* Synon. nostra.)
(k) *Æn. IV.* 599. (l) *Dion. Halic.* 1. 67.
(m) *Lamprid. d. l.* (n) *Juv. VIII. v.* 110.
(o) *Juv. XII.* 80. (p) *Ovid. Fast. V.* 135. *seqq.*
(q) *Isid. Orig. XV.* 1. (r) *Plaut. Aulul. Prol.* 24. & *II. VIII.* 15.
(s) *Juv. d. l.* (t) *V. Cic. Verr. VI.* 2. *seqq.* & *omn. not. ad Petron* 29. p. 108. *ed. Cl. Burm.* (u) *V. Cic. ad Fam. XIII.* 2. & *ibi Manut.* (x) *Hor. Od. III. XXIII.* 3.
(y) *Terent. Phorm. II.* 1. 81. *Plaut. Merc. A. V. S. II. v.* 24.
(z) *Ovid. Fast. V.* 140. (a) *Virg. Æn. VIII.* 123. (Ovid. I. Trist. IV. 81. & IX. 40.) (b) *Ovid. Fast. I.* 136. (Vid. Pignor. de Serv. p. 452.) (c) *Auson. Technop. p. m.* 480. *Lactant. de fal. rel. I.* 20. (d) *Varro de L. L. VIII*, 38. *Fest. vel Paulus potius, Verb. Maniæ.*

§. XVIII. *De Plutone, & Proserpina, sive Hecate.*

Quæ de inferis narrantur, sapientiores veterum pro fabulis habuere (e); licet tamen animæ immortalitatem minime negarent. Verumtamen nobis ea paucis explicanda veniunt. *Pluto* itaque *inferorum Deus*, Saturni etiam filius, dictus est ἀπὸ τοῦ πλούτου, hoc est, a *divitiis*; quia *divitiæ* in inferioribus terræ partibus latent, unde Latinis etiam *Dis* dicitur (*f*). *Orcus* etiam dictus est ab *urgendo* (*g*), quia omnes ad mortem urget; vel potius ab Hebraica (Chaldæa potius) voce ארקא, hoc est, *terra* (*h*): licet vox *Orcus* pro ipsa *habitatione defunctorum* (*i*) sæpius sumatur. Saturni, ut dixi, & Opis filius fuit; & in sortitione universi *inferos* obtinuisse (*k*), ac plenum in defunctos imperium exercere credebatur: unde *Jupiter infernus* & *Stygius* dicitur (*l*) a *Styge* palude infernali: quemadmodum uxor ejus *Proserpina Juno Profunda* (*m*), & *Infera*. *Jupiter* etiam *Magicus*, ut quidam legunt apud Virgilium *in Ceiri v.* 374. *Pingebatur* Pluto solio insidens, torvo vultu (*n*), sceptro & corona ex ebeno insignis; clavem etiam habens, quia inferorum custodiam gerit (*o*). *Victima* ejus fuit *taurus* (*p*).

Plutonis ergo uxor *Proserpina* (*q*) Jovis & Cereris filia, quam ex Sicilia rapuisse dicitur: Cereris tamen precibus effectum fuisse fingunt, ut sex mensibus apud maritum in inferis, sex reliquis apud matrem in cælis degeret (*r*): qua re significabatur semen hyeme terra latens æstate prorumpere; per hanc enim Deam *fœcunditatem terræ*, vel forte ipsum semen (*s*) notabant. Eadem *Libera* est dicta (*t*), & *Baccho* socia jungitur ap. *Claudian. de rapt. Prof. L. I. v.* 16. Hæc etiam in mortuos imperium habere (*u*), & morti proximos tondere credebatur, ante-

---

(e) *Hor. Serm. I. IV.* 16. *Cic. pro Cluent.* 61. *& Tusc. Qu. I.* 5. *seqq.* (V. Hist. Acad. Lit. Paris. T. II.) (f) *Virg. Æn. VI.* 269 *Cic. de Nat. D. II.* 26. (g) *Cic. in Verrem IV.* 50. *Fest. V. Orcus.* (h) *Jerem. X.* 11. *Voss. Etymol.* (i) *Virg. Æn. VI.* 273. (k) *Juven. XIII.* 49. (l) *Senec. Herc. Fur.* 47. *Virg. Æn. VI.* 252. (m) *Claud. de rapt. Prof. I.* 2. *Stat. Syl. II.* 1. 147. (n) *Claud. d. l.* 80. (o) *Pausan. Eliac. pr.* 20. (p) *Virg. Æn. VI.* 253. (q) *Juv. XIII.* 50. (r) *Ovid. Metam. V.* 566. (s) *Cic. de N. D. II.* 26. (t) *Cic. Verr. IV.* 48 (*Tac. Ann. II.* 49.) (u) *Tibull. III. El. V.* 5. *Hor. Serm. II. v. ult.*

antequam mori possent (*x*). Eadem etiam *Hecate* (*y*) dicitur, & tum sæpe cum Diana & Luna confunditur (*z*); ac fingitur triplici capite, equi scilicet (*a*), canis ac hominis; quia vim suam tribus locis exerit, in cælo nempe, in terris, & apud inferos. *Veneficiis* etiam præesse credebatur (*b*); quia Lunam in herbas, quibus veneficia exercebant, despumare (*c*), atque ita vim quandam magicam iis addere putabant. *Triviis* etiam præerat, & in iis colebatur (*d*); ac inde *Trivia*, Græcis (*e*) τριοδῖτις, τρίμορφος, τριπρόσωπος, dicitur (*f*). Et Athenis in triviis ditiores certo tempore cœnam Hecatæ apponebant a pauperibus diripiendam (*g*). *Immolabatur* ei vacca sterilis (*h*), vel etiam canis (*i*); quia canum ululatu spectra, quæ immittere credebatur Hecate, fugari credebant. (Quod triplex munus his versiculis ingeniose comprehenditur:

„ Terret lustrat agit Proserpina Luna Diana
„ Ima suprema feras sceptro fulgore sagitta.)

Reliqua inferorum numina, quod non ita multum ad institutum nostrum faciunt, silentio transibimus: nisi quod paucis verbis de *Parcis* & *Furiis* monendum est.

Parcæ juxta plurimos, & magni quidem nominis Grammaticos veteres, ita dictæ sunt κατ' ἀντίφρασιν, quod *nemini parcant* (*k*): sed cum ea sit merum inscitiæ asylum, verius cum *Vossio* & *Jul. Cæs. Scaligero* (*l*) dicas a *parcendo* esse dictas, quia *parcant*: una enim tantum dicitur filum vitæ incidere; duæ vero, altera vitam dare, altera vitam continuare: nisi a *partiendo* dictas velis, quod sortem hominibus *partiantur*, quemadmodum Græcis ἀπὸ τοῦ μείρειν Μοῖραι dicuntur. Fuerunt autem tres sorores, Jovis & *Themidis* (*m*), vel etiam solius *Noctis* (*n*) filiæ: *Clotho* dicta a verbo κλώθω, *neo*; quia stamen ducit, eaque homines in vitam

 vo-

(x) *Virg. Æn. IV. 699.* (y) *Ibid. VI. 247.*
(z) *Vid. Hor. Od. III. 22.* (a) *Virg. Æn IV. 512.*
(b) *Hor. Serm. I. VIII. 33.* (c) *Lucan. VI. 505.*
(d) *Vid. Virg. Æneid. IV. 609.* (e) *Athen. VII. Deipnos.*
(f) *Catull. carm. 35.*
(g) *Aristoph. Plut. v. 594. seqq. & ibi Schol.*
(h) *Virg. Æn. VI. 251.* (i) *Ovid. Fast. I. 389.*
(k) *Isidor. VIII. 11.* (l) *Poetic. III. 90.*
(m) *Hesiod.* Θεογ. *904.* (n) *Ibid. 217.*

vocare credebatur: *Lachesis* a λαγχάνω (o), *sortior*; quia humanæ vitæ *sortem* præfinit: & *Atropos* dicta a verbo τρέπω, *verto*, & ab α privativo; quod scilicet *verti*, sive *flecti* nequiret, eaque filum vitæ incidere dicebatur.

Furiæ, sive *Diræ* itidem tres fuere, *Eumenides* etiam & *Erinnyes* dictæ. Nomina earum fuerunt *Alecto*, *Tisiphone*, & *Megæra*. Iisque nihil aliud significabatur, quam impios sceleratosque continuis & surdis conscientiæ flagellis cædi (p); quemadmodum elegantissime id deducit Cicero *pro Roscio Amerino* c. 24. (De *Parcis* ac *Furiis* disseritur in Mem. Acad. Lit. Par. T. VII. p. 21. & 51.)

§. XIX. *De Baccho, ejusque comitibus.*

Bacchus, sive *Liber*, *vini* (*) *Deus*, Jovis & *Semeles* filius, sed miro modo natus, ut apud Mythographos late videri potest (q). Dicitur ab Hebræo verbo *Bacchah*, *quod ejulare* notat: quia illud in sacris ejus usitatum erat. *Bochartus* (r) vero dictum fuisse vult quasi *Bar-Chus*, hoc est, *Chusi filius*; unde eundem *Nimrodum* fuisse putat (s). *Liber* autem, & *Liber Pater* Latinis dicitur (t), quia vinum homines curis *liberat* (u): vel κατ' ἐξοχὴν *Jovis Liber*, hoc est, *filius*: vel denique melius a Gr. λείβω, *libo*, *stillo* (x). *Dionysius* dicitur a Διός, hoc est, *Jovis* (subaudi *filius* (y)) & *Nysa* insula, in qua educatus dicitur. *Lenæus* (z), ἀπὸ τῶν ληνῶν, quod *torcularia* scilicet vino ex uvis exprimendo invenisset (a). *Pingebatur* Bacchus fere puer, quia vinum immodice sumptum sapientiam hominibus aufert; vel etiam adolescens comatus (b), formosus & nudus, quæ omnia vini naturam notant: *cornutus* etiam plerumque fingitur, quia vinum homines ad *audaciam*.

(o) *Aor.* 2. ἔλαχον. (p) *Juv.* XIII. 195. (*) (Bacchum *Mosen* expressum autumant Huetius & Dacerius; at Neutonus in Chronol. *Sesostrin.* De *nutricibus* Bacchi lege *Hist. Academ. Lit. Paris.* T. III. p. 52.) (q) *Vide & Ovid. Metam.* III. 310.

(r) *Phaleg.* I. 2. (s) *Vid. Ampliss.* Van der Muelen de die mundi *Diss.* II. p. 526. (t) *Macrob. Saturn.* I. 19.

(u) *Horat. Od.* II. 11. 17. & *Epist.* I. 5. 16.

(x) *V. Cl. Perizon. ad Sanct. Min.* p. m. 565.

(y) *Lucian. in Deor. Dial.* (z) *Tibull.* III. 6. v. 38.

(a) *Serv. ad Virg. Georg.* II. 4. & *clarius ad Æn.* IV. 214.

(b) *Tibull.* I. IV. 37. *Senec. Oed.* 404, & *Hippol.* I. 751.

daciam impellit (*c*), cujus symbolum sunt *cornua* (*): vel, quia prisci mortales cornibus boum bibebant (*d*): *hedera* coronabatur (*e*), quia ea planta ebrietatem arcere credebatur: *thyrsum* manu gestat, hoc est, *hastam hedera* (*f*), vel *pampinis circumvolutam*; quam *gravem* vocat Horatius (*g*), quia magnam potestatem ea exercere credebatur; quemadmodum etiam dicebant, eum universum Orientem domuisse (*h*): & hinc *thyrsus* aptissima translatione pro *quovis stimulo*, vel *impetu* ponitur (*i*). *Currus* ejus a tigribus (*k*), aliquando vero a leonibus, vel lyncibus trahebatur; vel, quia vinum ferocissimos quosque domat (*l*); vel, quia homines feroces reddit.

Comites Bacchi erant *Nymphæ*, *Satyri* (*m*) & *Silenus* (*n*), qui ejus præceptor fuisse dicebatur: tum mulieres ebriæ & furentes, quæ *Bacchæ* (*o*), & *Mænades* ἀπὸ τοῦ μαίνεσθαι, hoc est, a *furendo* dicuntur: ut etiam *Thyades* (*p*), a θύω, *impetu feror*, *ruo*. Sacra ejus *Bacchanalia*, quæ etiam *Dionysia* & *Orgia* vocantur, Romæ olim omni genere turpitudinis sunt celebrata (*q*); donec A. U. 567. ex Senatus-consulto prohibita sunt (*r*). *Orgia* etiam dicta sunt ἀπὸ τῆς ὀργῆς (*s*), a *furore*: licet ea vox pro *quibusvis* sæpe *sacris* (*t*), *arcanis certe*, ponatur: ut pro *sacris Musarum* (*u*), pro *sacris Cereris* (*x*), pro *sacris Cybeles* (*y*). Festum autem Bacchi legitimum *Liberalia* dictum est, quo ei liba ex *melle* offerebantur; quia etiam *mellis* inventor habitus fuit (*z*). *Immolabatur* ei hircus, vel caper; quod animal vitibus nocere solet (*a*).

De Priapo.

Bacchi & Veneris filius erat *Priapus* (*b*), hortorum

(c) *Ovid. Art. Am. I. 229. Horat. Od. III. 21. 15. seq.*
(*) (V. Burm. ad Petron. c. 39.) (d) *Vid. Voss. de Idol. III. 71.* (e) *Ovid. Fast. III. 767.* (f) *Id. Metam. III. 667.*
(g) *Od. II. 19, 8.* (h) *Ovid. Fast. III. 725.*
(i) *Lucret. I. 921.* (k) *Horat. Od. III. 3. 13.*
(l) *Hor. Od. II. 19.* (m) *Id. d. l.* (n) *Sen. Oed. 425.*
(o) *Hor. Od. III. 25. 15.* (p) *Hor. Od. II. XIX. 9.*
(q) *Juven. II. 3.* (r) *Vid. omn. Liv. XXXIX. 8. seqq.*
(s) *Serv. ad Virg. Æn. IV. 309.* (t) *Vid. Juven. II. 91.*
(u) *Aristoph. ἐν Βατράχ. 355.* (x) *Herod. V. 61.*
(y) *Strabo* XVII. (z) *Ovid. Fast.* III. 735.
(a) *Hor. Od.* III. 8. *Ovid. Met.* XV. *v.* 114. & *Fast.* I. *v.* 357.
(b) *Tibull.* I. IV. 7.

torum custos, ingenti virili membro insignis (*c*); quo forte impudentia, quæ ex ebrietate & illegitimæ Veneris usu consequi solet, denotatur. Statuæ ejus vertici etiam *arundo* ad terrendas volucres addebatur (*d*).

§. XX. *De Sole.*

Sol idem quidem est qui Apollo, & propterea pleraque ad eum pertinentia, ubi de Apolline agebamus, dicta sunt; sed in theologia tamen gentili distinguuntur * : cum enim inter selectos Deos refertur, Sol dicitur fuisse filius *Hyperionis* (*e*) fratris Saturni & *Thiæ* (*f*); vel juxta Homerum Hyperionis & *Euriphæssæ* (*g*): & ipse etiam interdum *Hyperion* dicitur (*h*). Hujus & *Tethyos* filia credita fuit *Aurora* (*i*); unde etiam *Hyperionis* dicitur (*k*), quia scilicet Solem præcedens quasi ex eo nascitur. *Pingebatur* Sol juvenili forma, capite radiis cincto, currui insidens a quatuor equis volucribus tracto (*l*). Immolabatur ei *equus* ob celeritatem (*m*); quod tamen an apud Romanos obtinuerit, dubito: apud Lacones certe factum (*n*), & apud *Æthiopas* ob velocitatem quadrigæ albæ ei sunt oblatæ (*o*).

§. XXI. *De Luna.*

Luna quoque eadem quidem est, quæ Diana (*p*), sive Proserpina: cum vero inter Selectos Deos numeratur, Hyperionis filia, Solis soror dicitur (*q*). Veterum autem superstitio credebat eam, cum deficit, incantationibus magicis affligi: ideoque pelvibus æneis, aliisque rebus magnum sonum excitabant (*r*), ne eas audire posset: eamque superstitionem apud varias Orientis gentes obtinere hodierni itine-

(c) *Hor. Serm. I. VIII. init.* (d) *Ibid. v. 4.*
* (Sic ap. Lucian. T. I. 155. Mercurius narrat Apollini, Solem Veneris furtum Vulcano indicasse.)
(e) *Claud. de rapt. Pros. II. 44.* (f) *Hesiod. Θεογ. 371.*
(g) *Homer. hymn. in Solem.* (h) *Ovid. Fast. V. 381.*
(i) *Hesiod. l. d.* (k) *Ovid. Fast. V. 159.* (l) *Id. Met. II. 153.* (m) *Id. d. Fastor. l.* (n) *Pausan. Lacon. 20.*
(o) *Heliod. Aeth. L. X.* (p) *Vid. Var. de L. L. IV. 10.*
(q) *Claud. d. l. v. 45.*
(r) *Juv. VI. 442. Plin. H. N. II. 12.*

itinerariorum scriptores testantur *. Ejus currus a duobus duntaxat equis trahebatur (s). In Palatino monte templum habuit Luna, ubi nomine *Noctilucæ* (t) colebatur; & item alterum in Aventino (u).

DE DIIS MINORUM GENTIUM.

§. XXII.

Dii Minorum Gentium (x) fuerunt *Indigetes*, *Semones*, *Virtutes* & *Affectiones animi* & similia; quibus subjungemus *Deos* quosdam *Peregrinos* Romæ cultos.

Dii *Indigetes* (Gr. παρέγγραπτοι (y), quasi *adscriptitios* dicas) sunt, *qui propter merita & virtutem in Deos sunt relati* (z); & *Heroes* etiam dicuntur. *Indigetes* autem sunt dicti, quod *in Diis* (a), sive *inter Deos agerent*; vel potius ab *indigetando*, hoc est, *invocando* (b). Ex his celebriores tantum recensebimus; *Quirinum* scilicet, *Herculem*, *Castorem* & *Pollucem* & Æneam.

§. XXIII. *De Quirino*.

Quirinus dictus fuit Romulus, Urbis Romæ conditor, postquam inter Deos relatus esset (c); vel a *Curibus* Sabinorum oppido; unde omnes Romani *Quirites* sunt dicti, postquam Sabini in civitatem recepti sunt; vel a voce *Curis*, quæ Sabinis *hastam* notabat, quia magnus bellator fuerat Romulus, & quod *hasta* olim præcipuum quidem telum, quo in bello utebantur, fuit. Hic cum asperius regnaret, concionem ad populum habens, cum subito ingens tempestas exorta esset, a Senatoribus dicitur discerptus (d); qui deinde, ut cædis invidiam a se amolirentur, *Proculum* quendam subornarunt, qui juraret se Romulum in cælum euntem vidisse, eumque jussisse, ut sibi divini honores fierent (e). Hinc templum ei exstructum est, & sacerdos ei proprius constitutus, qui *Flamen Quirinalis*

* (Lud. Comes in Memor. Chinens T. 1. p. 101. 1.)
(s) *Manil. Astron. V. 3.* (t) *Vid. Hor Od IV. VI. 38.*
(u) *Ovid. Fast. III. 884.* (x) *Vid. Ovid. in Ibin 79.*
(y) *Lucian. Jove Trag. p. 140. ed. Graev.*
(z) *Hor. Od. III. 3. 9. Cic. de LL. II. 8.* (a) *Serv. ad Virg. Æn. XII. 794.* (b) *Macrob. Satur. I. 17.*
(c) *Ovid. Fast. II. 473. seqq.* (d) *Flor. I. 1.*
(e) *Liv. I. 16.*

lis est dictus. Festum autem, quod mense Februario in ejus honorem celebrabatur (*f*), dicebatur *Quirinalia*. Uxor Romuli *Hersilia* etiam in Deos relata, & *Hora* dicta est (*g*).

§. XXIV. *De Hercule*.

Hercules Jovis in *Amphitryonem* mutati, & *Alcmenæ* (*h*) *Thebanæ* uxoris Amphitryonis filius, *Eurystheo Mycenarum* Regi propter odium novercæ suæ Junonis servire coactus est; & duodecim *labores* (sive *ærumnas* (*i*), ut proprie vocant) ab eo impositos exantlasse dicitur (*k*): quanquam etiam plura alia egregia facinora perpetraverit; sed quæ eo nomine *ærumnarum* non comprehenduntur, quia non fuerunt illi ab Erystheo imposita. Fuit autem Hercules revera vir aliquis fortissimus, vel potius fuerunt viri hoc nomine plures (*l*); sed Græci suo more omnium illorum res gestas uni suo Herculi *Thebano* adscripserunt. (*) *Pingitur* ergo tanquam vir robustus, clavam dextra manu gerens, & indutus exuvias leonis, quem interfecerat, *Nemeæi*. Romæ variis cognominibus cultus est, & inter alia nomine Herculis *Musagetis*, sive *Herculis Musarum* (*m*), hoc est, *Musarum ducis*; quia fortitudo Musis, sive doctrinæ studiis, quietem præstat; vel, ut verius loquamur, præstare oporteret: inter arma enim fere silent Musæ. *Sancus* etiam, vel *Sanctus* (*n*), & *Sanctus pater* proprio quodam nomine Romanis, vel Sabinis (*o*) est dictus: atque idem etiam *Dius Fidius* dictus videtur, tanquam τȣ̃ Διὸς, hoc est, *Jovis filium* dicas (*p*): D enim & L literæ apud veteres sæpe permutantur (*q*). *Thesauris* quoque præerat (*r*); unde, qui divites.

(f) *Ovid. d. l.* (g) *Id. Met.* XIV. *verf. ult.*
(h) *Vid. Plaut Amphitr.* (i) *Cic. de Fin.* II. *extr.*
(k) *Auson. Eidyl.* XIX. *etiam Lucr.* V. 27. *Martial* IX. 102.
(l) *Tacit. de mor Germ.* 34. *Cic. N. D.* III. 15. *seqq. Serv. ad Æn.* VIII. 354. (*) (Plurima SAMSONIS facta in Herculem translata fuisse, eleganter probat *Mr. de Lavaur dans la Conference de la Fable avec l'Hist: Saint.* T. II)
(m) *Suet. Aug.* 29. *Vid. Vaillant. de fam R. G. Pomponia* II.
(n) *Propert.* IV. 10. 70. *Cic. pro Sext* 68.
(o) *Varr. de L. L.* IV. 10.
(p) *Fest. V. Medius Fidius. Varr. de L. L.* IV. 10.
(q) *V. Vossium de permut literar.*
(r) *Horat. Serm.* II. VI. 12. *Pers.* II. *v.* 12.

Pag. 154.



E ÆRI



Pag. 156.




G·ÆRI



Pag. 157.






Pag. 157.














Digitized by Google

vites fieri cupiebant, decimam (*s*) bonorum suorum partem (*t*) Herculi consecrabant, quod dicebant *pollucere* (*u*); & epulum quod hujus decimationis caussa populo dabatur (*x*), dicebatur *pollu-ctum*; unde etiam *pollucibilis* (*y*) *cœna* pro *opipara* ponitur (*z*). Ejus sacris interesse mulieribus non licebat, quod olim Herculi sitienti aquam negassent (*a*). Peragebantur ea sacra (quæ aperto capite fiebant (*b*)) a propriis Herculis sacerdotibus, *Potitiis* nempe & *Pinariis*, quæ duæ nobiles Romæ gentes erant, quarum progenitores ipse Hercules sacra sua docuisse dicebatur (*c*): postea vero A. U. 441. extincta gente Potitiorum (*d*) (a qua ipse Deus manifestam pœnam exegisse credebatur, quod hæc sacra ad humile servorum ministerium transtulissent) ea sacra a Pinariis tantum, & a servis publicis, qui in locum Potitiorum substituti fuerant, peracta sunt. *Arbor* Herculi sacra fuit *Populus* (*e*).

§. XXV. *Castor & Pollux.*

Castor & *Pollux*, sive Διόσκυροι, hoc est, *Jovis filii*, inter alios etiam Romæ culti sunt. Hi, ut plures auctores sunt, ex Jove in cygnum mutato, & *Leda Tyndari Spartanorum* Regis (*f*) uxore fuerunt progeniti: alii vero Pollucem & *Helenam*, quæ *Menelai* (hic etiam Spartæ Rex fuit) uxor erat, Jovis; Castorem vero & *Clytemnestram*, quæ *Agamemnoni Mycenarum* Regi nupsit, Tyndari liberos fuisse volunt: certe *Oebalii* dicuntur (*g*); & *Therapnæi* (*h*) a locis *Laconiæ*, cujus regionis caput fuit Sparta. Cum autem Castor mortuus esset, Pollux divino semine natus immortalitatem suam cum eo partitus fuisse dicitur (*i*); ita ut alternis semestribus, vel, ut alii, diebus (*k*) apud inferos agerent: quod ideo fictum est, quia in sidus Ge-

(s) *l.* 2. §. 2. *ff. de pollicit.* (t) *Plaut. Bacch.* IV. IV. 15.
(u) *Id. Sticho* I. III. *v.* 80. *Macr. Saturn.* III. 12.
(x) *Locus notand. ap. Cic. de Off.* II. 17. *d. l.* 2. §. 2. *ff. de pollicit.* (y) *Plaut. Rud.* V. III. 63. (z) *Macr. Sat* III. 17.
(a) *Id.* I. 12. *Propert.* IV. IX. 69. (b) *Macrob.* III. 6.
(c) *Virg. Æn.* VIII. 259. (d) *Liv.* IX. 29. *Val. Max.* I. I. 17. (e) *Virg. Ecl.* VII. 61. (f) *Hor Od* I. XII. 25.
(g) *Stat. Sylv.* III. II. 10. (h) *Id. Theb.* VII. 793.
(i) *Virg. Æn.* VI. 121.
(k) *Lucian. Deor. Dial. ult.*

minorum translati esse dicebantur, quorum dum alter oritur, alter occidit. Eorum sidera conjuncta nautis periclitantibus salutem adferre putabant (*l*); unde Græcis σωτῆρες sunt dicti (*m*); si vero unica tantum stella appareret, exitium portendi credebant (*n*); unde sæpe naves ab iis denominabantur (*o*). Hinc plerumque *pinguntur* stellam in *Pileis* (quos *Laconum* more gestant (*p*), licet alii dicant eos pileos repræsentasse dimidiam partem ovi, ex quo nati finguntur (*q*)) habentes, equis albis insidentes; quia sæpe in præliis ita conspecti dicebantur (*r*). Castor *equis*, Pollux maxime *pugilatu* nobilis fuisse dicitur (*s*). Romæ eis templum primus exstruxit (*malim* vovit) *Postumius* Dictator (*t*), A. U. 257. cum crederentur bello Latino pro Romanis pugnasse: & licet illud amborum esset, tamen *Castoris* solius dicebatur (*u*); unde jocus *Bibuli*, quando Ædilis cum Cæsare illum solum communium ad ludos impensarum gratiam apud populum capere videret, dicentis: *sibi idem evenisse quod Polluci. Ut enim geminis fratribus ædes in foro constituta tantum Castoris vocaretur: ita suam Cæsarisque munificentiam, unius Cæsaris dici* (*x*). Imo ambo aliquando *Castores* sunt dicti, τὼ Κάστορε (*y*). Jurabant mulieres Romanæ per Castorem, viri per Herculem, utrique per Pollucem (*z*).

§. XXVI. *Æneas*.

Sed huc vel præcipue referendus fuerat Æneas: qui flumine *Numicio* mersus in Indigetum (*a*) Deorum numerum receptus est: sed de quo pauca sequentibus temporum monumentis inveniuntur.

§. XXVII. *Imperatores in Deos relati*.

Ad Deos Indigetes etiam sunt referendi *Imperatores in Deos relati*; quorum primus fuit Julius Cæ-

(l) *Hor. Od. I. XII.* 27. (Ovid. I. Trist. X. 45. seqq.)
(m) *Ælian. Var. Hist. I.* 30. (n) *Senec. Quæst. Natur. I. Plin. H. N. II.* 37. (o) *D. Lucas Actor. XXVIII.* 11.
(p) *Vid. Meurs. Misc. Lacon. I.* 17. *Catull. carm. ad Contub. sive* 35. (& numm. in tabella.) (q) *Tzetzes ad Lycophr.* 506. (r) *Flor. I. II. Val. Max. I.* 8. 1.
(s) *Horat. Serm. II. I.* 25. (t) *Liv. II.* 20. & 42.
(u) *Juv. XIV.* 250. (x) *Suet. Jul.* 10.
(y) *Scalig. ad Catull. carm.* 4. (z) *Gell. XI.* 6. (Bassen de Jurejurand.) (a) *Ovid. Met. XIV.* 607. *Tibull. II.* 5. 45. *Dion. Hal. I.* 63. (Liv. I. 2. 6.)

Cæsar (*b*); tum Augustus (*c*), & reliqui deinceps omnes etiam *Christiani* ad *Gratianum* Imperatorem usque; quod ex veteribus Inscriptionibus (Vid. *On. Panvinium de Civitate Romana c.* 28. *edit. Cl. Grævii in Thesauro suo Tomo I.*) manifestissimum est. Fiebat hæc ἀποθέωσις ingenti pompa, cum cadavera eorum cremarentur in Campo Martio, & tum statim *Flamines* (*d*), & *Sodales* (*e*) sive *Sacerdotum collegia* accipiebant: & etiam *Flaminicas*, sive *Sacerdotes feminas* (*f*). Nec tantum ipsi Imperatores inter Deos referebantur; sed etiam eorum uxores (*g*), sorores (*h*), filiæ: &, quod magis mirandum est, Hadriani Imperatoris amasium *Antinoum* Græci *Alexandrini* turpissima adulatione consecrarunt (*i*). Imo vivis illis (*k*) divini honores aliquando sunt exhibiti; ut Julio Cæsari (*l*), Augusto, Domitiano (*m*), &c. In provinciis etiam magistratibus Romanis, aliisque viris illustribus fana & aræ erectæ sunt, ut jam supra *Sect. II. cap.* 14. §. 4. innuimus: & sic postea *Druso* aras statutas (*n*), & ad ejus tumulum a Galliæ civitatibus supplicatum fuisse legimus (*o*). Signum consecrationis in nummis Imperatorum esse *aquilam*, vulgatum est, ut in nummis Augustarum *pavonem* (*p*). (Dignus qui videatur *Fabricius* in Bibliogr. Antiq. p. 268. seq.)

DE DIIS SEMONIBUS.

Semones Dii dicti sunt, quasi *semihomines*; nam veteres *hemonem* pro *homine* dicebant (*q*): erant enim *Semones, quos nec cælo adscriberent propter meriti paupertatem, nec terrenos deputare vellent pro gratiæ veneratione* (*r*). Inter eos primum locum dabimus Diis rusticis, qui *rura*, quæque in iis, curabant.

§. XXVIII.

(b) *Suet. Jul. c.* 88. (c) *Horat. Od.* III. 3. 11.
(d) *Suet. Jul.* 78.
(e) *Capitol. Anton. Pio in f.*
(f) *Grut. p* CCCXX. 10. *seqq.*
(g) *Capitol. ibid.* 4. (h) *Suet. Caje* 24.
(i) *Spartian. Hadr.* 14.
(k) *Horat. Epist* II. I. 15. (l) *Suet. Jul.* 75.
(m) *Martial.* V. 8. (Tac. Ann. IV. 15. 37. & alibi.)
(n) *Tacit. Annal.* II. 7.
(o) *Suet. Claud.* 1.
(p) *Vid. Patin. num. Imp. ex med. ære p.* 325. 337.
(q) *Fest. V. Hemona. Vid. Enn. p.* 232. *ed. Neap.*
(r) *Fulgent. de prisco Serm.* II.

§. XXVIII. *De Pane.*

Primum igitur hic recensebimus Panem (vel Pana) Arcadem, Pastorum (*s*) & pecoris Deum (*t*); qui Mercurii & *Penelopes* filius fuit habitus (*u*). Hic juxta quosdam dictus est a Græco πᾶν, hoc est, *universum*: quia eum *totius universi* symbolum fuisse volunt; unde etiam Flamen Dialis, qui Jovis sacerdos proprius erat, ejus sacris interveniebat (*x*). Hinc *pingitur* superne humana specie ad cælestium rerum pulchritudinem notandam; inferne forma belluina, ut terræ deformitas, & inæqualitas significetur: cornua habet ad radios Solis, & cornua Lunæ significanda; & quæ de his dici possent plura. Hic primus fistulam (*y*) ex arundinibus in usum pastorum compegisse dicitur. Ab eo etiam *Panici terrores* sunt dicti (*z*), qui sine caussa manifesta homines corripiunt (*a*); quia ipse, cum Baccho exercitus Dux esset, hostes vano timore fugasse fertur: & inde *cornua* ei tributa esse quidam volunt, quod primus aciei ordinem & cornua invenerit (*b*). Cultus ejus antiquissimus fuit (*c*), & ipse apud Arcades Deorum antiquissimus: unde sæpe *Arcadiæ Deus*, ut etiam *Lycæus* & *Tegeæus* a quibusdam Arcadiæ locis dicitur (*d*). Est autem ejus cultus ab *Evandro Arcade* in Italiam allatus (*e*): & ipse postea *Inuus* (*f*), ob salacitatem scilicet, ab *ineundo passim* est dictus (*g*). Offerebant ei pastores in suis poculis lac & mel. (*) *Festum* Pani Romæ celebrabatur mense Februario dictum *Lupercalia*, & sacerdotes ejus dicebantur *Luperci*; de quibus suo loco.

§. XXIX. *De Fauno & Fauna, sive Bona Dea.*

Faunus a multis idem dicitur fuisse, qui Pan; imo *Turnebus Adverſ. XIII. c. 8.* etiam hunc a Græco πᾶν dictum censet. Ab aliis vero hi duo distinguuntur. Dictus est, vel a *fando*; vel potius a Græco verbo φάω, vel φαύω, quod idem notat; quia.

(*s*) *Virg. Ecl. II.* 31. (*t*) *Ovid. Fast. II.* 271.
(*u*) *Lucian. Deor. dial. p.* 229. *ed. Græv.* (*x*) *Ovid. Fast. II.* 282. (*y*) *Virg. d. l.* (*z*) *Dion. Hal. V.* 16. *Polyæn. Strat. I.* 2. (*a*) *Vid. Ovid. Fast. II.* 285. (*b*) *Polyæn. I.* 2.
(*c*) *Dion. Hal. I.* 32. (*d*) *Virg. Ecl. X.* 26. *& Georg. I.* 16.
(*e*) *Ovid. Fast. II.* 279. (*f*) *Liv. I.* 5.
(*g*) *Virg. Æn. VI.* 775. (*) (V. Broukh. ad Tib. L. I. 14. & II. 5. 28.)

quia vaticinia multa edidisse credebatur (*h*). *Pingebatur* eadem fere forma ac Pan; & similiter in Venerem admodum pronus esse credebatur (*i*), ut etiam totum hoc genus caprinum; quod ideo fictum est, quia generandi vim per hæc numina significabant (*k*). Ei in lucis præcipue sacra fiebant agna, vel hœdo (*l*). Romæ præter alias ædem habuit in insula (*m*) Tiberina, ubi colebatur nonis Decembribus (*n*), & Idibus Februariis. *Faunos* etiam plurali numero (*o*) dixerunt numina quædam agrestia (*p*), quæ noctium ludibria, sive ephialten immittere credebantur (*q*): eosque *Paniscos* vocare videtur Cicero de *Natura Deor. L. III. c.* 17.

Uxorem habebat Faunus, quæ dicebatur *Fatua* (*r*), vel *Fauna*, eadem de caussa qua maritus eam appellationem sortita. Hanc plerique *Bonæ Deæ* nomine a Romanis fuisse cultam volunt, cujus sacra in loco secreto (*s*), qui proprie *opertum* (*t*) dicebatur, fiebant a solis mulieribus; quia tanta pudicitia hæc Dea fuisse dicebatur, ut post nuptias præter maritum virum nunquam conspexerit: & viri tanto studio ab his sacris (*u*) arcebantur, ut picturas quoque viriles velarent (*x*): licet tamen plurima flagitiose in iis sacris fierent (*y*). *Mysteria* ea sacra vocat Cicero (*z*): & Plutarchus γυναικεῖα: cui etiam Dea ἡ γυναικεῖα θεὰ dicitur (*a*). Narrant autem hanc Faunam a marito aliquando ebriam fuisse deprehensam, & virgis myrteis ad necem cæsam, postea vero ab eodem facti jam pœnitente in Deos fuisse relatam; ideoque in sacris ejus amphora vini obtecta poni solebat; & mulieres vinum, quod ejus sacris bibebant, non *vinum*, sed *lac* vocabant (*b*). Fiebant autem hæc sacra in ædibus Pontificis Maximi (vel potius Prætoris; nam Cæsar, in cujus ædibus ea celebrata legimus, & Prætor erat,

---

(h) *Vid. Virg. Æn. VII.* 81. (i) *Horat. Od. III. XVIII.*
(k) *Rutil. Numat. Itiner. I.* 235. (l) *Horat. Od. I. IV.* 11.
(m) *Ovid. Fast. II.* 193. *Liv. XXXIII.* 42.
(n) *Horat. Od. III. XVIII.* 10.
(o) *Virg. Georg. I.* 10. (p) *Ovid. Metam. VI.* 392.
(q) *Plin. H. N. XXV.* 4. (r) *Justin. XLIII.* 1.
(s) *Vid. Juven. VI.* 328. (t) *Cic. Paradoxo* 4.
(u) *Cic. de Harusp. resp.* 5. & 17. *Suet. Jul.* 6. *Tibull.* 1. *El. VI.* 22.
(x) *Juven. VI.* 340. *Senec. Epist.* 97.
(y) *Juven. VI.* 314. (z) *Ad Att. V.* 21. *f. VI.* 1. *f.*
(a) *Plut. Cic. p. m.* 872.
(b) *Plut. Quæst. R.* 29. *f. p.* 268. *Macrob. Saturn. I.* 12.

rat, & Pontifex Maximus) pro toto *populo* (c); unde *publica* (d) vocantur, & ipsum sacrificium *Damium* (e) dicitur a Græco δῆμος, sive *Dorica* dialecto δᾶμος, hoc est, *populus*.

§. XXX. *De Sylvano*.

Sylvanus etiam sæpe cum Fauno vel Pane confunditur, & eodem fere modo, sed *senior* plerumque (f), pingitur; *Pater* enim dicitur (g): nam per omnes hos Deos (ut jam de Pane diximus) *naturam universi*, vel *materiam primam* adumbrare voluerunt; unde etiam hic deus *Sylvanus* a Græco ὕλη, hoc est, *materia*, præposito sibilo, est dictus. Erat certe etiam ruris Deus (h), ac finium custos (i); & a pastoribus lacte placabatur (k), vel etiam porco (l). Admodum quoque libidinosus dicebatur, & matronarum sectator (m). Erat autem Sylvanus Genius virorum, ut Juno feminarum; ita in lapidibus legitur *Sylvanus Augusti* (n): & ideo soli viri ei faciebant (o).

§. XXXI. *De Vortumno & Pomona*.

Vortumnus, sive *Vertumnus* a *vortendo*, sive *vertendo* dictus est, quia in omnes formas se *vertere* posse credebatur (p); qua re frequentem mutationem, quæ in fructibus, dum maturescunt, evenit, notari puto: tum etiam hominum mentes in rebus emundis vendundisque *vertere* eum posse credebant; unde *Vortumnis natus iniquis* (q) dicitur *homo inconstans & quotidie fere propositum mutans*. Hic aliquando in anum mutatus, cum *Pomonæ pomorum* Deæ persuadere non potuisset, ut sibi Vertumno nuberet, pristinæ formæ redditus vim ei inferre parabat; sed vi nihil opus fuit: nam Dea ejus pulchritudine capta ultro nuptum ivit (r), nec auspices mansit. Hæc etiam proprium sibi Flaminem, qui *Pomonalis* est dictus, Romæ habuit.

§. XXXII.

(c) *Juven. IX.* 117. (d) *Id. VI.* 135.
(e) *Fest. in ea voce.* (f) *Ovid. Metam. XIV.* 639.
(g) *Horat. Epod. II.* 21. (h) *Virg. Æn. VIII.* 600.
(i) *Horat. Epod. II.* 22.
(k) *Horat. Epist. II. I.* 143. (l) *Juven. VI.* 447.
(m) *Augustin de civ. Dei XV.* 23.
(n) *Grut. p. LXIII.* 9. 10. &c.
(o) *Cato de R R.* 83. *Juven. VI. vers.* 447.
(p) *Propert El. IV.* 2. *Ovid. Metam. XIV.* 765.
(q) *Horat. Serm. II. VII.* 14.
(r) *Ovid. Metam. XIV.* 770.

§. XXXII. *De Pale.*

Pales Deus, vel Dea (*s*) (non satis enim certum est utrum fuerit; licet *Broukhusius ad Tibull. II.* vers. 29. (*perperam*: rescribo I. I. 14.) probare conetur, eam potius Deam fuisse) *pabulo* curando præfuit; eique sacra fecerunt pastores pro felici proventu pabuli & incolumitate pecoris (*t*). Ejus festum *Palilia*, sive *Parilia* dictum celebrabatur XI. Kalendas Maji, eo solemnius, (nam jam ante Urbem conditam celebratum fuerat (*u*)) quod idem dies Urbi Romæ natalis fuisset (*x*). Eo etiam die pastores pecora sua lustrabant (*y*).

§. XXXIII. *De Flora.*

Flora florum Dea habita est: sed hæc insignis meretrix revera fuisse dicitur (z), quæ Populum Romanum ingentis patrimonii sui, quod Venerem exercendo acquisiverat, hæredem instituerit, ea lege, ut quotannis in ejus memoriam festum celebraretur: quod cum turpe Senatui visum esset, & pecuniam tamen appeterent, finxerunt Deam quandam esse, quæ Græcis Χλωρὶς (*a*), Latinis *Flora* diceretur; quæque *Zephyro* vento nupta a marito potestatem in omnes *flores* acceperit: sed alii, ut jam innui, hæc omnia negant; alii eam jam olim Sabinorum numen fuisse volunt (*b*). Hoc festum *Floralia* dictum celebrabatur initio mensis Maji summa lascivia (*c*), nudis meretricibus in scenam productis, & maxima verborum petulantia (*d*): licet venerando nomine *Flora Mater* a Cicerone vocetur (*e*).

§. XXXIV. *De Termino, aliisque Diis.*

Terminus, qui agrorum fines tuebatur (*f*), colebatur forma lapidis quadrati, vel stipitis dedolati, qui in finibus agrorum fixus erat. Hunc die festo coronabant (*g*), vinum juxta eum libabant, & liba (*h*) ei offerebant. Romæ colebatur in Capitolio simul cum *Juventâ* (*i*), cum ipsi Jovi, dum

(s) *Virg. Georg. III.* 1. (t) *Ovid. Fast. IV.* 747.
(u) *Plut. Romul. p. m.* 24. (x) *Propert. IV. El. IV.* 73.
(y) *Ovid. Fast. IV.* 735. *Vid. mult. de Pal. ap. Broukh ad Tibull. I.* 1. 14. (z) *Lactant. de fals. rel. I.* 20. (a) *Ovid. Fast. V.* 155. (b) *Vid. Cl. Græv. Præf. ad Tom. I. Antiq. Rom. Voss. de Idol. I.* 12. *Varr. de L. L. IV.* 10. (c) *Val Max. II.* 10. *ex.* 8. (d) *Vid. Juven. VI.* 249. (e) *In Verr. V.* 14.
(f) *Ovid. Fast. II.* 641. *seqq.* (g) *Tibull. I.* 1.
(h) *Juven. XVI.* 31. (i) *Flor. I.* 15.

dum templum ejus definiretur, cedere noluisset (k): qua re Imperium Romanum nullos habiturum terminos, & perpetua juventute gavisurum esse, portendi credebant. (*) Festum ejus *Terminalia* dictum celebrabatur extremo mense Februario (l), qui olim anni ultimus fuit; ita ut eo annus *terminaretur*. Qui terminum movisset, ex lege Numæ sacer erat (m). In ipsis etiam provinciarum finibus aræ Deo Termino erectæ fuisse videntur (n). (Plura dabunt *Mem. Ac. Lit. Par.* T. II. p. 63.)

De Numinibus rerum.

Et multis etiam aliis rebus propria sua numina Romani præfecerunt; exempli gratia, infantibus recens natis aderat *Levana* (o), cum a terra *levarentur*; *Cunina* (p), cum in *cunis* jacerent; *Potina* & *Edusa* (q), quæ infantium *potui* & *esui* præessent, sive *Edulia* & *Potica*, ut eas nominat *Donatus ad Terent. Phorm. I. I. vers.* 15. qui præterea etiam *Cubam* Deam addit. A paullo adultioribus, cum jam fari inciperent, *Fabulinus* Deus (r) colebatur. Parturientibus præerant *Dii Nixii* a *nitendo* (s), sive a *nisu* puerperarum, dum liberos in lucem edunt, dicti: tum *Prosa* & *Postverta* (t), quæ bonum vel malum infantis in utero situm efficere credebantur: *Natio* Dea, quæ partus matronarum tueretur (u). *Nuptiales Dii*, præter *Hymenæum*, etiam fuerunt *Domiducus* (x), *Jugatinus* (y), *Viriplaca* (z). Sic in aliis actionibus erant Dea *Murcia* (a), quæ homines *murcidos*, hoc est, *nimis desidiosos* redderet; *Horta* ab *hortando* (b), *Strenua* a *strenuitate* (c), *Vacuna* a *vacando* dicta (d). Porro ab erroribus *Viarum* Dea *Vibillia* liberat: in tutela sunt *Orbonæ orbati* liberis parentes; in *Næniæ*, quibus extrema tem-

(k) *Vetus Poeta ap. Gell.* XII. 6. (*) (Liv. I. 55.)
(l) *Ovid. Fast.* II. 619. (m) *Dion. Hal.* II. 74.
(n) *Vid. Herodian.* VII. 5.
(o) *August. de Civ. Dei* IV. 2.
(p) *Ibid.* (q) *Varr. ap. Non.* II. n. 312.
(r) *Id. Ibid.* XII. 56.
(s) *Festus.* (t) *Gell.* XVI. 15.
(u) *Cic. de N. D.* III. 18.
(x) *August. de C. D.* IV. 16.
(y) *Ibid.* 11. (z) *Val. Max.* II. 1. ex. 6.
(a) *August. d. l.*
(b) *Antist. Labeo ap. Plut. in Quæst. Rom. p. m.* 279.
(c) *August. d. l.* (d) *Ovid. Fast.* VI. 307.

tempora (*e*). *Averruncus*, dictus fuit ab *averruncando* (*f*), sive *avertenda* mala: vel potius Dii omnes, quos Græci dixerunt Ἀποτρομπαίους, Ἀποτροπαίους, Ἀλεξικάκους Σωτῆρας (*g*), *Averrunci* sunt dicti: licet hoc forte inter Jovis cognomina referri possit, qui idem tunc fuerit ac Jupiter *Prodigialis*, de quo *Plaut. Amph. A. I. S. I. vers.* 107. *Angerona* Dea fuit silentium suadens, unde ore obligato, obsignatoque simulacra habet (*h*). *Ajus Locutius* vero Romanos aliquando bene monuisse credebatur (*i*). *Laverna* furum Dea (*k*); & apud rusticos *Hippona*, vel *Epona* (*l*), quæ *equorum* curam gerebat, cujus imago ad equorum præsepia pingebatur: *Stercutius* (*m*), qui agris *stercorandis* præerat; *Robigus*, qui *robiginem* a segete arcebat (*n*); *Mephitis* Dea putori arcendo præsidens (*o*); *Pollentia* potentiæ, ut videtur, Dea (*p*), & alii, ὅσα κόνις. Ipsam denique *Mortem* pro Dea habuerunt veteres (*q*).

DE VIRTUTIBUS, AFFECTIONIBUS ANIMI, ET SIMILIBUS.

§. XXXIV.

Virtutes, *affectiones animi* & similia colebantur, quia majorem aliquam vim in rebus humanis obtinere credebantur (*r*). Sic ergo *Mens* ædem in Capitolio habuit (*s*): *Virtus* & *Honor* duas ædes habuerunt extra Urbem ita positas, ut per ædem Virtutis ad ædem Honoris aditus esset (*t*), cujus rei rationem quilibet facile perspicere potest. *Pietas* ædem.

(e) *Arnob.* IV. *V. H. Junii animad.* III. 1.
(f) *Varr de L. L.* VI. 5.
(g) *V. Bud. comment. ling. Gr. n. m.* 332.
(h) *Plin. H. N.* III. 5. *V. Ampliss. Cuperi Harpocr.*
(i) *Cic. de Divin.* I. 45. II. 32. *Liv.* V. 50.
(k) *Plaut Aul.* III. vi. 31 *Horat. Epist.* 3. XVI. 60. *Fest. V. Laverniones* (V. Memor. Acad. Lit. Par. T. VII. p. 77.);
(l) *Juven.* VIII. 157 & *ibi Schol.*
(m) *Plin. H. N.* XVII. 9. (n) *Varr. de L. L.* V. 3.
(o) *Tac. Hist.* III. 33.
(p) *Liv.* XXXIX. 7.
(q) *Serv ad Virg. Æn.* XI. 197.
(r) *Vid. Cic. de N. D.* II. 23. & 31. III. 17. 18.
(s) *Liv.* XXIII. 31. *Ovid. Fast.* VI. 241.
(t) *Symmach.* 1. *Epist.* 14.

ædem in foro olitorio (*u*), *Fides* in Capitolio (*x*), *Spes* plures etiam ædes habuit (*y*). *Pudicitia* duplex fuit, *Patricia* culta in foro boario, & *Plebeja*, quæ colebatur in vico longo (*z*). *Concordia* quinque, vel plura templa habuit (*a*), inter quæ fuit templum *Concordiæ virilis* (*b*). *Clementiæ* ædes ad honorandam lenitatem Cæsaris decreta (*c*). Colebant etiam res per se optabiles (*d*), ut *Pacem*, cui templum magnificentissimum juxta forum exstruxit Imperator Vespasianus (*e*), in quo erant vasa templi *Hierosolymitani*; *Quietem*, quæ extra portam *Collinam* ædem habuit (*f*); *Salutem* (*g*), cujus ædes quinta regione Urbis fuit; *Felicitatem* (*h*), & *Libertatem*, quæ pulchrum templum in Aventino habuit (*i*); & ibidem *Atrium* (*k*), cujus mentio in monumentis veterum sæpe occurrit. Ipsa etiam *Urbs Roma* pro Dea habita fuit (*l*), cui *Alabandenses Cariæ* populus primi templum exstruxerunt (*m*).

De Fortuna.

Ad hanc classem etiam censeo referendam *Fortunam* multis nominibus a Romanis cultam, quam vulgus putavit esse Deam, quæ prospera & adversa pro solo lubitu nulla meritorum ratione habita (*n*) hominibus dispensaret; unde eam *inconstantem* (*o*), *sævam*, *cæcam*, *lubricam* passim scriptores appellant (*p*); & propterea etiam pingitur globo insidens, clavo sive navis gubernaculo innixa, alata (*q*) &c. Prudentiores vero vel omnino eam negarunt (*r*), vel per *Fortunam* nihil aliud intellexerunt, quam *providentiam divinam*; cujus decreta cum nobis incognita sint, res humanæ casu (nobis quidem) evenire videntur: itaque *Fortuna* non est dicenda cæca, sed magis hominibus tribuendum est, qui parum dextre sibi prospiciunt (*s*). Inde Cicero *Topicorum c.* 17. dicit, *Latent, quæ subjecta sunt fortunæ. Cum enim nihil sine caussa fiat, hoc ipsum est* for-

(u) *Plin. H. N.* VII. 36. (x) *Id.* XXXV. 10. (y) *Vid. Sext. Ruf. & Publ. Vict. de region. Urb.* (z) *Liv.* X. 23.
(a) *Vid. Ovid. Fast.* VI. 91. (b) *Ibid* 637. (c) *Plut. Cæs. p. m* 754. (d) *Vid. Cic. de N. D.* II. 23. (e) *Suet. Vesp.* 9. (f) *Liv.* IV. 41. (g) *Cic. de N. D* II. 23.
(h) *Plin. H. N.* XXXIV. 8. (i) *Liv.* XXIV. 16.
(k) *Cic. ad Att.* IV. 16. (l) *Suet. Aug.* 52. *ad quem locum vid. nummum* Patini. (m) *Liv.* XLIII. 6.
(n) *Senec. Hippol.* 974. (o) *Horat. Od.* III. XXIX. 49.
(p) *Boeth. de Cons. Phil.* I. *Metr.* 5. (q) *Curt.* VII. 8.
(r) *Juven.* X. 365. (s) *Vid. Dist. Catonis* IV. 4.

fortunæ eventus obscura caussa, quæ latenter efficit; & hinc aliquando cum *fato* confunditur (*t*). Romæ quam plurima templa habuit, & variis cognominibus culta est, ut *Fortuna Primigenia* (*u*) in Capitolio; *Fortunæ Muliebris* extra Urbem (*x*) in memoriam Coriolani mulierum precibus ab Urbe aversi (*y*); *Fors Fortuna*, quæ non nisi boni eventus (*z*) esse credebatur; *Fortunæ Malæ* ara fuit in Esquiliis (*a*); sed plura Fortunæ cognomina, & plura ejusmodi nomina recensere ad scopum nostrum non facit. Hoc observandum est cum Plutarcho de *fort. Rom. p. m.* 318. Romanos plus *Fortunæ*, quam Virtuti tribuisse; cum illi jam Ancus Rex templum statuerit; *Virtuti* sero Scipio Numantinus. Tum etiam plura & splendidiora fuisse Fortunæ templa: neque ulla fuisse *Temperantiæ*, aut *Tolerantiæ*, aut *Magnanimitatis*, aut *Continentiæ*. Potest *Nemesis* etiam huc referri, quam Latinum nomen ne in Capitolio quidem invenisse dicit *Plinius* (*b*); per eam autem significata fuit *ultio divina* (*c*), *qua Deus improbos persequitur*; itaque dicta fuit a verbo Græco νεμεσάω *succenseo*; vel potius a νέμω, *distribuo*, *debitas* scilicet *pœnas*. Dicitur etiam *Rhamnusia* (*d*) a *Rhamnunte Atticæ* vico, ubi templum habuit: & Ἀδράστεια (*e*) ab e priv. & δράω, *fugio*; quia scilicet eam *effugere* non datur (*f*). Colebatur a Romanis in bellum ituris, ut ita significarent, se nisi justa bella nunquam suscipere.

Quin & vitia quædam & res noxiæ divino honore sunt cultæ, ut *Voluptas*, *Venus Lubentina*, *Cupido* (*g*). *Pavori* & *Pallori* fana consecravit Tullus Hostilius (*h*): & *Audaciæ* ac *Pavori* sacra fecit Scipio (*i*). *Febris* quoque tria templa, sive ædes sacras Romæ habuit (*k*); *Tempestas* (cui *agna* (*l*) immolabatur) unam in prima Urbis regione. Multis denique aliis rebus propria sua numina præfecerant Romani: sed nimis jam diu huic materiæ explicandæ inhæsimus; itaque properemus ad ejus finem.

DE

(t) *Vid. Lucan.* VI. 612. *seq.* (u) *Plut. Quæst. Rom. p. m.* 281. (x) *Val. M.* I. 8. *ex.* 4. (y) *Plut Coriol. p.* 231. (z) *Ovid. Fast.* VI. 773. (a) *Cic. de N. D* III. 24. (b) *Hist. Nat.* XI. 45. (c) *Vid. Catull. Epigr.* 51. *in f.* (d) *Ovid. Trist.* V. *El.* 8. 9. (e) *Amm. Marcell.* XIV. 11. (f) *Suid.* (g) *Cic. de N. D.* II. 23. (h) *Liv.* I. 27. (i) *App. Al. Punic.* II. (k) *Val. M.* II. 5. *ex.* 6. *Cic. de N. D.* III. 25. (l) *Virg. Æn.* III. 119. & V. 772.

DE DIIS PEREGRINIS.

§. XXXV.

Primis quidem temporibus *sacra peregrina* Romæ non ferebantur (*m*); sed prolatis sensim Imperii finibus omnium fere gentium sacra in Urbem recepta sunt, maxime vero *Ægyptiorum*; unde mirandum non est, quod *in notitia Imperii* (*n*) legimus quadringentas & viginti ædes sacras Romæ fuisse.


De Iside.

Ægyptiorum numen præcipuum fuit Dea *Isis*, quam Græci fabulantur fuisse *Io*, *Inachi Argivorum* Regis filiam, quæ in Ægyptum advecta, cum homines illic agriculturam & multa alia vitæ utilia docuisset, pro Dea fuerit culta (*o*): sed, ut vere dixi, fabulantur: fuit enim antiquum & proprium Ægyptiorum numen; & Græci præterea potius ab Ægyptiis, quam hi ab illis agriculturam & alias artes accepisse censendi sunt. Sed quicquid hujus sit, certe sacra ejus Romæ sunt recepta, & tanta ibi superstitione culta est, quanta nullum aliud numen (*p*). Templum habuit in campo Martio, in quo & juxta quod plurima stupra committebantur (*q*); ut etiam in ipsis ejus sacris multa nefarie fiebant (*r*): itaque tum A.U. 695. tum sæpius Romæ Senatusconsulto sunt prohibita (*s*); sed postea iterum restituta, ut præter alia ex Juvenalis loco paullo supra citato patet. Celebrabantur hæc sacra a *sacerdotibus Isiacis*, qui erant capite raso, & *lineis vestibus* induti (*t*), quia ipsa *lini* usum primum homines docuerat: unde etiam ipsa Dea *linigera* dicitur (*u*). Præcipue colebatur a mulieribus, quæ, cum *in ejus casto essent*, hoc est, cum *ejus sacra celebrarent*, concubitu & vino se abstinere debebant (*x*), ut in sacris Cereris; a multis enim cum Cerere,

---

(m) *Liv.* IV. 30 XXV. 1. XXXIX. 15. (n) *Vid. Thes. Grav.* T. VII. 1784. (o) *Vid. Ovid. Metam.* I. 747.
(p) *Lucan.* VIII. 831. (q) *Ovid. Amor.* II. 2. V. 25. *Id. Arte Am.* I. *vers.* 77. (r) *Juven.* VI. 489.
(s) *Tertull. Apolog.* 15. *Jos. Ant. Jud.* XVIII. 4. *Dio* XL. *p.* 91. & *alibi*. (t) *Martial.* XII. 29.
(u) *Ovid. Amor.* II. 2. 25. & *alibi*.
(x) *Propert.* II. *El.* 33.

ag.167.



rere, ut diximus, ab aliis vero cum Deorum Matre confunditur (*y*). In iisdem sacris etiam adhibebatur *sistrum* (z), quod erat crepitaculum acutum edens sonum ad similitudinem spicarum vento motarum. Ejus formam hic jungi curavimus.

De Osiride.

Osiris Isidis frater & maritus quum varias & plurimas leges Ægyptiis dedisset, & agriculturam ipsos docuisset, (*a*) a fratre *Typhone* interemptus dicitur (*b*). Animam ejus in bovem migrasse ferunt, qui *Apis* est dictus, & summo studio ab Ægyptiis colebatur: erat autem niger & certis maculis distinctus, ac post certum tempus a sacerdotibus sacro fonte mergebatur; quo tempore universa Ægyptus lugebat, donec alterum bovem priori similem invenissent, qui tum magna cum lætitia Memphim perducebatur (*c*). Idem, ut plerique ferunt, *Serapis* est dictus, quem per somnia de valetudine sua ægrotantes consulebant (*d*). Quidam *Josephum Patriarcham* in hoc Serapide cultum volunt, quia in statuis modius frumentarius in ejus capite apparet; Josephus enim, ut e sacris literis scimus, frumenti copiam Ægyptiis præbuit: & hinc etiam fortasse fuit, quod (ut modo diximus) per somnia eum consulerent, quia Josephus, ut notum est, optimus somniorum conjector fuit.

De Anubi.

Isidis comes & minister habitus fuit *Anubis* (*e*), qui ei in quærendo Osiride bonam operam navasse dicitur. Hic cum Græcorum *Herme*, & Romanorum *Mercurio* fere convenit, & ob sagacitatem *canina forma*, vel certe *canino capite pingitur*. De aliis Ægyptiorum Diis, *Harpocrate*, *Canopo* &c. hic dicere instituti nostri ratio non patitur.

CA-

(y) *Juven.* VI. 530.
(z) *Id.* XIII. 93. (Pers. Sat, v. f.)
(a) *Tibull.* I. VII 29.
(b) *Ovid. Amor.* II. *El.* XIII. 14. (*De Iside* a Suevis culpa, ut testatur Tacitus, sub forma liburnæ, agunt *Memor. Ac. Lit. Par.* T. VII. p. 56. & 129. seqq. It. de *Typhone*. T. IV. p. 361.) (c) *Juven.* VIII. 29.
(d) *Vid. Svet. Vesp.* 7. (e) *Virg. Æn.* VIII. 698.

CAPUT II.

De Ministris Sacrorum.

§. I. *De Ministris sacrorum in genere.*

Ministri Sacrorum apud Romanos prudentissimo consilio diversi a reliquis civibus ordinis non fuerunt; sed iidem viri & sacris & civilibus rebus tractandis adhibebantur, ne unquam turbæ religionis caussa moverentur (*a*): plerumque autem capiebantur Sacerdotes, etiam numinum inferioris ordinis (*b*), ex viris honoribus & eminenti dignitate maxime conspicuis: sed & adolescentibus nobilioribus statim ac virilem togam sumpsissent aliquando conferebantur (*c*): imo Septemviros Epulonum etiam prætextatos fieri potuisse indicat Livius XL. *c.* 42.

Ordinis caussa in duas classes eos dividemus: vel enim *omnium Deorum Sacerdotes* erant, aut potius *nulli certo numini addicti*; quales erant *Pontifices*, *Augures*, *Quindecimviri sacris faciundis*, *Aruspices*, *Fratres Arvales*, *Curiones*, *Septemviri Epulones*, *Feciales*, *Sodales Titienses*, & *Rex sacrorum*, sive *Rex sacrificulus*. Vel *uni alicui Numini* sacra faciebant; in quo genere sunt *Flamines*, *Salii*, *Luperci*, *Potitii*, & *Pinarii*, *Galli matris Deorum*, *Virgines Vestales*; de quibus omnibus singulatim dicendum est.

§. II. *De Pontificibus.*

Pontifices dicti sunt vel a *posse* & *facere* (*d*), quod eorum in sacris *faciundis* maxima esset potestas & auctoritas (*e*); vel potius a *ponte sublicio*; cujus reficiendi cura ipsis incumbebat (*f*), quia per eum plurima sacra deducebantur. Instituti (*g*) Pontifices primum sunt a Numa Rege quatuor, iique patricii; quibus ut etiam quatuor e plebe adjicerentur A. U. 454. factionibus tribuniciis

(a) *Cic. pro Domo sua ipso initio.*
(b) *Vid. exempl. ap. Cic. de Cl. Orat.* 14.
(c) *Suet. Jul.* I. (De gradu & honore Sacerdotii dignus qui videatur Falsterius in Amœnit. Philol. T. I. p. 187. & T. II. p. 111. de insignibus Ordinis Sacri).
(d) *Plut. Numa p. m.* 65.
(e) *Vid. Lucan.* I. 555. (f) *Varro de L. L.* IV. 15. *Dion. Hal.* II. 73. (g) *Idem* III. 45.

niciis perviꝗum est (*b*). Sulla rursus septem alios Pontifices adjecit; sed ex his quindecim octo illi priores, & qui deinde in eorum locum cooptati sunt, *Majores* dicebantur, reliqui vero *Minores* (*i*). *Cooptabantur* a collegio suo usque ad legem Domitiam (*k*) latam A. U. *649*. qua constitutum est, ut Comitiis tributis a septemdecim tribubus sorte lectis Pontifices crearentur (*l*); quam legem abrogavit Sulla, restituit A. U. *690*. *T. Labienus*, auctore Julio Cæsare (*m*). Sub Principibus vero eorum arbitrio creati sunt.

Munus Pontificum erat de omnibus caussis ad sacra pertinentibus inter omnes personas judicare (*n*), leges de rebus sacris condere, omnes alios sacerdotes, eorumque ministros in officio continere (*o*), iis delinquentibus mulctam indicere, de cultu Deorum denique & religionibus respondere (*p*). Licet autem magna eorum esset auctoritas, tamen etiam ipsi censoriæ notæ erant obnoxii, & a Tribunis plebis ad officium cogi poterant (*q*), quod tamen rarissime accidit; ita ut eos neque populo, neque Senatui rationem reddidisse tradat Dionys. Halic. II. *c*. 73. Quod autem tres Pontifices statuissent, id satis sanctum habebatur (*r*).

De Pontifice Maximo.

Pontificum collegio præerat *Pontifex Maximus* a Numa institutus (*s*), qui semper Comitiis tributis ex ipso collegio est creatus: & initio quidem ex solis patriciis; at circa A. U. 500. *Ti. Coruncanius* primus de plebe Pontifex Maximus creatus est. Post mortem Lepidi, qui unus de Triumviris fuerat, sacerdotium hoc suscepit Augustus; & post eum deinceps omnes Imperatores, etiam Christiani, ad Gratianum usque (*t*): (quem hoc nomine etiam honoratum fuisse ex inscriptionibus patet, nisi dicamus eas ipso inscio positas fuisse) & hoc, quia Pontificatus dignitas majorem venerationem, quam

H quæ

(b) *Liv. X. 6.* (i) *Inscript. ap Grut. p CCCLX. 4. CCCCXI. 1. CCCCXXXIII. 4.* (k) *Suet Ner. 2.* (l) *Cic. Agrar. II. 7.* (m) *Dio 37. p. 27. ed. A. 1548.* (n) *Cic. de Har. resp. c. 7. leg. 2. §. 6. ff. de Or. Jur.* (o) *Liv. XXVII. 8.* (p) *Exemp. ap. Liv. V. 25. & VI. 1.* (q) *Cic. pro domo sua c. 45.* (r) *Cic. de Har. resp. 6.* (s) *Liv. I. 20.* (t) *Vid. omn. Hosius de Pont. Max. Impp. R. 3. 4. Spanh. de P. & U. N. Diss. XII. p. 422. Zosim. IV. p. 249. ed. Oxon.*

quæ privato conveniret, illi, qui ea præditus erat, tribuere videbatur: nam a Græcis etiam hoc Sacerdotium *ἱερωσύνη μεγίστη* dicitur (*u*). Hic itaque summam in rebus sacris potestatem obtinebat; religiones interpretabatur, & pro collegio Pontificum respondebat; ne quid religio detrimenti pateretur, providebat; Vestales capiebat & judicabat, earumque sacris peculiariter præerat (*x*), in actis solemnibus *verba præibat*; (quanquam id aliquando a scriba tantum factum fuisse legimus (*y*)) Comitiis aliorum sacerdotum intererat, eosque inaugurabat; arrogationibus etiam aderat, & de matrimonialibus quibusdam caussis cognoscebat; anni, annaliumque curam gerebat (*z*); in omnes personas sacras jurisdictionem quamdam exercebat; denique de cæremoniis quibusdam dispensabat: an vero comitia habere potuerit, disputatur, ut jam antea innuimus. Licet vero Pontifex Maximus tanta potestate polleret, in plurimis tamen rebus nihil sine Pontificum collegio poterat, atque ab eo ad collegium provocatio erat (*a*); & inde ad populum. *Insigni* utebatur toga prætexta, & apice in capite, qui etiam *Tutulus* dicitur; an vero sellam curulem habuerit, incertius est. Duravit hoc sacerdotium Romæ, ut pleraque alia, ad tempora Theodosii Magni.

§. III. *De Auguribus.*

Augures (Græcis οἰωνοπόλοι vel οἰωνισαί) dicti sunt ab *augurio*; hoc vero quasi *avigerium* (*b*) dicitur, cujus appellationis ratio ex sequentibus perspici poterit. Eos primum instituit Romulus (*c*), ut tres pro numero tribuum essent, quibus postea (nec satis certum est a quo, forte a Servio Tullio) quartus est additus; iique omnes erant patricii. A.U. 454. quinque Augures plebeji adjecti sunt (*d*); & demum a Sulla quindecim sunt creati, quorum qui primus erat, *Magister collegii* dicebatur (*e*). Proprium Auguribus fuit, quod sacerdotium

(u) *Plut. Fab. Max. p. m. 189. Vid. & Dion. Hal. III. 36.*
(x) *Ovid. Fast. III. 423. Plut. Numa p. m. 66.*
(y) *Val. Max. IV. ex. 10.* (z) *Vid. omn. Cic. de Orat. II. 12. 13.* (a) *Liv. XXXI. 9.* (b) *Serv. ad Virg. Æn. V. 523.*
(c) *Dion. Halic. II. 64.* (d) *Liv. X. 9.*
(e) *Vid. J. C. Buleng. de aug. & ausp. II. 11.*

rium illis vivis eripi non potuerit (*f*); quia scilicet artis & scientiæ potius, quam honoris hæc appellatio erat (*g*); vel potius hoc fiebat, ne ullo modo hæc sacra evulgarentur, quæ revera prudentioribus ludibrio erant. Hinc etiam non a populo creati, sed a collegio cooptati sunt (*h*). Auguribus præterea proprie *spectio* tantum; *spectio* vero & *nunciatio* magistratibus, qui omne jus auspiciorum habebant, competebat (*i*). Valde tamen honorati erant augures, ita ut trabea de purpura & cocco uterentur (*k*): unde *dibaphum*, sive *purpuram bis tinctam pro ipso auguratu* ponit Cicero (*l*).

Munus igitur Augurum erat ex volatu, cantu, & tripudio avium futura *prædicere*; quod modo sequenti fiebat, vel, ut verius dicam, fieri credebatur. Sedens Augur *toga augurali*, sive *trabea* amictus orientem versus prospiciens *lituo*, hoc est, *baculo incurvo certam cæli partem designabat*, quæ pars dicebatur *templum* (*m*), & hoc etiam *tabernaculum capere* dicebatur (*n*). Tum diligentissime observabat quæ aves, quo gestu (*o*), cantuve, & qua parte hujus templi se ostenderent; signa autem læva felicia (*p*), dextra vero infelicia habebantur: unde locum Horatii *Od. III. XXVII.* 15. recte corrigere videtur *Lambinus*. Virgilius vero *Bucol.* I. *v.* 18. læva infausta dicit, ut contra *Suetonius in Claud. c.* 7. & *Vitell. c.* 9. dextra fausta vocat: sed forte in avibus aliter obtinuit, aliter in fulmine. Verum nihil mirum est, veterum in nugis superstitiosis fluctuasse animos. Aves, quæ cantu auspicia faciebant *Oscines* (*q*), quæ volatu *Præpetes*

H 2 (vel

(f) *Vid. Liv. I.* 18. *Plin. Epist. IV.* 8.
(g) *Plut. Quæst. Rom. p. m.* 287. *S. quæst.* 97.
(h) *Vid. Abram. ad Cic. Philipp. II.* 2.
(i) *Fest. V. Spectio, & ibi Scalig.*
(k) *Serv. ad Æn. VII.* 612. *ex Suet.*
(l) *Ad Fam. II.* 16. & *Att. II.* 9.
(m) *Vid. Lucret. II.* 1043. *Varro de L. L. VI.* 3.
(n) *Liv. I.* 18. & *IV.* 7. (*Templum determinare & tabernaculum capere* hic male confunduntur. Quid illud sit, docet Livius I. 18. At de hoc vid. Rosin. VI. 34. p. m. 485. & Brisson. de Form. p. 120.)
(o) *Plaut. Asin. II. I.* 12. *Id. Epid. II. II.* 2. *licet aliter Id Aulul. IV. III.* 1.
(p) *Lucan.* I. 601. *Vid. rationem ap. Dion. Halic. II.* 5.
(q) *Varro de L.L. V.* 7. *Cic. de Div. I.* 53.

(vel *alites* (*)) dicebantur (r). Si fausta essent auspicia, *addicere* (s) & *admittere*; sin minus, *refragari* aves dicebantur: nec satis erat unum auspicium vidisse, nisi id altero confirmaretur. Præterea etiam Augures *de cælo servabant*, hoc est, *ex tonitru* (t) & *fulmine* (u) *futura prædicebant*. Locus, qui fulmine tactus esset, *bidental* (x) dicebatur, quia *bidente*, sive *ove*, sacra faciebant (y); & deinde religiosus erat; ibique reliquiæ & vestigia fulminis collecta, & terræ condita fuerunt (z). *Tertium* augurii genus capiebant ex *pullis*, quibus pultem, vel offam objiciebant: quod si avide vescerentur pulli, & præsertim si aliquid ex offa decidens *terram paviret* (a), sive *pulsaret*, optimum erat augurium, & *tripudium solistimum* (quod scilicet offa *solum* contingeret) nunciabatur (b): sed si vesci nollent pulli (c), vel avolarent, triste omen erat. Hic autem obiter notandum est, Romanorum auspicia talia plerumque fuisse, ut secundum naturæ ordinem læta potius, quam tristia esse deberent: facile enim erat pullos fame eo redigere, ut lubentes vescerentur. Et jam tempore Ciceronis (d) auspicia sibi fingebant verius, quam observabant (e): & ita sæpe magistratus impediebant Tribunos plebis, ne cum populo agere possent (f). Qui pullos servabant, *Pullarii* dicebantur (g); cavea autem ipsa dicebatur *auguraculum*. Præterea etiam ex quadrupedibus & aliis rebus forte accidentibus (h) omina captabant, eaque explicabant, (ac tum proprie *commentari* (i) dicebantur) & quomodo *procurari* (k) (& hoc proprium ei rei verbum est (l)) deberent, indicabant: & si faustum esset augurium, *impetritum* & *inauguratum* esse dice-

---

(*) (V. Cic. I. Divin. 53. & nostra Synon.)

(r) *Fest. V. Præpetes.* (s) *Liv. XXVII. 16. Plaut. l.d. v. 11. Liv. IV. 18.* (t) *Virg. Æn. IX. 630.*

(u) *Lucan. I. 533.* (x) *Pers. Sat. II. 27.*

(y) *Cornel. Fronto vetus Gramm.* (z) *Juven. VI. 587. & ibi Schol.* (a) *Fest. V. Pulf.* (b) *Liv. X. 40. Cic. de Divin. II. 8. & 34.* (c) *Id. de N. D. II. 3.*

(d) *Ipse ad Fam. I. 2. Liv. XXI. 63. Vid. omn. Grucch. de Com. Rom. I. 4.* (e) *Cic. de Divin. II. 33. 36.*

(f) *V. Manut. ad Cic. ad Fam. VIII. 11.* (Adde Cic. II. Div. 18. & 33.) (g) *Cic. de Divin. II. 34.*

(h) *Juven. XIII. 62. seq.* (Hor. III. Od. 27. Liv. XXI. ult. & XXII. 1.) (i) *Cic. de amic. 2.*

(k) *Id. de Divin. I. 2.*

(l) *Gell. IV, 6.*

dicebant (*m*). (De Augurii prima origine agunt Memor. Ac. Lit. Par. T. II. p. 371.)

§. IV. *De Aruspicibus.*

Aruspices (Græcis *ἱεροσκόποι* (*n*) & *θυοσκόποι*) a victimis in *ara inspiciendis* dicti sunt; vel etiam ab *baruga*, quæ vox olim *hostiam* significavit (*o*). Hi quoque a Romulo primum instituti sunt numero ternario; sed eorum collegium æque ac aliorum sacerdotum processu temporis auctum fuisse certum est; verum non ita honorati fuerunt ac Augures: imo ipsos in Senatum legere aliquando non licuit (*p*). Sed videtur distinguendum; ut quidam fuerint honoratiores, & in collegium conscripti; alii vero parva mercede operam suam quibusvis locaverint (*q*): ita ut ex prioribus *Spurina* fuerit; de quo *Suet. Julio c.* 81. Aruspicum *munus* erat ex victima ante mactationem (*r*), & post eam ex extis (*s*), flamma, fumo, aliisque rebus occasione sacrificii forte accidentibus futura prædicere; ac deinde ea portenta explicare (*t*), & procurare. Hæc scientia, (si ita dicenda est ars nugatoria) cujus primus auctor *Tages* quidam fuit, ab Etruscis (*u*) ad Romanos pervenit.

§. V. *De Quindecimviris sacris faciundis.*

Quindecimviri sacris faciundis hac occasione instituti sunt. Tarquinius Romanorum Rex, sive ille Priscus, sive Superbus, ut vult Dionysius Halicarnassensis, fuerit, miro quodam modo, quem narrat idem *Antiquit. Roman. l.* IV. *c.* 62. tres *libros Sibyllinos* nactus, eorum custodiam duobus viris illustribus permisit; quorum loco A. U. 387. *Decemviri* sacris faciundis facti sunt (*x*); simulque lege cautum est, ut pars eorum ex plebe crearetur. Sulla etiam hoc sacerdotium ad numerum *quindenarium* auxit, qui eodem modo ac Pontifices sunt creati (*y*): & qui iis præerat, *Ma-*

(m) *Plaut. Asin. II.* 1. 11. (n) *Dion. Halic. II.* 22.
(o) *Donat. ad Ter. Phorm. IV. IV.* 28. *Jac. Perizon. ad Æl. V. H. L. II.* 31. (p) *Cic. ad Famil. VI.* 19.
(q) *Plaut. Pen. II. V.* 10. 17. (r) *Seneca Œdipo V.* 301. *seq.*
(s) *Virg. Georg. IV. v.* 485. (t) *Juven. II.* 121.
(u) *Vid. Lucan. I.* 584. & 637. (x) *Liv. VI.* 37. & 42.
(y) *Vid.* §. 2. *hujus cap.*

gister collegii dicebatur (z). *Munus* Quindecimvirorum fuit custodire libros Sibyllinos; difficili Reipublicæ tempore, vel cum insigne aliquod portentum nunciatum esset, ex Senatus-consulto eos *adire*, sive *consulere* (a), &, quæ legissent, ad Senatum referre: tum cæremonias, sacrificia, aliaque, quæ libri præscribebant, procurare (b), & in specie quidem ludos sæculares (c). Hi Quindecimviri a militia & aliis muneribus urbanis erant immunes (d), secus ac alii sacerdotes; ut scilicet solis libris interpretandis vacare possent. Sed hi libri, quibus fata Imperii Romani contineri credebantur, A. U. 670. cum ipso Capitolio (ubi publicitus adservabantur, ut quidam ajunt; nam quidam, & recte credo, putant antiquiores illos libros nunquam exstitisse; ideoque nemini, nisi sacerdotibus, licebat eos inspicere, qui sacramento erant adacti, ne quid de iis vulgarent) cum ipso, inquam, Capitolio hi libri cremati sunt (e); verum paullo post legati undique sunt missi, qui omnia ubicunque terrarum oracula Sibyllina conquirerent; ex quibus Quindecimviri rursus alios libros confecerunt, qui ab Augusto sub basi Apollinis *Palatini* sunt conditi (f); & erant Quindecimviri proprie Apollinis Sacerdotes; unde *cortinam* domi suæ habebant, sive tripodem æneum Apollini sacrum (g). Demum jussu Theodosii Magni Imperatoris A. C. 389. a *Stilicone* sunt combusti (h). Distinguendi autem sunt hi libri Sibyllini ab iis, qui hodie supersunt, & a *Christianis* pia quadam, ut vulgo dicitur, fraude suppositi sunt (i).

§. VI. *De Fratribus Arvalibus.*

Fratrum Arvalium origo hæc est: cum *Acca Larentia* (k) Romuli nutrix ex duodecim filiis, quibuscum sacra facere consueverat, unum morte amisisset, Romulus se illi in filii locum adoptandum dedit: seque & illos *Fratres Arvales* dixit, quia sacra quædam publica faciebant, ut *arva* fruges ferre pos-

(z) *Plin. H. N. XXVIII. 2.* (a) *Liv. III. 10. V. 13. VII. 28. &c.* (b) *Liv. ibid.* (c) *Hor. carm. sæc. 5. & 70.* (d) *Dion. Hal. IV. 62.* (e) *Ibid.* (f) *Suet. Aug. 31.* (g) *Suet. Aug. 52. Serv. ad Æn. III. v. 332.* (h) *Rutil. Numat. II. 41. & 55.* (i) *Vid. Rev. Jo. Alb. Fabric. Bibl. Græc. I. 30. seqq.* (k) *Gell. VI. 7.*

re possent (*l*); quæ sacra dicebantur *Ambarvalia* (*m*). *Larentalia* etiam in hujus Larentiæ honorem mense Aprili a flamine Martiali sunt acta (*n*). Hujus sacerdotii insigne erat corona spicea, & albæ infulæ: nec nisi cum ipsa vita hic honos finiebatur (*o*), & captos etiam, exulesque comitabatur.

§. VII. *De Curionibus*.

Curiones triginta ex Romuli instituto a suis quisque *curiis* lecti sunt, qui sacra publica pro Curiis suis *curarent* (*p*), (fere ut hodie *Parochos* quos vocant, apud Pontificios aliosque; licet apud veteres *Parochi* sint dicti, qui magistratibus iter facientibus per municipia, quæ ipsis necessaria essent, publicitus præberent (*q*)) unde a *curando Curiones* sunt dicti (*r*), qui etiam *Magistri Curiæ Plauto* (*s*) dicti videntur; *ædes* vero, in quam Curiales conveniebant, *Curia* vocata est, & Græce ἑςιατόριον, quia ibi *epulabantur* (*t*): vel etiam πρυτανεῖον (*u*) sacellum illud Græci dicunt, ipsos vero Curiones πρυτανεῖς. Eligebantur Curiones quisque a suis curiis; sed omnibus præerat, qui *Curio Maximus* (*x*) dicebatur, curiatis Comitiis a populo creatus, cujus auctoritate ceteri regebantur.

§. VII. *De Septemviris Epulonum*.

Septemviri Epulonum hanc originem habuerunt (*y*). Cum Pontifices multitudine sacrorum gravarentur, A.U.557. primum *Tresviri Epulones* sunt facti (*z*), *qui ludorum epulare sacrificium* facerent; quibus postea a Sulla, ut videtur, quatuor adjecti sunt. Curabant autem has epulas summa lautitia; unde *Saliares*, *Augurales*, *Pontificales epulæ* pro *lautissimis* ponuntur (*a*): eorumque munus luculenter describit Cicero *de Harusp. resp. c.* 10. *Lentulus* enim ille, de quo ibi sermo est, Septemvir

H 4 Epu-

(l) *Varr. de L.L IV.* 15. (m) *V. Virg. Georg. I.* 341. *Tibull. II. I.* 15. *& ibi Broukh.* (n) *Plut. Romul. p.* 19. *E.*
(o) *Plin. H. N. XVIII.* 2. (p) *Dion Hal. II.* 64.
(q) *Hor. Serm. I. V.* 45. (r *Varro de L. L. V.* 6.
(s) *Aulul. I.* 2. 29. (t) *Dion. Halic. II.* 23.
(u) *Ibid. c.* 65. *ubi vid. not. in ed. Angl.*
(x) *Fest. V. Maximus.* (y) *Vid. Lucan. I.* 605.
(z) *Liv. XXXIII.* 42. (a) *Cic. ad Att. V.* 9. *Hor, Od. I.* 37. 13 (Macrob. Saturn. II. 9.)

Epulo fuit. Hi quoque ad Pontifices referebant, si quid in sacris omissum, commissum, aut pollutum esse diceretur. Illis etiam, quemadmodum Pontificibus, togæ prætextæ gerendæ jus fuit (*b*); quippe summa etiam Septemviratus dignitas habebatur (*c*). De eorum creatione, idem, quod de Pontificum creatione est dicendum.

§. IX. *De Fecialibus.*

Feciales (quos Græce *εἰρηνοδίκας* dixeris (*d*), vel *εἰρηνοφύλακας* (*e*), vel *σπονδοφόρους* (*f*)) dictos volunt a *faciendo*, quod *pacem* & *fœdera facerent* (*g*): vel forte etiam a *fatu*, sive *fando* (*h*); oratorum enim vicem sustinebant. Hi a Numa Rege instituti quidem sunt, sed formam juri feciali primus constituit *Ancus Marcius* Romanorum Rex quartus (*i*); *Valerius Maximus* vero, sive quis alius, in *libello de nominibus*, *Se torem* quendam *Regium* ejus juris auctorem facit. Collegium Fecialium erat Sacerdotum viginti, qui eodem modo ac Pontifices creabantur. Horum præcipuum *munus* (*k*) erat bello indicendo, & fœderi faciendo præesse, & prospicere, ne Romani bellum, nisi legitimum, facerent (*l*). Itaque quum gens aliqua Romanos injuria affecisset, unus ex Fecialibus eo proficiscebatur (*m*), ut vel res ablatas, vel sontes profugos reposceret (*n*): quod si injuria confestim non farciretur, triginta dies illis ad consultandum dabat; quibus elapsis pium bellum poterat isti genti indici. Tum rursus ad fines hostiles progressus Fecialis hasta sanguinea in illos projecta bellum certa formula ipsis indicebat (*o*): postea aucto immensum Imperio Romano, ut tamen plebi superstitiosæ satisfieret,

(b) *Liv. XXXIII. 42.* (c) *Vid. Dion. LIII. init. Grut. p. CCXXXV. 10. & CCXXXVI. 9.* (d) *Dion. Halic. II. 72.*
(e) *Plut. Numa p. m. 68. A.* (f) *Dion. Hal. I. 21.*
(g) *Festus hac V. qui tamen corruptus est: & pro feriendo ibi faciendo legendum esse videtur.*
(h) *Ita Voss. Etym. & de vitiis Serm. I. 17.* (*Fetialis* cum *t* scribendum esse, docet JENSIUS noster in *Fert. Hors.* ubi & munia eorum fusius persequitur.) (i) *Liv. I. 32.*
(k) *Cic. de Offic. I. 11.* (l) *Varr. de L. L. IV. 15. Vid. omn. Var. de vita P. R. L. III. p. 65. ed. Dordr. & ap. Non. p. 514. ed. Plant. 1555.* (m) *Vid. omn. Dion. Hal. II. 72.*
(n) *Liv. IV. 30. Serv. ad Virg. Æn. X. 14.*
(o) *Cincius ap. Gell. XVI. 4. Liv. I. 32. Dion. Halic. II. 72.*

fieret, simulatio quædam hujus juris in agro prope Urbem, qui *hostilis* dicebatur, est servata (*p*). Fœdera quoque fiebant per unum ex Fecialibus (*q*), qui dum eo munere fungeretur, *Pater patratus* dicebatur (*r*), quia jusjurandum pro toto populo *patrabat*, sive *præstabat*. Judicabant etiam Feciales de injuriis (*s*) sociis illatis; curabant, ne legati violarentur (*t*); pacem non legitime factam rescindebant, ejusque sponsores dedebant (*u*); & uno verbo omnia curabant, quæ ad fœdera spectabant.

§. X. *De Sodalibus Titiis*.

Sodales Titii (*x*), vel *Titienses* (*y*) a *Tito Tatio* sacris Sabinorum retinendis, vel a Romulo in honorem ipsius *Tatii* instituti sunt; nam utrumque ab uno Tacito *Annal.* I. *c.* 54. *Hist.* II. *c.* 95. traditur: plura de his certo dicere nec possumus, nec operæ pretium videtur ultra inquirere: nisi quod forte munus eorum a munere Septemvirorum Epulonum non alienum admodum fuerit; cum iis & apud *Lucanum loc. cit.* & in *Inscriptione apud Gruter. pag.* CCCXCVI. 1. jungantur: apud quem etiam pluribus locis memorantur.

§. XI. *De Rege Sacrorum*.

Rex Sacrorum (*z*) (Græcis ἱερῶν βασιλεὺς) sive *Rex sacrificulus* (*a*), creatus est exactis Regibus, ut ea sacra perageret, quæ antea ab ipsis Regibus peragi solebant; unde quoque nomen suum nactus est: sed ne tanto nomine insolesceret, Pontifici subjectus fuit, nec magistratum gerere, aut cum populo agere ei licuit (*b*); unde, postquam sacra fecisset, se quasi fuga ex Comitio proripiebat (*c*). Creatus autem est Comitiis centuriatis ex patriciis (*d*). Uxor etiam ejus *Regina* est dicta, quæ & ipsa

(p) *Ovid. Fast. VI.* 205.
(q) *Liv. XXX.* 43. *omnino.*
(r) *Liv. I.* 24. (s) *Dion. Halic. l. d.*
(t) *Val Max. VI.* 6. 3. & 5. (u) *Liv. IX.* 10.
(x) *Lucan. I.* 602. (y) *Gruter. CCCXCVI.* 1.
(z) *Liv. II.* 2. (a) *Liv. XXVI.* 6.
(b) *Dion. Halic. V.* 1.
(c) *Plut. Q. R. p. m.* 279. *sive n.* 62. *Ovid. Fast. V.* 727.
(d) *Cic. pro Domo* 13.

sacra quædam faciebat (*e*). Domus quoque publica, in qua Rex sacrorum habitabat, *Regia* est dicta (*f*).

SACERDOTES SINGULORUM DEORUM.

§. XII. *De Flaminibus, & præcipue de Flamine Diali.*

Flamines (στεφανηφόροι Græcis) sacerdotes erant uni alicui numini addicti (*g*), ejusque sacra curantes. Appellantur ita a *filo*, quo caput cingebant, ac si *filamines* dicerentur (*h*); vel a *pileo*, quasi *pilamines* juxta quosdam (*i*); vel denique a *flameo* capitis tegumento, ut vult *Vossius* post Dionysium Halicarnasseum II. *c.* 64. Hoc etiam *Apex* dicebatur ab antiquo verbo *apere*, hoc est, *vincire* (*k*), & proprium Flaminum insigne erat (*l*), ita tamen, ut etiam Pontifex Maximus eo uteretur, sicuti supra diximus. Creati sunt primum a Numa tres, *Dialis* nempe, qui Jovis erat sacerdos, *Martialis* & *Quirinalis*: sed his variis temporibus alii duodecim sunt additi in honorem aliorum Deorum; qui *Flamines Minores*, quemadmodum priores illi *Majores* sunt dicti: *Minores* quidem ex plebejis creari poterant, *Majores* (*m*) vero ex solis patriciis. Dicebantur vero proprie *prodi* Flamines cum crearentur (*n*). Quamquam autem Flamines non simul Pontifices essent, tamen in eorum collegio sedebant (*o*), certe *Majores*. Creabantur a populo Comitiis tributis; nempe ita ut Pontifex Maximus tres simul nominaret, ex quibus unus legeretur (*p*), & a Pontifice Maximo inaugurabantur. Majoribus Flaminibus commune fuisse videtur, ut ab Urbe abesse ipsis non licuerit (*q*), ne scilicet sacra desererentur; neque etiam divortium facere (*r*). Quanquam autem *Flaminium* esset perpetuum, tamen certis de caussis poterat eripi, veluti si quis sacra

(e) *Macrob. Saturn. I.* 15. (f) *Fest. V. Regia.*
(g) *Cic. de L. L. II.* 8. (h) *Varro de L.L. IV.* 15. *Plut. Q. R.* 10. *S. p. m.* 274. (i) *Plut. Numa p. m.* 64.
(k) *Fest. Voc. Apex. Vid. Lucret. VI. V.* 1055. *Virg. Georg. III.* 168. *Æn. IV.* 482 & *ibi Serv.* (l) *Lucan. I.* 604.
(m) *Cic. pro domo* 14 (n) *Id. pro Milone* 10. & 17.
(o) *V. eund. de Harusp. resp.* 6. (p) *Tac. Ann. IV.* 16.
(q) *V. Liv. Epit. XIX.* & *XXXVIII* 51. *Val. Max. I.* 1. *ex.* 2.
(r) *Gell. X.* 15.

ſacra non rite curaſſet: (vid. Livium XXVI. c.23.) *Sulpicio* inter ſacrificandum apex a capite prolapſus ſacerdotium abſtulit (s). Omnium porro Flaminum longe digniſſimus fuit FLAMEN DIALIS, qui etiam lictore, ſella curuli, & veſte prætexta utebatur (t): & ex jure ſacerdotii ſui Senatum ingredi poterat (u). Hic plurimis cæremoniis obſtrictus fuit (x), quarum potiſſimas duntaxat recenſebimus: nempe religio ei erat equo vehi; *claſſem procinctam*, id eſt, *exercitum armatum* extra pomœrium videre; quin nec noctem unam extra Urbem manere ei fas erat (y), nec poterat jurare (z); (vel certe non cogebatur (a)) nec annulo uti, niſi pervio, caſſoque: ignem a *flaminia*, ſive *Flaminis domo* efferre niſi ſacrum, jus non erat: vinctum ædes ejus ingreſſum ſolvi neceſſe erat, & vincula per impluvium in tegulas ſubduci, atque inde foras in viam demitti; reum, ſi ad pedes ejus ſupplex accidiſſet, verberari eo die piaculum erat; nodum nulla parte corporis habere poterat: capillum ejus, niſi qui liber homo erat, nemo detondere poterat; capram, carnem incoctam, hederam, fabam nec tangebat, nec nominabat (b), propagines e vitibus altius prætentas non ſuccidebat; vel potius, *non ſuccedebat*, hoc eſt, vetitum ei erat tranſire per viam, ubi vites in ſublimi eſſent prætentæ (c); pedes lecti ejus tenui luto circumlitos eſſe oportebat, nec ab eo trinoctium continuum decubabat, nec alteri in eo cubare licebat; unguium ejus & capilli ſegmina ſubter arborem felicem terra obruebantur; quotidie feſtatus erat (*), quapropter Pontificibus, cum judicium de aliquo exercerent, adeſſe non poterat (d); ſine *apice* ſub divo eſſe non licebat, (unde *apicatus* dicitur Ovidio *Faſtor. IV. v.* 347.) ſub tecto licebat; apica-

 tum

(s) *Val. Max. I. 1. 4.* (t) *Liv. 1. 20. & XXVII. 8.*

(u) *Ibid.* (x) *Gell. X. 15. ex Fabio Pictore, Maſſurio Sabino, aliiſque. Plut. Q. R. 39. 43. ſive p. 274. ſeqq.*

(y) *Liv. V. 52. Tac. Ann. III. 71.*

(z) *Plut. Quæſt. Rom. 45. Liv XXXI. c. ult.*

(a) *Edictum perpetuum apud Gell. X. 15.* (b) *Plin. H.N. XVIII. 12. Feſt. V. Fabam.* (c) *Lipſ. Elect. 1. 21. Boxhorn. ad Plut. Q. R. 109. & omnino hoc firmatur ex Probl. ſeq.*

(*) (Occurrit hæc vox inter varias lectiones ap. Gell. X. 15. ſed malunt Viri Docti aliam ſubſtituere. Nos id nunc non agimus.)

(d) *Vid. Guther. de veter. jure Pontif. I. 32.*

tum tamen mori nefas erat (e); farinam fermento imbutam attingere ei fas non erat; tunicam interiorem, nisi in locis tectis non exuebat, ne sub cælo tanquam sub oculis Jovis, nudus esset; in convivio, nisi Rex Sacrificulus, haud quisquam alius supra eum accumbebat (f); uxorem cum amitteret, *flaminio* decedebat; ejus matrimonium, nisi morte, dirimi non poterat; locum, in quo bustum esset, nunquam ingrediebatur; mortuum non attingebat; funus tamen exequi poterat; unus omnium galero albo utebatur; ungi sub dio ei fas non erat; antiquitus nec magistratum capere, nec petere poterat; quod procedentibus temporibus observatum non fuit (g); opus facientem videre religiosum ei erat, itaque, cum per Urbem incederet, eum præcedebat *præcia*, sive *præclamitator*, qui homines monebat, ut ab opere faciendo, dum transiret Flamen, desisterent: quædam autem ex his cæremoniis iis postea sunt remissa. Easdem fere cæremonias *Flaminica* (h), sive *uxor Flaminis* observabat: sed etiam alias, ut quod, quoties tonitru audiisset, feriata erat, donec placasset Deos (i). Sacerdotium hoc ab adolescentia Cæsaris intermissum Augustus extremo suo tempore restituit (k). Theodosius Magnus Imperator cum plerisque aliis gentilium sacerdotiis abolevit.

Flamen Martialis Diali dignitate proximus erat, & e patriciis etiam semper est creatus: quem honore sequebatur *Flamen Quirinalis* (l) in honorem Romuli institutus, qui duo quoque collegio Pontificum, ut dictum est, assidebant. Reliquorum duodecim, qui *Flamines Minores* & *Plebeji* sunt dicti, nomina recensere nihil attinet, quorum omnium postremus fuit *Flamen Pomonalis* (m).

Imperatoribus inter Divos relatis postea etiam singuli Flamines tributi sunt (n): nec tantum Fla-

(e) *Appian. Civ. I.* 305.
(f) *Vid. tamen Macrob. Sat. II.* 9.
(g) *Liv. XXXIX.* 45.
(h) *Gell. X.* 15.
(i) *Macr. Sat. I.* 16. (Intactas nostro cæremonias vide ap. Tac. Ann. IV. 15.)
(k) *Suet. Aug.* 31.
(l) *Liv. I* 20.
(m) *Fest. V. Maximæ dignationis.*
(n) *Vide Onuphr. Panv. de civit. Rom.* 27.

Flamines, sed etiam *Sacerdotum collegia* iis sunt decreta, qui sacerdotes *Sodales* sunt dicti cum adjectione nominis ejus, in cujus honorem erant instituti; ut, exempli gratia, *Sodales Augustales* (o), *Hadrianales* (p), &c. ut jam capite præcedente §. 27. diximus.

§. XIII. *De Saliis.*

Salii Martis Sacerdotes a Numa instituti sunt (q) occasione pestilentiæ, qua Urbs laborabat. Tradunt enim scutum æneum cælo fuisse delapsum (r), & confestim morbum cessasse; ac tum Egeriam nympham prædixisse, urbem, in qua hoc scutum servaretur, potentissimam futuram. Itaque ne surriperetur, undecim (vel forte plura; nam de numero nihil dicens Dionysius ὅπλα πολλά ea vocat, quod de duodecim vix dici posse videtur) alia ejusdem formæ scuta fabricari curavit Numa per *Veturium Mamurrium* quemdam, cujus nomen idcirco *carminibus Saliaribus* est insertum (s): licet alii *veterem memoriam* a Saliis celebrari dixerint (t). Tunc Numa duodecim juvenes patricios, patrimos & matrimos (u) legit, qui hæc *Ancilia* (ita enim a forma hæc scuta dicebantur, quod undique *ancisa* essent absque omni angulo (x)) Kalendis Martiis saltantes, & carmina illa Saliaria, quæ etiam *assamenta* (y), sive *axamenta* sunt dicta, canentes in honorem Martis per Urbem ferrent; unde *Salii* a *saliendo*, sive *saltando* sunt dicti, & qui iis præerat, *Præsul* (z), & *Magister Saliorum* appellatus est: quamquam *Magister collegii* commune sit nomen omnium προκρίτων cujuscumque collegii Sacerdotalis (a). Alii vero hoc distinguunt, & *Præsulem* quidem vocant τὸν ἐν τοῖς ἱεροῖς προορχούμενον, Latine etiam *Prosaltorem*; *Magistrum* vero τὸν ἐξάρχοντα, penes quem inaugurandi & exaugurandi potestas. Præter hos etiam erat ὑμνῳδός, sive *Vates*, qui car-

(o) *Suet. Claud.* 6. (p) *Spartian Hadrian.* 29.
(q) *Vid. Plut. Numa p. m.* 68.
(r) *Dion. Hal. II.* 71. *Ovid. Fast. III.* 373.
(s) *Ovid. d. l.* 387. (t) *Plut. Numa p. m.* 69.
(u) *Cic. pro Domo* 14 (x) *Ovid. d. l.* 377. (y) *Fest. V. Axamenta.* (z) *Lucil ap Fest. V Redamtruare.*
(a) *V. Casaub. ad Capitol. Antonin.* 4.

carmen saliare canebat (*b*). Dicebantur hi Salii etiam *Palatini*, quia sacra in *Palatio* faciebant (*c*); & ut distinguerentur a Saliis *Collinis*, qui a Tullo Hostilio instituti (*d*) in *colle* Quirinali Sacrarium habebant, & Quirinales etiam (*e*), atque *Agonales* sunt dicti. Et in genere *Salii* & *Salisubsuli* sunt appellati omnes ludii & saltatores, qui ad cantum & tibiam in sacris ludunt, ut in sacris Herculis apud *Virgilium Æn. VIII.* vers. 285. (*f*). Saltabant induti tunica picta (*g*), hoc est, auro & purpura variegata, & toga prætexta, sive trabea (*h*), æreis baltheis & gladiis accincti, dextra hastam, vel simile quid; læva ancile ferentes, capite autem gestantes *pileum*, sive *galerum* (*i*), Græce κυρβασίαν dictum (*k*): atque inter saltandum carmina illa obsoleta canebant (*l*), quæ jam Horatii ætate vix a quoquam intelligebantur (*m*); tempore vero *Quinctiliani* ne ab ipsis quidem Sacerdotibus (*n*).

§. XIV. *De Lupercis*.

Luperci Panis Sacerdotes omnium antiquissimi fuerunt, quippe jam ab Evandro Arcade instituti (*o*). Dicti sunt *Luperci* a *lupo*, quia Pan Græcis Λυκαῖος ἀπὸ τῶ λύκω cognominatur (*p*), quasi *lupinum* dicas; imo etiam ipse *Lupercus* dictus est, si fides *Justino L. XLIII. c.* 1. credo quia *lupos* a pecore arcere crederetur: & inde locus, ubi colebatur, *Lupercal*, & festum ejus *Lupercalia* est dictum; quod celebrabatur mense Februario, eratque quasi lustratio quædam Urbis (*q*). Eo festo Luperci nudi per Urbem discurrebant (*r*), pudenda tantum cincti pellibus caprarum, quas paulo ante immolaverant. Scuticis etiam e caprino corio factis obvios cædebant, quod *catomidiare* dicebant (*s*), quasi verberare κατ' ὤμων, in humeris (*t*); & præcipue quidem

(b) *Vid. Salmas. ad d. Capitol. l.* (c) *Dion. Halic. II.* 70.
(d) *Id. III.* 32. (e) *Serv. ad Æn. VIII.* 285.
(f) *Vid. Scal. ad Catull. XVII.* (g) *Liv. I.* 20.
(h) *Dion. Hal. II.* 70. (i) *Juven. VIII.* 207. (k) *Dion. Hal. l. d.* (l) *Vid. Gutberleth. de Saliis* 21. *seq.* (m) *Ipse Epist. II.* 1. 86. (n) *Ipse Instit. I.* 6. (o) *V. Ovid. Fast. II.* 279. *seq.* (p) *V. Serv. ad Virg. Æn. VIII.* 343.
(q) *Ovid. Fast. II.* 31. (r) *Rationem vid. ibid.* 303.
(s) *Vet. Schol. ad Juven. II.* 142. *Salm. ad Spart. Hadr* 18.
(t) *Salm. d. l. & probat Voss. Etym.*

dem mulieres, quas inde fœcundas reddi credebant (*u*): canem quoque eo tempore immolabant; quod animal ob pecoris custodiam Pani gratum esse putabatur. Lupercorum tres fuerunt sodalitates, *Fabiorum* nempe (*x*), & *Quintiorum*, qui ita a ducibus suis sunt dicti; & *Juliorum* denique, qui in honorem Julii Cæsaris instituti sunt (*y*). Serius reliquis hoc sacerdotium desiit, sub Imperatore scilicet demum *Anastasio*, qui obiit A. C. 518. (*z*).

§. XV. *De Potitiis & Pinariis*.

Potitii & Pinarii Herculis Sacerdotes fuerunt (*a*): ille enim apud Evandrum divertens ipse sacra sua duas has gentes docuisse dicitur. Cum autem Pinarii serius ad sacrificium venissent extis jam adesis, vetitum ipsis est in posterum extis solemnibus vesci; & secundus duntaxat honos in his sacris illis tributus est (*b*). Deinde cum A. U. 441. impulsu *Appii* Censoris Potitii sacra Herculis servis quibusdam publicis peragenda tradidissent, inter annum vertentem omne Potitiorum nomen in duodecim familias divisum (*hospitia Deorum immortalium sanctam gentem* vocat Livius IX. c. 34.) interiisse dicitur (*c*); ipse autem Appius irati facto Numinis luminibus captus fuisse fertur (*d*). Sacra porro illa penes servos hos publicos, & gentem Pinariam remanserunt.

§. XVI. *De Gallis Matris Deum*.

Galli Sacerdotes Matris Deorum, sive *Cybeles*; dicti a *Gallo* fluvio Phrygiæ (*e*), cujus aqua pota furorem inducere credebatur. Hi, ut prædictum est (*f*), genitalia sibi, & testa quidem Samia (*g*), præcidebant (*h*) in memoriam Atyos, qui cum perpetuam Deæ castitatem vovisset, deinde nympham Sangaritidem amare occœpit; & propterea a Dea in furorem actus, testiculos sibi exsecuit (*i*). Itaque etiam

(u) *Ovid. Fast.* II. 425. (x) *Propert.* IV. I. *vers.* 25. *Sex. Ruf. Vict. de Or. Grec.* (y) *Suet. Jul.* 75. (z) *V. On. Panv. de civit. Rom.* 22. *edit. Grav.* (a) *Virg. Æn.* VIII. 269.
(b) *Liv.* I. 7. (c) *Id.* IX. 29. (d) *Val. Max.* I. 1. *ex.* 17.
(e) *Ovid. Fast.* IV 361. *seqq.* (f) *Sect. hujus c.* 1. §. 16.
(g) *Plin. H N.* XXXV. 12. *fi.* (h) *Juven.* VI. 513.
(i) *Augustin. de C. D.* VII. 25.

etiam ipsi furore perciti brachia sibi cruentabant (*k*): & vaticinari credebantur (*l*). Qui huic collegio praeerat *Archigallus* dicebatur (*m*); sed hi omnes in magna dignatione non erant (*n*): tum ob alias caussas, tum etiam, quod stipem colligere solerent (*o*).

§. XVII. *De Virginibus Vestalibus.*

Virgines Vestales (Graece Παρθένοι ἑστιάδες (*p*)) in honorem *Vestae* Romae primum a Numa Rege creatae sunt quatuor (*q*), iisque duae sunt additae a Tarquinio Prisco (*r*), vel Servio Tullio Rege (*s*), cujus moribus id magis convenire videtur (*t*). *Capiebantur* (nam hoc proprium huic rei verbum est) initio ab ipsis Regibus, iisque pulsis, a Pontifice Maximo; cujus arbitratu viginti virgines e populo eligebantur majores sex, minores decem annis, quae honesto genere & decenti corpore essent: nam Pontifex M. peculiarem quamdam horum sacrorum curam habuisse videtur: credo, quod directe magis, quam alia sacra ad salutem Imperii spectare crederentur (*u*). Ex his porro in concione populi a Pontifice una eligebatur; vel etiam ultro a parentibus offerebatur: dicebatur autem illa, ut diximus, proprie a Pontifice *capi*, quia eam quasi vi *captam* a potestate patris abducebat (*x*). Ita captae per triginta annos ad ministerium Deae obligabantur: & primis quidem decem annis sacra discebant, sequenti decennio ea exercebant, tertio denique alias juniores ea docebant, & his triginta annis elapsis nubere poterant; quod tamen raro factum & semper infaustum est habitum (*y*). Quae aetate omnium maxima erat, *Virgo Maxima* dicebatur (z), quae Tacito *Annal. XI. c.* 32. est *Vestalium* vetustissima, quemadmodum Dioni L. LIV. ἡ πρεσβεύουσα: eaque reliquis summa cum dignitate praeerat (*a*). *Munus* earum erat, primo, custo-

(k) *Tibull.* I. IV 64. (l) *Lucan.* I. 506.
(m) *Vid. Juven.* IV. 511. (n) *V. Ovid. Fast.* IV. 244. & *ibi Heins.* (o) *Ovid. Fast.* IV. 350. (p) *Dion. Hal.* II. 64.
(q) *Ibid.* 67. (r) *Dion. Hal.* III. 67. (s) *Plut. Numa p. m.* 66. *D.* (t) *De earum sacris vid. Ovid. Fast.* VI. 283. *seq.*
(u) *Vid. Cic. de Orat.* III. 3. *Ovid. Met.* XV. 777.
(x) *Gell.* I. 12. *qui locus omn. videndus.*
(y) *Dion. Halic. d. c.* 67. *Plut. Numa d. l.*
(z) *Suet. Jul.* 83. (a) *Tacit. Annal.* II. 85.

stodire ignem perpetuum (*b*); quæque id exstingui passa esset, flagris a Pontifice Maximo cædebatur (*c*): secundo, adservare arcanum Imperii pignus, quod plerique Palladium putant fuisse (*d*): tertio, sacra adsidue Deæ facere. Pro his laboribus honores ingentes illis tributi sunt (*); ut jus testamentum condendi, licet minores essent; jus trium liberorum; lictorem habendi; reum forte obviam factum (*e*) supplicio liberandi; carpento vehendi (*f*); vittis & veste prætexta utendi (*g*): præterea jurare non cogebantur (*h*): tum agri iis & stipendia splendida e publico præbita (*i*), ut & locus honestior in spectaculis (*k*), & in deprecando auctoritas maxima (*l*). Ob hanc tantam reverentiam etiam aliquando testamenta, præsertim Principum, apud eas deponebantur (*m*). Sed si quæ Virgo incestu se pollui passa esset (*n*), Pontificum judicio damnata in campo, cui inde nomen *Scelerato* (*o*) fuit, viva defodiebatur; stuprator vero in foro sub furca verberibus necabatur (*p*). Desiit hoc Sacerdotium cum reliquis plerisque extremis Theodosii Magni temporibus (*q*).

DE MINISTRIS SACERDOTUM.

§. XVIII.

Camilli & *Camillæ* dicuntur pueri & puellæ ingenuæ sacris ministrantes (*r*), qui ex Romuli instituto

---

(b) *Fl.* I. 2. (c) *Val. Max.* I. 1. *ex.* 6.
(d) *Ovid. Trist.* III. *El.* I. 29. (e) *Plut. Numa p. m* 66.
(*) (V. omnino Tac. Ann. III. 86. & IV. 16. item Memor. Acad. Lit. Paris. T. V. p 211. seqq.)
(f) *Vid. Lips. ad Tacit. Annal.* XII. 42. (g) *Ovid. Fast.* III. 30. (h) *Edictum perpetuum ap. Gell.* X. 15.
(i) *Liv.* I. 20. *Vid. & Tac Ann* IV. 15. (k) *Suet. Aug.* 44.
(l) *Cic. pro Fonr.* 17. *Suet. Jul.* 1. *Tac. Hist.* III. 81.
(m) *Suet. Aug.* 101. *Tac. Ann.* I. 8. (n) *Plut. Numa p. m.* 67. *& in Quæst. R.* 95. *Juven.* IV. 9. (o) *Ovid. Fast* VI. 455. *Dion. Hal.* VIII. 90. (p) *Suet. Domit.* 8. (Liv. XXII. 57.)
(q) *Vid. Symmachi legationem ad Theodosium, Valentinianum & Arcadium Impp. apud On. Panv. de Civ. Rom.* II. *p.* 183. *edit. Wech.*
(r) *Macrob. Saturn.* I. 8. III. 8. *Vid. Ampliss. Van der Muelen de die mundi diss.* I. *p.* 142.

stituto a Sacerdotibus, qui liberis carebant, sibi jungebantur; nam, qui liberos habebant, eorum ministerio uti debebant (s). Hi ministrabant, pueri quidem ad pubertatem usque, puellæ vero donec nuberent.

Flaminii & *Flaminiæ* dicebantur (t) qui *Flamini* Diali, ejusque uxori ministrabant, & patrimi ac matrimi esse debebant.

Quindecim viri etiam ministros habebant, qui ipsi a *commentariis* esse dicebantur (u).

Æditui, vel *Æditumi* (quæ enim scriptio melior sit, dubitatur (x)) erant, qui ædes sacras *tuebantur*, sive *sartas tectas servabant*: hoc enim vox *tueri* significat (y); easque purgabant, &c. qui Græcis νεωκόροι sunt dicti.

Tibicinum usus plurimus erat in omnibus sacris, ludis, & funeribus (z): hi Idibus Juniis personati per Urbem discurrebant; de cujus ritus origine vide Livium IX. *c.* 30. & Ovidium *Fastorum* VI. *vers.* 653.

Tubicines etiam sacris adhibiti sunt, qui bis singulis annis *tubas lustrabant*; unde dies, quo id fiebat, *Tubilustria* est dictus (a).

Popæ & *Victimarii* hostias & *victimas* ligabant (b), easque laureati & seminudi ad aras adducebant; cultros, aquam, ceteraque ad sacrificium necessaria expediebant; victimas feriebant, & jugulabant.

Fictores, qui de pane, vel cera simulata hostias fingerent (c): nam simulata in sacris pro veris habebantur (d); & ita *Fictor Pontificum* legitur apud Gruterum *p.* MLXXXI. 1.

Fuerunt quoque *Præciæ*, sive *Præclamitatores* Flaminis Dialis (e); ejusdem & Vestalium *Lictores*; *Scribæ* Pontificum, & Quindecimvirorum; Adjutores Haruspicum, ad quos *Pullarios* etiam referre possis; *Kalatores* (f), qui Sacerdotum præcones erant.

Præ-

(s) *Dion. Halic.* II. 22.
(t) *Fest. in his Vocib.* (u) *Grut.* CCCVII. 1.
(x) *Vid. Gell.* XII. 10. (y) *Varro de L. L.* VI.
(z) *Ovid. Fast.* VI. 659. (a) *Id. Fast.* V. 725.
(b) *Proper.* IV. III. 62.
(c) *Vid. Græv. ad Cic. pro domo* 54.
(d) *Vid. Polluc Om.* 1. *Segm.* 30. *seq. Serv. Æn.* II. 116. IV. 512.
(e) *Fest. his Vocib.*
(f) *Fest. V. Calator. & ibi Scal. Serv. ad Georg.* I. 268.

Præficæ dicebantur mulieres in funeribus conductæ (g), ut ceteris plangendi modulos præirent, & laudes defuncti cantarent (h) (& plorarent.)

Designatores, qui constituendæ funebri pompæ præerant (i), & cuique ordinem suum adsignabant, lictorum etiam, ut videtur, ministerio ad eam rem utentes.

Vespæ sive *Vespillones*, qui pauperum cadavera *vesperi* efferebant (k). Hi postremi vero inter sacrorum ministros recensentur, quia etiam manes sua sacra habebant; quorum hi potissimum erant ministri.

CAPUT III.

De Ritibus Sacrorum.

§. I. *De Locis Sacris.*

Loci, ubi sacra peragebantur, fuerunt *Templa*, *Ædes Sacræ*, *Fana*, *Delubra*, *Sacella*, & *Luci*. *Templum* dicitur a *templando*, vel a *tuendo*; (quæ duo verba idem significant quod *videre*, unde etiam hodiè *intueri* pro *videre* dicimus) significat enim *omne spatium, quod videmus* (a), *ut templa Neptuni* pro *mari* (b), *templa Acherusia pro inferis* (c), *templa Parnasia* pro ipso *monte Parnasso* (d); sed strictius, *spatium in cælo ab Auguribus definitum* (e); & inde jam, *locum muro clausum*, *Dei alicujus cultui destinatum, & ab Auguribus consecratum*: unde *Templa Augusta* vocantur (f), & eo differunt ab aliis ædibus sacris, quod illæ quidem divino cultui dicatæ sunt; sed non ab Auguribus consecratæ. Ut autem antequam pergam hoc addam, vocis *Templi* derivatio verior videtur a Græco *τέμενος*, quæ opinio est *Menagii in amœnit. juris c. 39.*

Templa plerumque certis de caussis *vovebantur* (g), postea *definiebantur*, hoc est, *certi fines iis constitu-*

(g) *Nævius apud Fest. hac V.* (h) *Lucil. ap. Non.* 1. *Plaut. Trucul.* II. VI. 14. (i) *Horat. Epist.* I. VII 6. *Senec. de benef.* VI. 48. (k) *Martial.* I. 47. *Fest* V. *Vespæ*.

(a) V. *Giphan. Ind. Lucretian.* (b) *Plaut. Mil. Gl.* II. V. 3. *&* *Rud* IV. II. 4. (c) *Lucret.* I. 121. *& alibi sæpe.* (d) *Ovid. Metam* V. 278. (e) *V. cap. præc.* §. 3. *Varr. de L. L.* VI. 2. (f) *Ovid. Fast.* I. 609. (g) *Liv.* I. 13.

tuebantur (*h*), quod dicebatur *effari*, vel *terminare* (*i*) *templum* (*k*). Condita templa *dedicabantur* ab eo, qui ea voverat, Consule scilicet, vel Imperatore, nec hoc injussu Senatus, aut majoris partis Tribunorum plebis fieri poterat (*l*). Pontifex autem solemnia dedicationis verba præibat (*m*), dum alter, qui dedicabat, postem templi teneret (*n*). Demum templa ab Auguribus consecrabantur. Docet quidem *Grævius*, ὁ μακαρίτης, *ad orationem Ciceronis pro domo sua* (*o*) consecrationem præcessisse dedicationem; sed hoc intelligi debet de consecratione, quæ a privato fiebat, & a *voto* vix distinguitur. Hæc autem *Augurum consecratio* est ille actus, quem *Germani* & *Belgæ* vocant, *eene inwyding*; *Galli* & Angli *inauguration*. In templorum fundamentis aurum sæpe & argentum rude vel signatum deponebatur. *Tacit. l. d.* Templum porro unum duobus numinibus consecrare vix licitum erat (*p*), licet hoc perpetuum non fuerit; & qui simul in una æde colebantur *Contubernales* (*q*), Græcis Σύνναοι sunt dicti (*r*), & Σύμβωμοι (*s*). Omnibus tamen Diis ea dedicare moris fuit, quale templum fuit Romæ Augustissimum *Pantheon* dictum, quod a *M. Agrippa Augusti* Imperatoris genero dedicatum, hodieque superest, *Mariæ Rotundæ* nomine insignitum, & *omnibus* etiam *sanctis*, ut vocantur, dicatum. Hinc, si in loco, ubi templum condere vellent, aliquod jam numen esset, id certis cæremoniis inde evocabatur; quod *exaugurare* dicebant (*t*).

Fana dicuntur in genere omnes ædes sacræ (*), quia Pontifex, dum ea dedicat, certa verba *fatur* (*u*); vel a *Fauno*, qui ea primus condiderit (*x*); vel denique verius, ut vult Vossius in *Etymologico*, a

---

(h) *Ibid.* 15. (i) *Liv.* V. 50.
(k) *Varro de L. L.* V. 7.
(l) *Liv.* IX. 56. (m) *Vid. Tac. Hist.* IV. 53.
(n) *Cic. pro domo* 45. *ubi in seqq. etiam consecrationis ritus describit.* (o) *c.* 48. (p) *Liv.* XXVII. 25. *Plut. Marcell. p. m.* 314. (q) *Cic. ad Att.* XIII. 28.
(r) *Ib.* XII. 45.
(s) *Schol. Pind. ad Olymp. Od.* V. 10. (t) *Liv.* I. 55.
(*) (Quid *fanum* sit, unde dicatur, & qui differat ab *æde*, docebit Liv. X. 37. Ceterum de differentiis vocum *Ædis*, *delubri*, *fani*, *lavarii*, *sacelli*, *templi*, v. Synon. nostra).
(u) *Varro de L. L.* V. 7. *Fest. in* V. (x) *Corn. Fronto.*

co, a Græco *ναὸς*, quod per metathesin *ἀνὸν* fuerit; spiritu, ut sæpe fit, in F abeunte, *Fanum*.

Delubrum (*y*) dicitur *locus, in quo Dei unius, vel plurium simulacra sunt dedicata* (*z*): vel etiam fons, aut lacus ante templum, in quo ingressuri templum sordes *deluebant* (*a*). Sed in genere hæc vox pro quavis æde sacra ponitur (**): & verior forte est Varronis sententia, *delubrum* dici *ubi Deus sit positus*, ut *candelabrum* illud, in quo figitur candela (*b*).

Sacellum est diminutivum a *sacro*: est enim proprie *locus sacer muro tantum septus absque tecto*; (Græcis (*c*) *ἱερὸς περίβολος*) sed etiam pro *quavis æde sacra*, præsertim *parva*, ponitur (*d*).

Luci erant *sylvæ Diis sacræ*, ita dictæ a *lucendo*; quia in iis plurima *lumina* in honorem Deorum accendebantur (*e*): quod apud plerosque idolorum cultores obtinuisse, tum ex libris sacris (*f*), tum aliunde docemur. Hinc *ἀγλαὸν ἄλσος* dicitur Homero Iliad. *β* v. 506. *Splendidus lucus*.

§. II. *De Adoratione*.

Cultus jam *sacer* consistebat fere in *Adoratione Deorum*, & institutione *supplicationum*; maxime vero in *sacrificiis*: de quibus singulis ordine est dicendum.

Precantes stabant capite plerumque velato (*g*), ne qua *hostilis facies* ipsis occurreret, *Virg. Æn. III. vers. 407. & ibi Serv.* (licet aliam rationem tradat *S. Aurelius Victor de Orig. gentis Rom. circa med.*) & mentem a precibus averteret; sacerdos autem de scripto (*h*) *verba præibat* (*i*), ne quid præpostere diceretur. Inter precandum aras tangebant (*k*), (quod etiam faciebant jurantes (*l*), unde *ara* pro *jurejurando* (*m*) ponitur) vel etiam genua Deorum

---

(y) V. I. *Recq. de Capitol. Rom.* 12. (z) V. *Ascon. ad Divin. Cic. in Verr.* I. (a) *Serv. ad Virg. Æn.* II. 225.
(**) *Juven.* XIII. 69. (b) *Macr. Sat.* III. 4.
(c) V. *not. ad Polluc.* IX. V. 40. *ed. noviss.* (d) *Liv.* X. 23.
(e) *Isid. Etym.* XIV. 8. (f) *Deuter.* XVI. 21. 1. *Reg.* XIV. 23. (g) *Plaut. Amph.* V. 1. 42. *Dion. Hal. excerpt.* p. 705. *ed. Oxon.* (Non pœnitebit super τῶν ἐθνικῶν precibus ante alios omnes legisse Nobiliss. Ellys in Fortuitis sacris ad Matth. VI. 7. & Falsteri Amœnit. Philol. T. I. p. 71.)
(h) *Plin. H. N.* XXVIII. 2. (i) *Juv.* VI. 390.
(q) *Virg. Æn.* IV. 220. (l) *Juv.* XIII. 89.
(m) *Propert.* III. *El.* 19. 25.

rum (*n*); quia genua misericordiæ quasi sedem esse putarunt veteres (*o*); in gyrum se (*p*) convertebant, & cum precari fuissent, considebant, ne παρέργως rem divinam facere viderentur (*q*). Tum etiam manum *ori* admovebant (*r*), unde ipsa *adoratio* est dicta: & ad orientem plerumque Solem versi precabantur (*s*). Debebant autem Dii vero & proprio suo nomine invocari, unde ne imprudentes laberentur, dicere solebant, *sive tu Deus*, *sive tu Dea es* (*t*). Vota sua in tabulis perscripta ad genua statuarum cera affigebant (*u*); & cum voti essent compotes facti, tabula (*x*) vel alia quadam re in templo suspensa (*y*) id testabantur (*). Statuæ, (ita loquor ex usu vulgari, licet sciam *statuas* proprie hominum, Deorum vero *simulacra* fuisse (*z*)) statuæ, inquam, rite consecratæ a Numine, cui dicatæ erant, insideri credebantur (*a*); unde ipsas statuas aliquando *Deos* vocabant (*b*), & templa a Diis *incoli* dicebant (*c*): licet Varro apud *Augustinum de C. D. IV. c. 9.* dicat Romanos plus quam 170. annis Deos sine simulacris coluisse. Eas statuas unguentis in devoti animi signum perfundebant (*d*); & stato tempore flumine vivo eas abluebant (*e*).

§. III. *De Supplicatione.*

Supplicatio (pro qua etiam *supplicia* dicit *Sallustius Catil. c. 9. & Festus in ea voce*) erat honor, qui belli ducibus præstabatur, cum a Senatu *Imperatores* appellarentur; & consistebat in eo, ut templa populo aperirentur ad gratias Diis pro victoria-

---

(n) *Vid. Serv. ad Æneid. III. 607.*

(o) *Plin. H. N. XI. 45.* (p) *Ovid. Fast. III. 283. Plut. Marcello p. m. 301.* (q) *Id. Numa p. m. 69. seqq.*

(r) *Plin. H. N. XXVIII. 2. vid. omn. Min. Fel. p. 6. ed Rigalt.* (vid. Kemp. de osculis, & Lips. Elect. L. 2. 6. F. R.)

(s) *Virg. Æn. VII. 172.* (t) *Cato de R. R. 139. Gell. II. 28.* (u) *Juven. X. 55.* (x) *Id. XII. 27.* (y) *Horat. Od. I. 5.*

(*) (Vocem *Veris sacri* quid proprie sit, docet Liv. XXII. 10. & XXXIV. 44. & Fest. cum Paulo VV. *Mamertini* & *Ver sacr.* Μεταφορικῶς juventutem sacram notat ap. Justin. XXIV. 4. Dionys. Hal. I. 16. & II. 1. Vide etiam Histor. Acad. Lit. Paris. T. I. p. 130.

(z) *Vid. Abram. ad Cic. Philipp. II. 43.*

(a) *Arnob. adv. gent. VI. pag. 254. ed. Paris. 1507. & ibi Herald.* (b) *Liv. XXVII. 16. XXIX. 11. Genes. XXXI. 30.*

(c) *Silius Ital. X. 433.* (d) *Tibul. II. El. II. 7.*

(e) *Lucan. I. 600.*

ria relata agendas; quod initio Reipublicæ per unum (*f*) vel paucos, si plurimum; postea crescente ambitione per plures dies factum est (*g*). Talis itaque supplicatio cum decerneretur, lætitiæ fuit; at etiam tempore gravi (*h*) supplicationes habebantur: (quæ etiam *obsecrationes* (*i*), Græcis προσοδοι (*k*), sunt dictæ, & a Duumviris ad eam rem creatis curabantur) sed præcipue tunc instituebantur *Lectisternia*, quæ monitu & cura Quindecimvirorum sacris faciundis peragebantur; & erant quasi convivia quædam, quibus Deos excipiebant, & quæ a Septemviris Epulonum curabantur. His epulis Diis tanquam vere cœnaturis *lecti sternebantur*, qui dicebantur *Pulvinaria* (*l*), & rem ipsam *suscipere pulvinaria* dicebant (*m*); & inde *Pulvinaria* quandoque pro ipsis templis ponuntur (*n*). Deabus vero pro antiqua frugalitatis ratione ponebantur *sellæ* (*o*); & hinc *sellisternia*, sive *solisternia* earum epulæ vocantur apud Tacitum *Annal. XV. c.* 44. ut quidem ibi in libris antiquis legitur: unde explicandus etiam est *Catullus carm. LXV. v.* 47. Et vide omn. Cl. Græv. *ad Cic. de Har. resp. c.* 27.

§. IV. *Sacrificiorum Ritus, & primo de Personis quæ iis interveniebant.*

Sacrificiorum ritus vel spectabant *Personas sacrificantes*, vel *animalia immolanda*, vel *ipsum sacrificium*.

In *Personis sacrificantibus* primo requirebatur, ut *caste* Deos adirent (*p*), & a Venere abstinerent (*q*); sicut in legibus duodecim Tabularum dicitur: *ad Divos caste adeunto*.

Secundo, ut ante *lavarent* (*r*), & præcipue quidem manus (*s*); ad quem usum vasa quædam in promptu erant juxta Templa; quæ, si grandiora essent, *favissæ* (*t*); si minora, *futilia* (& *futa*) diceban-

(f) *Liv. XXXVII.* 47. (g) *Vid. Cic. Philipp. XIV.* 11. (& Cæs. B. Gal. IV. c. ult. fin. F. R.) (h) *Liv. VII.* 28. (& *XXII.* 10. *f.*) (i) *Liv. IV.* 21. *XXXI.* 8. (k) *V. Bud. comm. ling. Gr. n. m.* 155. (l) *Suet. Jul.* 76. (m) *Liv. V.* 52.
(n) *Serv. ad Virg. Georg. III.* 537. *Liv. XXVII.* 4. *XL.* 19.
(o) *Val. Max. II.* 1. *ex.* 2. (p) *Tibull. II. El. I.* 11.
(q) *Ovid. Metam. X.* 434. (r) *Tibull. d. l.* 13. *segq.*
(s) *Plaut. Trucul. II. V.* 28.
(t) *Fest. hac V.*

cebantur (*u*): licet *favissæ* vox etiam significet cellas quasdam cisternis similes, in quibus reponebantur, quæ in templis per vetustatem inutilia erant facta (*x*). Ipsa autem vasa, quibus ad sacrificandum utebantur, *pura* adornari debebant (*y*).

Tertio, ut *vestes puras* haberent (*z*), & quidem candidas (*a*). Præterea etiam *coronas* capite gestabant ex arbore (*b*), quæ Deo, cui sacra faciebant, gratissima esse credebatur; quibus Sacerdotes etiam vittas (*c*) & infulas (*d*) addebant. Aliquando etiam, ut in εὐκταίοις, sive *votivis* sacris, passo capillo (*e*), soluta veste, & nudis pedibus erant (*f*); quia eo habitu supplices uti solebant.

Quarto, ante ipsum sacrificium *vota* & *preces* instituebantur.

§. V. *De Animalibus immolandis.*

Animalia immolanda Victimæ dicebantur, vel *Hostiæ*; inter quas hæc est differentia. Primo, quod *Hostia* a quovis immolaretur; *Victima* proprie tantum ab eo, qui hostem *vicerat* (*g*). Secundo, *Hostia* ante quam in hostes iretur; *Victima* post victoriam immolabatur (*h*). Tertio, *Victima* plerumque major; *Hostia* minor erat (*i*). Sed sæpissime hæ voces confunduntur (*k*). *Victima* a *vincendo*; *Hostia*, vel ab *hoste victo* (*l*), vel ab *hostiendo*, hoc est, *feriendo* est dicta (*m*).

Hostiæ, quæ ante solemne sacrificium immolabantur, dicebantur *Præcidaneæ* (*n*); (Græcis προτελεῖς θυσίαι (*o*)) *Succidaneæ* vero, quæ cædebantur, si prioribus hostiis *litatum* non esset (*p*); unde eleganter servus *Plautinus* (*q*) *tergum suum herili stultitiæ succidaneum* vocat. *Litare* porro nihil aliud est (*r*), quam *Numine placato* voti

---

(u) *Vid. Donat. ad Ter. Andr. III. V.* 3. (Item Varr. & omn. Serv. ad Æn. XI. 339. unde verbum *effutio*. V. Donat. ad Horat. de art. Poet. 231.) Phorm. V. I. 18. & Schol. vet. ad Horat. de art. Poet. 231.)

(x) *Gell.* II. 10. *Fest. ea V.* (y) *Plaut. Amphitr.* V. 2.
(z) *Tibull. l. d.* (a) *Ovid. Amor.* II. XIII. 23.
(b) *Stat. Theb.* III. 466. (c) *Ib.* XII. 478.
(d) *Senec. Agam. vers.* 687. (e) *Liv. XXVI.* 9.
(f) *Ovid. Metam.* VII. 183. (g) *Ovid. Fastor.* I. 335.
(h) *Serv. ad Virg. Æn.* I. 334. (i) *Corn. Fronto de prop. Lat. serm. inf.* (k) *V. Ovid. Amor.* III. 13. 16. & *Gell.* IV.
(l) *Ovid. d. Fast. l.* (m) *Fest. V. Hostia.*
(n) *Gell.* IV. 6. (o) *Athen.* IX. (p) *Plut. P. Æmil. p.* 264.
(q) *Epid.* I. II. 36. (r) *Suet. Jul.* 81. (V. Synon. nostra,

voti compotem fieri (*s*), *& hoc certis ex signis deprehendere*. Hinc *litabilis hostia Minucio Felici* (*t*) dicitur *bonus animus*, *& pura mens*, *& sincera conscientia*. Ducta vox est ἀπὸ τῶν λιτῶν, hoc est, a *precibus supplicibus*. Græcis vero *litare* καλλιερεῖν dicitur (*u*). *Pacem Deorum exorare* (*x*), vel *exposcere* (*y*), etiam locutio huic rei propria fuit. Sed in sacris, quæ inferis fiebant, non litasse optatius habebatur (*z*).

Hostiæ debebant esse corpore integræ & decoræ; ideoque a sacerdotibus probabantur, & creta (*a*) vel alia nota insigniebantur; unde etiam *egregiæ*, *eximiæ* (*b*), *lectæ* (*c*) vocantur: nec omnes omnibus Diis, sed quæ cuique Deo gratæ esse credebantur, ei immolari debebant (*d*); quemadmodum dicit Cicero de LL. II. *Quæque cuique Divo decoræ gratæque sunt hostiæ, provídento*. Observabant etiam, ut gregales essent, non feræ; & pingues maxime Diis acceptas esse putabant (*e*): sed tamen pro cujusque facultatibus eligebantur (*f*). Ornabantur hostiæ vittis, sive infulis & coronis (*g*); & præterea earum cornua deaurabantur.

§. VI. *De ipso Sacrificio*.

In ipso Sacrificio observatur, Primo, *Indictio silentii* solemni formula, *Hoc age* (*i*), &, *Favete linguis* (*k*), (Græcis ἐπίχεσθε τὰς γλώσσας) quod fiebat silentio servando, & temperando a verbis male ominatis (*l*); & hoc etiam *Pascito linguam* (*m*) (Græce εὐφημεῖ vel εὐφημία ἔστω (*n*)) dicebant. E contrario jubebantur *bona verba dicere* (*o*), & profani ac impuri a sacris ablegabantur, ut eleganter est apud Virgilium, *Æn. VI. v.* 258.

I -- *Pro-*

(s) *Martial. X.* 73. (t) *Pag.* 95. *ed. Rigalt.*
(u) *Bud. comm. ling. Gr.* 918. *f.* (x) *Virg. Æn. III.* 370.
(y) *Vid. Liv. VII.* 2. (z) *Sueton. Oth.* 8.
(a) *Juven. X.* 66. (b) *Virg Georg. IV.* 538.
(c) *Id. Æn. IV.* 57. *Fest. V. Eximium.*
(d) *Serv. ad Virg. Georg. II.* 380. *& Æn. III.* 118.
(e) *Juven. XII.* 11. (f) *Horat. Od. IV.* 2. 53.
(g) *Actor. XIV.* 13. *Virg. Æn. II.* 186.
(h) *Ibid. IX.*627. *Liv.XXV.* 12. (i) *Plut. Coriol. p.m.*225.
(k) *Virg. Æn. V.* 71. (l) *Horat. Od. III.* 14. 11.
(m) *Fest. bis voc.* (n) *Eurip. Iphig. in Aul.* 1564. *Arist.* Θεσμοφορ. *v.* 302. (o) *Tibull. II.* 2. 1.

--- Procul, o procul este, profani,
Conclamat vates, totoque absistite luco.

Ex I. Ed. Horat. III. Od. I. 1.) Similiter Græci; ἑκάς, ἑκὰς ὅστις ἀλιτρός (*p*); vel: θύρας δὲ ἐπίθεσθε βέβηλοι (*q*).

Secundo: his factis *mola salsa* (*r*) victima aspergebatur, quæ constabat ex farre tosto & sale (*s*): & hæc actio proprie *immolatio* dicebatur, unde *immolare* idem significat, quod *sacrificare*: nec ullum sacrificium ex lege Numæ sine farre fieri potuit, ut ita agricultura, tanquam magna pietatis pars, commendaretur; & propterea etiam libare, nisi ex vite putata, non licebat (*t*). Hoc facto hostia dicebatur, *macta*, quasi *magis aucta* (*u*): unde *mactare* quoque pro *cædere* dicitur; & hoc ideo fiebat, quia diligentissime sibi a verbis male ominatis (qualia sunt *cædere*, *jugulare*, & similia, quæ sævitiam quandam denotare videntur) cavere conabantur: quemadmodum etiam exactissima diligentia cavebant, ne quid præpostere diceretur, vel mali ominis audiretur (*x*).

His factis sacerdos ex *simpuvio* (*y*) ipse primus leviter vinum degustabat (*z*), inde adstantibus etiam gustandum præbebat; & demum inter cornua hostiæ ex patera affundebat (*a*); quod *libare* dicebatur. Mox pilos quosdam e fronte hostiæ evellebat (*b*), qui igni super aram injecti *libamina prima* dicebantur (*c*). Nec tantum vino libabant, sed etiam sanguine (*d*), quem aræ affundebant, tum aqua, melle (*e*), & lacte Diis præsertim rusticis (*f*), oleo quoque, sed in inferiis maxime (*g*), licet ea occasione etiam melle & lacte uterentur

(p) *Callim. hymn in Apoll* 2. (q) *Orpheus de Diis p.*242, *edit. Traject.* 1689. (r) *Senec. Œd.* 335.

(s) *Ovid. Fast. I.* 337. *Horat. Od. III.* 23. (Virg. Æn. II. 133. & Serv. ad Æn. XII 173. ubi & de *cultro* notabilia habet. Cur *farre* sint usi, docet etiam Dionys. Halic. II. 25.)

(t) *Plut. Numa p.m.* 69. *E.* (u) *Serv. ad Virg Æn.IX.*641.

(x) *Plin. H N. XXVIII.* 2. (y) *Juven. VI.* 343. (quod & *simpulum* videtur dictum fuisse. *Cic.* III. Leg.16. Proverbialiter dicit: *excitavit fluctus in simpulo*, ubi cons. Turneb.)

(z) *Vid. Virg. Æn. XII.* 174.

(a) *Ovid. Metam. VII.* 594. (b) *Homer. Iliad.* γ. 273.

(c) *Virg. Æn. VI.* 245. *seq.* (ubi omn. consulend. Servius.)

(d) *Vid. eund. Ecl. I.* 8.

(e) *Appian. in Mithrid. p.* 352. *edit. Tollii.*

(f) *Virg. Ecl. V.* 67. (V. Broukh. ad Tib. I. I. 14.)

(g) *Id. Æn.* VI. 254.

rentur (*b*): veruntamen vini libatio proprie dicta est, & præcipue obtinuit.

Tertio: sequebatur *ignis* in ara *accensio*, qui debebat fieri ex lignis aridis & sectis (*i*), & quidem ex ea arbore, quæ Deo, cui sacra fiebant, maxime grata esse putabatur; qualis erat *æsculus Jovi*, *myrtus Veneri*, *populus Herculi*, &c. (*k*). Tum etiam verbenas sive frutices ex iis arboribus in aris adolebant (*l*).

Turis usus frequentissimus erat in sacris (*m*); (unde etiam nobis *wierook*, & apertius Germanis (*Benrauch* pro) *Beiherauch* quasi *sacrum suffimen* dicas, vocatur) quod vel adolebant in thuribulis; vel injiciebant focis (*n*); & ex ejus fumo & crepitu futura conjiciebant (*o*).

Deinde hostia ad aras adducebatur a popis (*p*): vel victimariis seminudis; & quidem, fune laxiore (*q*), ne invita victima duci videretur; quod mali habebatur ominis (*r*). Eadem de caussa ante aras jam stans solvebatur (*s*). Pessimum autem omen erat, si hostia aufugisset (*t*).

His peractis *victima percutiebatur*, quod minister, sive *cultrarius* non perficiebat, nisi jussus; unde sæpe rogabat *Agone* (*u*)? cui respondebat præco, *Hoc age* (x). Feriebatur autem securi vel clava, deinde cultris jugulabatur: & statim sanguis pateris exceptus aræ inspergebatur (*y*).

Jugulata victima *Anclabri*, hoc est, *mensæ sacræ* (z) imposita excoriabatur, & dissecabatur: & aliquando quidem tota cremabatur (*a*); (quemadmodum e lege Mosaica ὁλοκαυτώματα) plerumque vero cum Diis dividebatur, quod *prosecare exta* (*b*) dicebant; *exta* vero *divisa proficiæ* & *prosecta* (*c*) dicebantur; & Græce, ut est in antiquis

I 2 Glos-

(h) *Heliod. Æth. VI. fini propius.*
(i) *Id. III. p.* ro 145. *ed. Lat.*
(k) *Virg. Ecl. VII.* 61. (Phædr. III. fab. 17.)
(l) *Virg. Ecl. VIII.* 65. (m) *Ovid. Fast. IV.* 410.
(n) *Tibull. II.* 2. (o) *Senec. Œd. V.* 306. *seqq. Lactant. ad Stat. Theb. IV. v.* 411. 468.
(p) *Propert. IV. III.* 62. (q) *Juven. XII.* 5.
(r) *Senec. Œdip. V.* 337. *seqq.*
(s) *Virg. Æn. V.* 774. (v. omn. Serv. ad Virg. Æn. II. 134.)
(t) *Suet. Jul.* 55. (v. omn. Serv. Æn. II. 104.)
(u) *Ovid. Fast. I.* 321. (x) *V. Suet. Cal.* 58.
(y) *Virg. Æn. VI.* 248. (z) *Fest. hac V.*
(a) *Virg. Æn. VI.* 253. (b) *Plaut. Pœn. I. IV.* 8.
(c) *Ovid. Metam. XII.* 152. *seqq.* & *Fast. VI.* 163.

Glossariis *αἱ τῶν θυμάτων, ἢ ἱερῶν ἀπαρχαί*; unde *ἐμπύρων ἀπάρχεσθαι* dicuntur, qui *ἀπαρχὰς*, sive *proficias* in ignem inferunt (*d*). Sacrificantes autem partem, quæ sibi obvenerat, cum amicis comedebant (*e*): unde multi gulæ caussa tantum sacra faciebant, ut sumptuosius epularentur (*f*): & inde *μεθύειν*, *largius bibere*, dicitur, quasi *μετὰ τὸ θύειν*, post sacrificium factum, si fides *Suidæ* V. *Μέθυ*. *Popæ* vero partem Deorum in ædibus suis vendebant; unde *popinæ* videntur denominatæ (*g*): nam ea occasione etiam vinum vendere solebant (*h*). Hinc *exta* inspiciebantur (*i*) ab Aruspicibus, de quibus suo loco dictum est; qui cultris ea educebant; nam manibus tangere nefas erat, & proprio verbo *exta consulere* dicebantur (*k*); quod si bona essent exta, litasse se dicebant (*l*); sin minus, succidaneæ victimæ, ut jam dixi, adhibebantur. Partes autem victimæ, quæ Diis obvenerant, cum particulis ex omnibus hostiæ membris decerptis farina (*m*), vino & ture conspergebantur, & in ara cremabantur, quod *adolere* dicebatur: proprio etiam verbo *reddi exta* dicebantur (*n*), & *porrici*, quasi *porrigi*, vel *porro jaci* (*o*), cum aræ imponerentur; vel, si Diis marinis sacra fierent, cum in mare projicerentur (*p*). Hinc *inter cæsa & porrecta* proverbialiter *fieri* dicitur aliquid, quod fit tempore incommodo, cum quis majore aliquo negotio occupatus ad ea, quæ minoris momenti sunt, animum attendere non potest (*q*).

Peracto sacrificio, lotis iterum manibus, & precibus quibusdam dictis denuo libabant: & denique populus a sacris dimittebatur vocibus solemnibus *Licet*, vel *Extemplo* (*r*); quæ exinde idem fere, quod

(d) *V. not. ad Dion. Halic.* 1. 40. *ed. Oxon.*
(e) *V. Plaut. Amph. III III* 13. *Mil. glor.* I. III. 117. *Stich.* I. III. 96. (f) *Menandr. ap. Athen. IV.* p 146.
(g) *V. Abram. ad Cic. pro Mil.* 24. (Abram. nihil probat, nec video quomodo popæ possint eas partes vendere, quæ cremari debebant, ut mox Nieup. dicit. Sed V. Wolf. ad 1. Cor. X. 25. & Lactant. 37. F. R. (h) *Vid. Cic. eod. loc.*
(i) *Ovid. Metam. XV.* 136. (k) *Virg. Æn. IV.* 64.
(l) *De prava extorum constitutione vid. Senec. Œdip.* 353. *seqq.*
(m) *Virg. Æn. VIII.* 170. (hunc locum male eo trahit.)
(n) *Id. Georg. II.* 194. *Tac. Hist. XIV.* 53.
(o) *V. Ver. Flacc. & Fest. de V. S.* (p) *Virg. Æn. V.* 238.
(q) *Cic. ad Att.* 5. 18. *& ibi Malasp. & Græv.*
(r) *Plaut. Aul.* I. II. 35.

quod *cito*, sive *continuo* notarunt (*). Ipsum denique sacrificium sequebantur *Epulæ sacrificales*; quæ erant, vel *publicæ*, si publicum sacrificium fuisset, & sumptuosissime (s) a Septemviris Epulonibus curabantur; vel *privatæ* (t), si ex privatis hominibus quis sacra fecisset: tum enim amicis convocatis partes cum Diis divisas comedebant (u).

§. VII. *De Sacrificiis, quæ Diis inferis fiebant.*

Magna autem erat differentia inter ea sacrificia, quæ Diis superis, & ea, quæ Diis inferis fiebant: nam

Primo: *Superis* sacrificantes albis; *Inferis*, nigris vestibus erant induti (x).

Secundo: *Superis* albæ (y) hostiæ, quæ a *Clitumno* fluvio maxime veniebant (z), immolabantur; *Inferis* vero nigræ (a).

Tertio: *Superis* cervice sursum reflexa; *Inferis* pronæ, & terram intuentes hostiæ mactabantur (b).

Quarto: *Superorum* victimis ferrum *imponebatur*; *Inferorum* victimis *supponebatur* (c): hoc est, illorum hostiæ a *superiore*; horum ab *inferiore* parte jugulabantur.

Quinto: *Superis* sacrificantes abluebantur; *Inferis*, qui faciebant, tantum aspergebantur (d).

Sexto: *Superis* in ara sanguis aspergebatur; *Inferis* in scrobe, vel fossa adfundebatur (e).

Septimo: Libatio *Superis* fiebat *fundendo*, hoc est, *manu supina*; Inferis, *invergendo* (f), ita ut manu in sinistram partem versa patera converteretur.

Octavo: preces *Superis* fiebant manibus (ex r. *Ed. suppleo:* in cælum sublatis: INFERIS manibus)

I 3

(*) (Vocem *Extemplo* male exponit. Videatur Serv. ad Æn. I. 56. & II. 699. & alibi. *Plauti* autem locum sic corrigo: Aul. I. I. 52. Livius alicubi ait: *minatur se exercitum extemplo ex urbe educturum*.)

(s) *Hor. Od. I. 37. & II. 14. Fest. V. Salios.*

(t) *Vid. Virg. Æn. VIII.* 181.

(u) *Plaut. Amph. III. III.* 33. *& Stich. II. I.* 95.

(x) *Vid. Ovid. in Ibin* 100. (y) *Juven. XII.* 3.

(z) *Virg. Georg. II.* 146. (a) *Id. Æn. VI.* 245.

(b) *Homer. Iliad. A.* 459. *& ibi Eustath.* p. 101. *ed. Basil.*

(c) *Virg. Ibid.* 248. (d) *Ibid.* 230, (Serv. ad Æn. IV. 635. & VI. 636.) (e) *Ovid. Metam. VII.* 243.

(f) *Virg. Æn. VI.* 244. *& ibi Serv.* (v. Feithii Antiquit. Homer. p. 54.)

bus) dimissis & pedibus terram percutiendo (g), quia scilicet sub terra eos habitare credebant.

(*Nono*; Inferis sacrificantes etiam vasa in ignem mittebant. *Serv. ad Æn. VI. 225.*)

§. VIII. *Alia Sacrificiorum divisio.*

Sacrificia etiam ita possunt *dividi*, quod quædam facta sunt ἀπὸ μαντείας (*h*), hoc est, *jussu oraculi cujusdam* aut *vatis*; tum, quod alia fuerint χαριστήρια, sive σῶστρα (*i*), quibus ob bonum acceptum, (ut exempli gratia pro incolumi (*k*) adventu) vel ob malum aversum, Diis gratias agebant (*l*); quæ sæpe antea vovebantur (*m*). Alia rursus fuerunt ἐυκταῖα, quibus bona precabantur, vel Deos testes invocabant (*n*): nullam enim rem alicujus momenti incipiebant, nisi sacris antea rite peractis (*o*). Tum quædam fuerunt ἀρεστήρια, quæ fiebant placando numini (*p*). Tales erant *postulationes*, Latinis ita dictæ, quod Dii violati eas fieri *postulabant* ad avertenda mala, quæ ostenta minabantur (*q*). Ad hanc classem etiam debent referri *Sacrificia expiatoria*, vel *piacularia*, quibus portentum aliquod, vel piaculum *expiabant*, hoc est, *piaculum* quidem *purgabant*; *portentum* vero *avertebant*: *piaculum* enim proprie significat *crimen expiandum* (*r*); metonymice autem *sacrificium*, *quo illud crimen expiatur* (*s*). Sic etiam somnia infausta, & quæ alia ominosa accidisse (*t*) dicerentur, expiabant; & hoc proprie dicebant *procurare prodigia* (*u*): hinc etiam *Jupiter Prodigialis* (*x*) dicitur, cui ea sacra fiebant.

Huc etiam pertinent *Februalia*, sive *lustrationes*: *februare* enim Sabinorum lingua significavit *expiare* (*y*), sive *purgare*: & hoc ipsum significat verbum.

(g) *Vid. Cic. Tusc. Quæst. II. 25.*
(h) *Exem. ap. Senec. Œd. 299. seqq.* (i) *Herod. I. 118. V. Barnes. ad Eurip. Jon. 812.* (k) *Virg. Æn. VII. 136.*
(l) *Juven. XII. 27.* (m) *Hor. Epist. I. 3. 36. Vid. eund. Od. IV. II. 53. seqq.* (n) *Virg. Æn. VIII. 641.*
(o) *Id. Æn. IV. 55.* (p) *Dion. Halic. I. 67. & vid. Indic. in Onom. Pollucis.* (q) *Grev. ad Cic. de Har. resp. 10.*
(r) *Virg. Æn. VI. 569.* (s) *Hor. Od. I. XXVIII. 34. Tac. Ann. XV. 44.* (t) *Tibull. III. IV. 9.*
(u) *Id. I. V. 13.* (x) *Plaut. Amph. II. II. 107.*
(y) *Vid. Ovid. Fast. II. 19. seqq.*

bum *lustrare*, deductum a Græco verbo λύειν. Hinc *Februa* dicuntur *purgamina*, sive *piamina*: & *Februarius* mensis ita est dictus (z), quod tum populus *februaretur*, hoc est, *lustraretur*, sive *purgaretur*; quia extremus olim hic anni mensis fuit (a), quo totius anni peccata purgari conveniebat. Et in genere quidem hæc sacra piacularibus sacris conveniunt; sed tamen magis proprie ita dicebantur vulgo, cum Urbs, vel agri, vel etiam universus populus lustraretur. Urbs lustrabatur, cum insignis aliqua calamitas accidisset, vel ingens aliquod scelus esset admissum, sacrificio, quod *Amburbium* (b) vocabant, quia hostiam, quæ *Amburbialis* dicebatur (c), *circa Urbem* ducebant (d): (*am* enim veteribus in compositione idem quod *circum* (e) significat) & hinc *lustrare* sæpe idem, quod *ambire*, notat (f). Similiter agri lustrabantur circumitione (g), & sacrificio pro felici proventu frugum (h); quod sacrificium inde *Ambarvale* est dictum, & a Fratribus Arvalibus peragi solebat. Populus lustrabatur quinto quoque anno a Censoribus in campo Martis *sue*, *ove*, & *tauro*, circum exercitum ductis & mox immolatis; quod sacrificium *Suovetaurilia*, vel potius *Solitaurilia* (i) dicebatur: & hoc vocabant *lustrum condere* (k), ut jam supra *Sect. I. c. 6.* §. 3. & *Sect. II. c. 9.* §. 3. diximus. Multis etiam aliis occasionibus lustratio adhibebatur, quæ fiebat spargendo adstantes ramo humido ex lauro (l), vel oliva (m).

§. IX. *Tertia Sacrificiorum divisio.*

Sacrificia etiam alia erant *stata*, & *solemnia*, quæ fiebant diebus festis in Kalendario Romano notatis, & quos hic referre longum esset. Alia erant *Fortuita* & *ex accidenti nata*; qualia, verbi gratia, erant *Expiatoria*, & quædam sacra, quæ in funeribus fiebant; ut *Denicalia* (n), & *Novendialia*; de quibus forte commodius dicemus, ubi funeris ritus explicabimus (pag. 309.): alia autem ab his *Novendia-*

(z) *Ibid.* 31. (a) *Ibid.* 49. (b) *Vopisc. Aureliano* 20. (c) *Fest. ea V.* (d) *Lucan. I.* 592. (e) *Cato apud Macrob. Sat. I.* 14. (f) *Signanter Ovid. in Ibin.* 334. (g) *Virg. Ecl V.* 74. (h) *Id. Georg. I.* 341. (i) *Fest. hac V.* (k) *Liv. I.* 44. (l) *Juven. II.* 157. (m) *Virg. Æn. VI.* 229. (n) *Vid. Fest. V. Denicales.*

vendialia erant (*o*), quæ prodigia procurandi causa (maxime cum lapidibus pluisse diceretur (*p*)) per *novem* dies fiebant. Et hoc discrimen (inter stata scilicet sacra & fortuita) tam privatim, quam publice obtinebat: nam etiam familiæ quædam sacra anniversaria habebant, quæ etiam ad hæredes transibant (*); unde *fine sacris hæreditas* apud Plautum (*q*) pro *commodo, quod alicui sine ulla incommoda appendice obvenit*, ponitur. Eaque sacra *gentilitia* dicebantur, quæ omnes unius gentis homines anniversaria faciebant (*r*). Talia fuerant Bacchanalia illa, quæ permittuntur apud Livium *L. XXXIX. c.* 18.

DE VASIS SACRIS.

§. X.

Acerra est *arcula thuraria* (*s*); vel, ut aliis placet, *foculus*, in quo thus accendebatur.

Thuribulum est vas, quo *thus* adoletur.

Præfericulum, vas æneum patens, velut pelvis, quo utebantur in sacrario *Opis Consivæ* (*t*) *.

Simpulum (*u*), vel *simpuvium* vas a *sumendo* dictum, ut vult Varro (*x*); quod priscis temporibus ligneum erat, vel fictile (*y*).

Guttum, quod vinum *guttatim* fundebant (*z*).

Patera a *patendo* dicta, qua vinum Diis offerebatur (*a*); & sanguis victimarum (*b*) excipiebatur.

Secespita est culter oblongus (*c*), vel ad jugulandam victimam, vel ad exta educenda in sacris usitatus; dictus autem est a *secando*.

Securis, & *Malleus*, quibus victima percutiebatur.

Aspergillum (*Wykwast*) factum ex pilis caudæ equinæ, quo ad lustrationes vice rami utebantur (*d*).

Præterea habuerunt *capides*, (*gutta*) (**) *candelabra: ollas extares* (*e*), *tripodas*, (qui mensæ usum

(o) *Liv. I.* 31. (p) *Vid. Cl. Clericum ad cit. Livii loc.*

(*) (Lege omnino Cic. de Leg. II. 19. 20. 21.)

(q) *Capt. IV. I.* 8. & *Trin. II. IV.* 83. *Fest. his VV.*

(r) *Cic. de Har. resp.* 15. (s) *Vid Virg. Æn. V.* 745.

(t) *Fest. hac V.* * (De *favissis* & de *futo* s. vase *futili* 151. supra p. 151. (u) *V. Hadr. Jun. animadv. II.* 10.

(x) *De L. L. IV.* 26. (y) *Juven. VI.* 342.

(z) *Varr. de L. L. IV.* 6. (a) *Virg. Æn. IV.* 60.

(b) *Ibid. VI.* 248. (c) *Fest. in hac V.*

(d) *V. Mich. Ang. Causs. de la Chausse ap. Græv. T. V. Thesaur. Antiquit. Rom. p.* 315.

(**) (Varro p. m. 31.) (e) *Plaut. Rud. I. II.* 47.

usum præbuerunt, vel ad ornatum tantum sunt habiti (f)) & multa alia.

Distinguendum hic porro est inter *Aram* & *Altare*. *Altare* augustum aliquid est, in quo victimæ adolentur; *Ara*, (quæ dicta est ab *ansa*, pro quo olim *asa* dixerunt (g); quia precantes, & jurantes, ut diximus, eam tangebant (h):) *Ara*, inquam, erat, in qua supplicabatur tantum, aut libabatur. *Altare* Diis superis (i); *Ara* terrestribus & inferis statuebatur: licet his plerumque sacra fierent in *scrobe*, vel *scrobiculo* (k). Sed hæc omnia sæpe inter se confunduntur. Erant quoque aliquando aræ subitariæ, e cespite vivo structæ (l).

CAPUT IV.

De Tempore.

§. I. De Anno.

AD Pontificum curam etiam spectavit *Ordinatio anni & temporis*; cujus *summa divisio* est *in annum, menses, & dies*.

Forma anni apud Romanos diversis temporibus diversa fuit. Primus enim Romulus instituit, vel potius a Latinis institutum accepit annum dierum 304. (a) qui dies in decem menses erant divisi, eorumque primus erat *Martius* (b); quem deinceps reliqui eodem ordine, quo hodie sequebantur. Sed cum talis annus neque solis, neque lunæ cursui conveniret, Numa eum ad lunarem anni formam redegit; quæ est dierum 354. horarum 8. minutorum, ut vulgo dicunt, 48. quibus tamen amore, ut fertur, imparis numeri unum diem adjecit; & ex aliis decem mensibus (qui absque eo triginta quinque

I 5 vel

(f) *Causs. de la Chausse d. l. p. 317.*

(g) *Macrob. Saturn. III.* (*Aram* ab *area*, si loco puro dictam vult Varro: sed vide Scal. Conj. *Altare* autem singulariter extulit Petronius Arb. c. 135.

(h) *Propert. III. 19. 84.* (i) *Virg. Ecl. V. 65. & ibi Serv.*

(k) *Ovid. Metam. VII. 243.*

(l) *Hor. Od. I. 19. Sil. Ital. VII. 750.*

(a) *Aliter Plut. Numa p. m. 71. & vid. Scalig. de emend. temp. II. p. m. 161.* (b) *Ovid. Fast. I. 39.* (De Romanor. annis ac mensibus vide præter hodiernos Chronologos Liv. I. 19. & imprimis Censorin. de D. N.)

vel triginta sex dierum fuissent) sex diebus detractis duos menses formavit, unum viginti novem, alterum viginti octo dierum, *Januarium* scilicet, & *Februarium*, quorum illum primum, hunc ultimum anni mensem statuit (*c*) : sed hic postea, nec satis certum quando, inter Januarium & Martium mensem est interjectus : Martium autem primo loco movit Numa, quod pacis potius, quam belli artibus studeret (*d*). Omnes menses imparem numerum dierum habuerunt, excepto Februario, qui ideo etiam funestus est habitus (*e*); nisi id potius fuerit, quia *Parentalia* festa majorum animabus placandis instituta, eo mense fuerunt celebrata (*f*). Cum vero annus solaris lunarem quotannis undecim diebus, & quarta circiter diei parte superaret, singulis bienniis mensis interkalaris fuit insertus post diem vigesimum tertium Februarii, qui dicebatur *Merkedonius*, & uno biennio viginti duobus, altero viginti tribus diebus constabat : & a Dea *Merkedona*, quæ *mercedibus* & pensionibus *solvendis* præerat, nomen habere creditur (*g*). At cum in eo peccasset Numa, quod annum hunc lunarem uno die justo longiorem fecisset, rursus hæc anni forma a cursu Solis recessit : itaque institutum fuit, sive a Servio Tullio Rege, sive a Decemviris, ut vigesimo tertio, vel vigesimo quarto quoque anno Merkedonius mensis (*h*) omitteretur. Sed cum hæc interkalatio arbitrii Pontificum esset (*i*), illi pro libidine sua nunc plures sæpe dies, nunc pauciores interkalabant (*k*); ita ut tempore Julii Cæsaris initium anni per sexaginta septem dies retrocessisset. Nam Pontifices, si, exempli gratia, citius aliquem magistratu abire vellent, pauciores dies interkalabant : si publicanos pensiones serius persolvere cuperent, plures inserebant (*l*). Ergo Julius Cæsar, rerum potitus, annum ad cursum solis reformavit (*m*), & jussit, ut A. U. 708. sexaginta & septem illi dies una cum Merkedonio mense adjicerentur; ita ut annus ille (qui *annus confu-*

(c) *Ovid. Fast. II. 40. V. Plut. Numa p. m. 72. A.*
(d) *Ibid. E.* (e) *Vid. Virg. Ecl. VIII. 75.*
(f) *Ovid Fast. II. 533.* (g) *Vid. Scalig. de Emend. T. II. p. m. 177.* (h) *Vid. Gronov. Observ. IV. 18.*
(i) *V. Malasp. ad Cic. ad Att. V. 9.* (k) *Vid. Manut. ad Cic. Famil. VII. 2 in f.* (l) *Suet. Jul. 49.* (Censor.)
(m) *Vid. Amm. Marc. XXVI. 1.*

confusionis dicitur) dierum esset 445. Porro vero constituit, ut annus in posterum constaret diebus 365. & horis sex, quæ horæ quibusque quatuor annis unum diem efficientes, post sextum Kalendas Martias, hoc est, 23. Februarii insererentur: unde is annus *bissextilis* (quod *sextus* dies ante Kalendas Martias *bis* numeraretur) est dictus: & hæc forma anni est, qui hodie *Julianus*, sive *stili veteris* vulgo dicitur. De anno *Gregoriano*, sive *stili novi*, ut vocant, dicere ad institutum nostrum nihil attinet.

§. II. *De Mensibus.*

Menses eadem fere nomina olim, quæ hodie apud nos, obtinuerunt: quorum ratio paucis verbis reddenda venit. *Januarius* mensis, qui annum aperit, a *Jano*, temporis Deo, est dictus (*n*). *Februarius* a *februando*, sive *purgando*, quod tum populus *purgaretur* (*o*): unde Græcis καθάρσιος, hoc est, *expiatorius* appellatur (*p*). *Martius* a *Marte*, cui sacer fuit. *Aprilis* ab *aperiendo*, quod tunc terra mater sua viscera recludat: alii ἀπὸ τῆς Ἀφροδίτης, a Venere deducunt, cui eum tanquam generis sui per Æneam auctori sacraverit Romulus. *Majus* in honorem *majorum* (*q*), sive *seniorum*; quemadmodum *Junius* in honorem *Juniorum* dicitur: licet alii *Majum* a *Maja* (*r*) Mercurii matre; alii denique a *Majestate* Dea, quæ *Honoris & Reverentiæ* filia fuit, dictum velint: *Junium* vero a *Junone*, unde *Junonius*, & *Junonialis* apud quosdam Latii populos est dictus (*s*). *Julius* mensis olim ab ordine *Quinctilis*, (scilicet a Martio initium faciendo) postea in honorem *Julii* Cæsaris *Julius* est appellatus; & eadem ratione sequens mensis *Sextilis* a Julii Cæsaris successore *Augustus* dicitur. Reliqui menses ab ordine, quem post Martium mensem obtinebant, *September*, *October*, *November*, *December* sunt dicti. Postea etiam per adulationem in sequentium Principum honorem menses quidam ab iis sunt denominati; ut *September Tiberius* (*t*); *October Livius* in honorem Tiberii, ejusque matris, (quod tamen ipse fieri vetuit) iidemque menses postea *Germani-*

I 6 cus

(n) *Supr. sect. IV. c. 1. § 14.* (o) *Supr. c. prec. §. 8.*
(p) *Plut. Rom* (q) *Ovid. Fast. V. 17. seqq*
(r) *Ibid. V. 81. seq* (s) *Id. Fast. VI. 61. seqq. Fest. V. Junius.* (t) *Suet. Tib. 26.*

cus & *Domitianus* in honorem Imperatoris cognominis appellati sunt (*u*). Imo Commodus Imperator omnibus mensibus nomina a suis cognominibus desumpta imposuit: sed hæc omnia, ut usus testatur, post mortem eorum Principum sunt abolita (*x*). (Qui menses *Neronei*, *Claudii*, *Germanici* cognomina habuerint, vid. ap. *Suet.* Ner. 55. *Tacit.* Ann. XV. 74. & XVI. 12.)

Divisi erant *Menses* in tres partes a *Kalendis*, *Nonis*, & *Idibus* dictas. *Kalendæ* dicuntur *primus dies cujusque mensis*, a verbo antiquo *Kalo*, hoc est, *voco*; quia Pontifex *kalando*, sive *vocando* novam lunam populo nunciabat (*y*). Et Kalendis quidem Januariis *munuscula* sive *strenas* sibi invicem mittebant, ut hodieque sæpe fieri assolet (*z*). Omnium autem mensium kalendis pecuniæ fœnori datæ exigi solebant (*): unde liber, in quo debitorum nomina scribebantur, *kalendarium* dicitur (*a*). *Nonæ* mensibus Martio, Majo, Julio, & Octobri sex dierum, reliquis quatuor dierum erant; & nomen sortitæ sunt, quia ad eas ab Idibus retro *novem dies* numerabantur (*b*). *Idus* probabiliter ἀπὸ τοῦ ἰδεῖν, sive a *videndo* sunt dictæ; quia tum Luna plene conspiciebatur: vel, juxta alios, ab *iduando* (*c*); quod verbum Etruscorum lingua significavit *dividere*, quia *Idus* mensem fere medium *dividunt* (*d*). Kalendæ in *Junonis* (quæ inde *Juno Kalendaris* (*e*) est dicta) Idus in Jovis tutela erant (*f*). Ratio denique dies more Romano numerandi e quovis kalendario peti potest (**).

§. III. *De Die.*

Dies civilis apud Romanos, sicut apud nos hodie, incipiebat a media nocte (*g*). † *Partes*

(u) *Id. Domit.* 13. (x) *Lampr.* 11. *Suid.* V. Κόμμοδος.
(y) *Varr. de L. L.* V. 4. (z) *Ovid. Fastor.* I. 185. *seqq. Suet. Cal.* 42. (*) Horat. Epod. 2. f.)
(a) *Vid. Celeberr. Noodt de fœnore* II. 1.
(b) *Varro l. d.* (c) *Macrob. Saturn.* I. 15.
(d) *Hor. Od.* IV. XI. 15. (e) *Macrob. Saturn.* II. 15.
(f) *Ovid. Fast.* I. 55. (& 56. ubi Kalendas *Ausonias* vocat, quod eas Græci non habebant. Unde, quid Augusti proverb. *ad Kal. Græcas* voluerit, intelligitur. *Suet. c.* 87.)
(**) (v. Append. II.) (g) *Macrob. Saturn.* I. 3.
† (i. e. in definiendo die mensis; non in horis numerandis: nam earum ratione dies dividebatur in horas XII. sive longus esset, sive brevis. Eod. modo etiam nox. Ita oriente sole numerabatur hora prima diei, & sic porro usque ad XII. Tum post occas. solis rursum hora prima noctis. F. R.)

tes ejus erant *Media nox*, *Mediæ noctis inclinatio*, *Gallicinium*, *Conticinium* (h), *Diluculum* (i), *Mane*, *ad Meridiem*, *Meridies*, *Meridiei inclinatio*, *Sol occasus*, vel *suprema tempestas* (k), *Vesper*, *Crepusculum*, *Prima fax*, *Concubium* (l), *Nox intempesta*, *Ad mediam noctem*: Sed alias dies, ut & nox, in quatuor partes, *excubias*, sive *vigilias* dictas, erat divisa.

§. IV. *De diebus festis & profestis.*

Dierum porro alii sunt *Festi*, alii *Profesti*. *Festi dies* sunt, *qui Diis sunt dicati*; iisque insunt (m) *Sacrificia*, de quibus satis diximus: *Epulæ*, cum dies divinis *epulationibus* celebrabatur; *Ludi*, qui in honorem Deorum fiunt, de quibus capite sequenti; & denique *Feriæ*. *Feriæ* dicuntur a Græco verbo ἑστιᾶν, hoc est, *festum diem agere*; olim enim *Festas* eas vocarunt (n). Fuerunt hæ Feriæ vel *Publicæ*, vel *Privatæ*: *Publicæ* rursus erant vel *Stativæ*, vel *Conceptivæ*, vel *Imperativæ*. *Stativarum* feriarum præcipuæ fuerunt *Agonalia* acta in honorem Jani idibus Januariis (o); *Carmentalia* acta in honorem Carmentæ (cujus templum erat Regione Urbis VIII. eam plurimi memorant conjugem fuisse Evandri Arcadis, & versibus oracula solitam reddere; propterea a *carminibus* dictam *Carmentam*, cum *Nicostratæ* verum ei nomen esset (p)) III. Idus Januarias (q) & XVIII. Kalendas Februarias (r); *Lupercalia* acta (XV. (*)) Kalendas Martias in honorem *Panis* (s); *Matronalia*, quæ Kalendis Martiis agebantur in memoriam dirempti a *matronis* inter Romanos & Sabinos belli (t). *Conceptivæ* feriæ sunt, quæ quotannis a magistratibus, vel a Sacerdotibus *concipiuntur*, sive *indicuntur*; quales erant *Feriæ Latinæ*, de quibus alibi diximus (u); *Paganalia*, quæ

(h) *Plaut. Asin. III. III. 97.* (i) *Id. Amph. II. II. 105.*
(k) *Lex XII. Tabb. ap. Gell. XVII. 2.* (l) *Plaut. Trin. IV. II. 44. quod tempus eleganter describit Virg. Æn. II. 258.*
(m) *Macrob. Saturn. I. 16.* (n) *Vid. Vossii Etym. Voc. Festum.* (o) *V. Ovid. Fast. I. 317. seqq.* (ubi in vocis etymon inquirit). (p) *Plut. Rom. p. m. 31.* (q) *Ovid. ib. 461.*
(r) *Ibid 617.* (*) (ex 1. Edit. supplevimus).
(s) *Ovid. Fast. II. 267. 421. seqq.* (t) *Ib. III. 170. seqq.*
(u) *Sect. II. c. 2. §. 2. & hujus Sect. c. 1. §. 2.*

quæ quotannis celebrabantur a *pagis* rusticarum tribuum Diis tutelaribus (x); *Sementinæ* feriæ actæ, cum *semina* terræ mandassent rustici, pro felici proventu frugum (y); *Compitalia* (z), quæ Laribus celebrabantur in *compitis* (a). *Imperativæ* feriæ erant, quas Consul, Prætor, vel Pontifex Maximus urgente necessitate *indicebat*, sive *imperabat* (b); cujus generis fuerunt *Novemdialia*, maxime indici solita, cum lapidibus pluisse nunciatum esset (c). *Privatæ feriæ* erant singularum familiarum, vel hominum: erantque vel *stativæ*; vel celebrabantur occasione *natalium* (d), *susceptionum fulgurum* (e), (quemadmodum Flaminica, quoties tonitrua audiisset, feriata erat, donec placasset Deos (f)) & *expiationum*, vel *funerum*. Publicæ feriæ indicebantur a Rege sacrorum (g), & a Prætore (h): ab illo, ut sacra rite peragerentur; ab hoc, ut a negotiis forensibus vacaretur: nam nullum opus feriis facere licebat, nisi quod intermissum noceret (i). (*Justitii* non meminisse auctorem, miror. Id autem *indicebatur* tum ob res publice lætas ad supplicationes aut ferias agendas, *Horat.* IV. Od. 2. 43. tum in mœrore publico, & in primis exorto tumultu ad delectum habendum. Exempla illustria sunt ap. *Liv.* III. 3. 5. & IX. 7. *Svet.* Tib. 52. *Tac.* Ann. II. 82. III. 6. Vid. & *Pedo* ad Liviam vers. 181. seqq. Cessante caussa, *remittebatur* Justitius, *Liv.* III. 5. *Tac.* Ann. III. 7. &c. Fusius hæc peragit *Brisson.* de Form. p. 259.)

De Diebus Profestis.

Profesti dies sunt, qui ad administrandam rem publicam, privatamque hominibus sunt concessi. Hi rursus erant vel *Fasti*, (Græcis δικάσιμοι (k), vel ἔνδικοι) quibus Prætori tria illa verba (l), *Do*, *Dico*,

(x) *Ovid. Fast.* I. 659. (y) *Ibid.* 657. (z) *Gell.* X. 24.
(a) *V. Ovid. Fast.* V. 140. (b) *V. l.* 26. §. 7. *ff. ex quib. cauf. maj.* (c) *Liv.* I. 31.
(d) *Ovid. Trist.* III. 13. *seqq.*
(e) *Macr. Sat.* I. 16. (Liv. III. 5.) (f) *August. de Civ. D.* VI. 10. (g) *Varro de L. L.* V. 3.
(h) *Gell.* X. 24.
(i) *Virg. Georg.* I. 258. *Tibull* II. 1. 9.
(k) *Pollux* VIII. V. 25. *ex Menandr.*
(l) *Ovid. Fast.* I. 47. *seqq.*

Dico, Addico (nam his, ut diximus, omnem suam jurisdictionem absolvebat), *fari* licebat; vel *Nefasti*, (Graecis ἀδικοι, ἄπρακτοι (m), vel ἀποφράδες) quibus id non licebat, quales erant omnes feriae, quando *res prolatae* esse dicebantur (n) (*vacantiae*); cui contrarium est, cum *res rediisse dicuntur* (o): & praeterea vindemiarum & messis tempore res prolatae erant (p). Vel denique erant dies *Intercisi* (q), vel *Endocisi* (aliis *Endotercisi*), ut olim dicebant, cum quibusdam horis jus dici posset, quibusdam licitum non esset; qui in fastis ita notantur, F. P. vel N. P. hoc est, *fastus prior*, vel *nefastus prior*. *Nefastos* autem imperite vulgo cum *religiosis* diebus confundunt, qui erant *tristi omine infames impeditique*, ut *dies Alliensis*, de quo mox (r); licet tamen verum sit, *nefastos dies* aliquando improprie pro *infamibus* poni (s); quemadmodum etiam apud Graecos ἡμέρα ἀποφράς (t).

§. V. *De aliis Dierum Discriminibus.*

Rursus alii dies erant *Comitiales*, quibus *Comitia* haberi poterant (u); alii dicebantur *Nundinae*, quasi *Novendinae*, quod *nono* quoque die redirent; (nam a *Nundinis* ad *Nundinas novem* dies erant, diversi octo, intermedii septem (x)) cum rustici ad mercatum, judicia & leges accipiendas ferendasque in Urbem venirent, &, post legem Hortensiam, ad lites quoque curandas (y): nam antea fuerant nefasti. *Praeliares* dies erant, quibus fas erat res repetere, vel hostes lacessere (z); iisque opponuntur *Non praeliares*, ut *Dies atri*, qui erant *postridie* Kalendas, nonas, & idus cujusque mensis: nam ridicule infaustum aliquid in particula *post* inesse credebant (a). Et ita etiam Graeci *dies prosperos* ἡμέρας λευκὰς vocant (b); quemadmodum e con-

(m) *V. not. ad d. l. Poll. modo d.*

(n) *Plaut. Capt.* I. 1. 10 *& seqq. V. omn. Man. & alios ad Cic. Att.* VII 12 *& ad Or. pro Mur.* 13. (o) *Id. pro Sext.* 61.

(p) *Stat. Sylv.* IV. 4. 40 *l. 1 pr. ff. de feriis*.

(q) *Ovid. d. l.* 49. (r) *Gell* IV. 9.

(s) *Horat Od.* II. XIII. 1. *Suet. Tib.* 35. (t) *Lucian. Timone p.* 137. *ed. Grev.* (u) *Ovid. Fast.* I. 53. *Tac. Ann.* XIV. 12. (x *Dion. Hal.* VII. 58. *Varr. de R. R.* II. *init. licet hodie quidam diversum sentiant*. (v. not. ad p. 37.)

(y) *Macrob. Satur.* I. 16. (z) *Ibid*

(a) *Id. Ib.* (b) *Menand.* ἐν Λευκαδίᾳ p. 112. *ed. Cl. Cler.*

e contrario Dion. Halic. IX. c. 23. diem, quo *Fabii* ad *Cremeram fluvium* sunt cæsi, μέλαιναν καὶ ἀποφράδα vocat. His diebus nil publice geri poterat; sed tamen recte distinguendi sunt a *nefastis*; *feriæ* enim, ut vidimus, erant dies *nefasti*; sed nihil minus, quam *atri*. *Inominales* dies erant quartus ante Kalendas, nonas & idus cujusque mensis (c); & etiam quædam feriæ. Denique dies *Alliensis* (d) infaustissimus habebatur; quod ea die, qui erat XV. Kalendas Septembres, Romani ad *Alliam* fluvium a Gallis, & ad Cremeram a Vejentibus cæsi fuerant (e).

In jure nostro invenimus dies *Comperendinos* (f), quos litigatores sibi invicem in diem *perendinum* denunciabant; dies *Status*, qui judicii cum peregrino, sive cum *hoste* (g) (ita enim *peregrinos* vocabant (h)) caussa instituuntur; & dies *justos*, sive triginta dies, qui dabantur ex Lege XII. Tabularum confesso, vel condemnato ad pecuniam conficiendam, vel alio modo sententiæ judicis satisfaciendum (i).

CAPUT V.

De Ludis Romanorum.

De Ludis publicis.

AD Sacra etiam pertinebat cura *ludorum publicorum*; qui fiebant, vel *Deorum immortalium iræ placandæ*; vel *benivolentiæ conciliandæ* (a); vel *pro salute populi*; vel, *ad populi gratiam demerendam* (b).

Dividi possunt primo quidem a *forma* in *Circenses*, *munera* sive *spectacula gladiatorum*, & *ludos Scenicos*: deinde a *tempore*, quod fuerunt, vel *Stati*, vel *Votivi*, vel *Extraordinarii*.

§. I.

(c) *Vid. Gell. V.* 17. (& Bentl. ad Horat. III. 14. 11.)
(d) *Ovid. in Ibin.* 219. *Cic Attic. IX.* 4. *Tac. Hist. II.* 91.
(e) *Liv.* VI. 1. (f) *Macrob. Saturn.* I. 16.
(g) *Plaut. Curcul.* I. 1. 5.
(h) *Fest.* V. *Status dies*. *Cic. de Off.* I. 12.
(i) *Gell.* XV. 13. (a) *Tac. An.* XIV. 23.
(b) *Vid. Cic. de Off.* II. 17.

§. I. *De Ludis Circensibus.*

Ludi Circenses primum a Romulo occasione raptus Sabinarum sunt instituti (*c*) in honorem Dei *Consi*, (qui, ut diximus, idem ac Neptunus fuisse videtur (*d*)) unde *Consuales* sunt dicti, & in Campo Martio primum videntur celebrati. *Circenses* autem primum dici cœperunt, cum Tarquinius Priscus *Circum* (ἱππικὸν θέατρον vocat Plutarchus *Paullo Æm. p. m.* 272.) Romæ exstruxisset (*e*) in *valle Murcia* inter Aventinum & Palatinum montes, qui postea, distinctionis caussa, cum plures Circi ædificarentur, *Circus maximus* fuit dictus. Ejus longitudo fuit stadiorum trium cum dimidio, sive passuum 437 $\frac{1}{2}$ latitudo unius stadii, sive passuum centum viginti quinque. Circum ejus aream erant *gradus*, sive *sedilia*, quæ *fori* dicebantur; quos initio sibi quisque faciebat (*f*), donec a Tarquinio Superbo lignea & permanentia sedilia (*g*), postea ab aliis lateritia, & denique marmorea sunt facta; quæ triplici porticuum ordine sustentabantur. Et dicitur quidem Tarquinius Priscus jam loca Patribus & Equitibus adsignasse (*h*); (certe singulis Curiis loca sua adsignavit, Circo in triginta partes diviso (*i*),) sed tamen libera Republica rursus promiscue spectarunt, donec primum Augustus (*k*), mox Claudius (*l*), & demum *Nero* (*m*) (ac *Domitianus*) varios ordines iterum separarunt: Augustus nempe & Claudius Senatores, Nero (& *Domitianus*) etiam Equites (*). Capiebat Circus loca, ut, qui minimum dicunt, 150000. (*n*), ut, qui plurimum, 485000. (*o*). Circuitus ejus erat mille passuum, sive stadiorum octo. In altera extremitate Circi, quæ in hemicyclum desinebat, ingens erat ostium *Mœniano* subjectum; qualia etiam duo erant a lateribus: in altera vero extremitate, quæ rectilinea erat, duo erant mœniana (*p*)

(c) *Vid. Virg. Æn.* VIII. 635. (d) *Auson. Epigr.* 69. (e) *Liv.* I. 35. (f) *Ibid.* (g) *Ibid.* 56. (h) *Liv. d. c.* 35. (i) *Dion. Hal.* III. 68. (k) *Suet. Aug.* 44. (l) *Id. Claud.* 21. (m) *Id. Ner.* 11. (*) (*Martial.* V. Epigr. 8. 14. 25. 26. 28. 36. & alibi. *Suet.* Domit. 8. V. supra p. 22.) (n) *Dion. Hal.* III. 68. (o) *Notitia dign. Imp. Occid.* 1.

(*p*) ad angulos, & in medio unum, cui rursus ingens ostium erat subjectum: atque in horum aliquo videtur fuisse *cubiculum Principis* (*q*), cui, Circum ingredienti, ab omnibus assurgebatur (*r*), & plaudebatur (*s*); in alio forte locus Editoris, quod munus sæpissime sustinebat Prætor (*t*). Ex utroque latere ostii, quod erat in parte rectilinea, sex erant ostia minora, unde equi emittebantur; quæ dicebantur *Carceres* (*u*) (Gr. φυλακή, vel βαλβὶς (*v*)) & cancellis erant clausa: hæc autem universa Circi extremitas *Oppidum* dicebatur (*vv*). Ante carceres stabant duo *Hermuli*, sive *signa Mercurii*, funem, vel catenulam tenentia, ne equi ante datum signum excurrerent (*x*); cujus loco *alba linea* aliquando videtur fuisse ducta; sive sulcus transversus creta repletus (*y*); ad quam a *moratoribus* frontes equorum æquabantur, ne ante justum tempus lineam transilirent (*z*); & hinc jam eleganter admodum Horatius *Epist. I. XVI. vers. 79. mortem* vocat *ultimam lineam rerum*. *Area* Circi, sive *arena* adversus ferarum eruptionem non tantum claustris erat circumdata; sed etiam *Euripo* (*a*), sive *canali*, qui a Nerone quidem sublatus (*b*), at postea ab aliis Principibus restitutus fuit (*c*). In medio Circi murus erat latericius, duodecim circiter pedes latus, altus quatuor, qui dicebatur *Spina* (*d*); quia tanquam *Spina dorsi* corpus humanum, ita ipse Circum secabat: ad hujus spinæ ambas extremitates columnæ, sive pyramides erant, tres in formam coni, vel cupressi, circum quas currus flectebant; ita ut spinam & metas semper a sinistra haberent (*e*); eaque dicebantur *Metæ* (*f*); unde proverbiali locutione *a carceribus ad metas*, pro *ab initio ad finem* dicimus. In media spina ab Augusto Imperatore positus fuit *Obeliscus*, altus pedes centum triginta duos ex Ægypto advectus, qui Soli

sacer

(p) *Vid. de menianis DD. ad l.* 241. §. 1. *ff. de V. S.* (& Festum cum aliis). (q) *Suet. Ner.* 12. (r) *Plin. P. neg. p.* 158. *ed. Traject.* 1652. (s) *Cic. pro Sext.* 50.

(t) *Juven.* X. 36. (u) *Varr. de L. L.* IV. 32. *Virg. Georg.* I. 512. (v) *Lucian. de non tem. cred. cal. p. m.* 413.

(vv) *Vetus Poeta ap Varr. de L. L.* IV. 32. *V. Sidon. Apollin. carm.* XXIII. *v.* 317. (x) *Cassiodor. Variar.* III. *Epist.* 51.

(y) *Cic de amic c. ult. Lucret.* VI. 91. *uterque omn vidend.*

(z) *Vid. Cl Græv Præf. T. IX. Ant.* (a) *Vid. Suet. Jul.* 39.

(b) *Plin. H N.* VIII. 7. (c) *Vid. Lampr. Heliog.* 231.

(d) *Cassiod. l. d.* (e) *Ovid. Am.* III. 2. 72. *Lucan. VIII.* 200.

(f) *Vid. Horat. Od.* I. 1. 4.

ſacer erat: nec longe inde alius erat pedum octoginta octo in honorem Lunæ erectus (g). Præterea hic erant ædiculæ quædam, ſtatuæ, & aræ Deorum, *delphines* & *ova*; de quibus mox plura. Et hæc de forma Circi.

Ante ipſos ludos ſtatuæ Deorum in *Tenſis* (h) ſuis, ſive *Ferculis* celebri *Pompa* (i) per Circum traducebantur. Atque (k) in ea pompa præterea erant procerum filii pubertati proximi equis invecti, quorum patres erant ordinis equeſtris; ceteri pedibus, qui in pedeſtri ordine erant militaturi: illi in alas & centurias; hi in claſſes, & ordines diſtributi. Inde ſequebantur curruum, & equorum ſingularium agitatores: & poſt eos athletæ pudenda tantum velati: tum ſaltatores, tibicines, citharistæ; miniſtri, qui thuribula argentea & aurea, & ſacra publica ferebant: denique Deorum ſimulacra hominum humeris portata. Et hac pompa peracta Conſules & Sacerdotes ſacra faciebant.

§. II. *De Variis Circenſium generibus.*

Ludorum Circenſium *ſex* potiſſimum genera fuerunt: *Curſus* nempe, *Lucta*, ſive *certamen gymnicum*, *Ludus Trojæ*, *Venatio*, *Pugna equeſtris & pedeſtris*; & denique *Naumachia*. Præcipue tamen *Circenſium* appellatio *equorum curſibus* adhæſit, quibus ſupra fidem & modum delectabantur Romani (l).

De Curſu.

Currebant vel *Curribus*, vel *Equis*; & *Equis* quidem vel *Singularibus*, vel *Deſultoriis*; cum in ipſo curſu ex uno in alterum tranſilirent (m).

Aurigæ (qui fere erant homines ignobiles, & plerumque ſervi, donec corruptis Reipublicæ moribus nobiliſſimi quique, imo multi ex Imperatoribus, ſeſe turpiſſime huic ſtudio dederunt) *aurigæ*, inquam, diviſi erant in quatuor *greges*, ſive *ſocietates* (quas proprio nomine *factiones* (n) dicebant) colore veſtium diſtinctas (o). Vocabantur autem *Factiones* Al-

---

(g) *P. Victor. de reg. Urb.* (h) *Vid Suet. Jul.* 75.
(i) *Ovid. Amor.* III. 12. 43. *Vid. omn. Voſſ. de Idol.* II. 10.
(k) *Dion. Hal.* VII. 72. (l) *Vid Juven.* II. 223. VIII. 118. X. 78. XI. 195. (m) *Propert.* IV. II. 35.
(n) *Feſt. hac V.* (o) *Ovid. Am.* III. 2. 78.

Albata, quæ *albis*; *Russata*, quæ *rubris* sive *russis*; *Veneta*, quæ *venetis*, sive *cæruleis* (p); & *Prasina* denique, quæ *porraceis* (πράσον Græcis est *porrum*) sive *viridibus* vestibus utebantur (q); sed harum factionum præcipuæ erant Prasina & Veneta (r). Domitianus *Auratam* & *Purpuream* factiones adjecit (s); sed earum rarior occurrit mentio. Hæ factiones universum populum in varia studia scindebant (t), ita ut pro hac vel illa factione sponsionibus certarent (u); & aurigis identidem nummos ostenderent, qui victori contingerent, ut eorum spe majores conatus ederent (x); imo ad atrocissimas seditiones aliquando hæ contentiones eruperunt (y). Et etiam Principes (sed nequiores fere) factionem aliquam sibi dilectam habebant; quod de *Cajo*, *Nerone*, *Vitellio*, *Vero* Imperatoribus ll. citt. videri potest (z).

Currendi porro *ratio hæc fuit*: Curribus ante carceres stantibus eo ordine, qui sorte obtigerat (a), (nam multum referebat ex quo quis ostio emitteretur; qui enim ex extremo ostio versus Circi latus emittebatur, longe majus spatium absolvere debebat, quam ille, qui spinæ erat proximus) ille, qui ludis præsidebat, *mappa* (b), vel *panno* (c) misso signum cursui dabat. Tum statim (d) catenula Hermulorum dimissa in cursum effundebatur a dextra parte Circi circum metas arctissime sinistram versus (e); quique primus illud curriculum septies (f) absolvisset (quod maximæ artis & industriæ fuisse facile potest concipi) victor erat (g). Hæc autem septem curricula unus *Missus* dicebantur; quales viginti quinque fere quoque Circensium die absolvi solebant (h), aliquando magna quadam festivitate plures (i): &, ne in numero cur-

(p) *Suet. Vitell.* 14. (q) *Sidon. Apoll. carm. XXIII.* 323.
(r) *Martial. X.* 48. (s) *Suet. Domit. c.* 7.
(t) *Ovid. Amor. III.* 2. 67. (u) *V. Juven. XI.* 195. *& seqq. Mart. XI.* 1. (x) *Suet. Claud.* 21.
(y) *Vid. Minut. Fel. p.* 42. *ed. Oiz. & ibi Oiz.*
(z) *Suet. Cajo* 55. *Ner.* 22. *Vit.* 14. *Capitol. Vero* 4.
(a) *Vid. Virg. Æn. V.* 132. (b) *Martial. XII.* 29.
(c) *Juven. XI.* 196. (d) *Vid. elegantem locum Lucret. II.* 265. (e) *Ovid. Amor. III.* 2. 12. *& 69. seqq.*
(f) *Varro ap. Gell. III.* 10. (g) *Propert. II. XIX.* 65.
(h) *Varro ap. Serv. ad Virg. Georg. III.* 18.
(i) *Suet. Domit.* 4.

curriculorum erraretur, ex septem *delphinibus*, (& hoc quidem, quia ludi Circenses primum in honorem Neptuni, cui hæc animalia sacra sunt, fuerunt instituti) vel (*k*) *ovis ligneis* columnis in spina stantibus impositis (*l*) quoque curriculo unum tollebant; vel, ut vult Cl. Grævius (*m*), (qui etiam *delphinas* illos & *ova* paullo aliter explicat) columnis ea imponebant. Finito missu auriga in spinam desiliebat; & postquam voce præconis victor pronunciatus esset (*n*), præmium accipiebat: quod sæpe ingens erat, etiam in pecunia numerata (*o*).

Secundum ludorum Circensium genus fuit *Gymnicum*, sive *Athleticum*; quod eorum erat, qui virium vel velocitatis gloria certabant, & comprehendit *Cursores*, *Pugiles*, & *Luctatores* (*p*). Originem habuit a Græcis (*q*), quod ex nomine patet; dicitur enim certamen *Gymnicum* a Græco γυμνὸς, *nudus*; quia *nudi* certabant, pudenda tantum subligaribus velati. Hinc etiam *Gymnasium* dicitur locus, ubi aliquis quavis ratione *exercetur*: *Athleticum* quoque dicitur, vel a Græco ἆθλος, *certamen*; vel ab ἆθλον, quod *certaminis præmium* notat; quamvis hoc nomen pugilibus tantum proprie & luctatoribus adhæserit.

Cursus certamen eadem ratione instituebatur ac id quod equorum erat & curruum; ut scilicet ex quaque factione unus vel plures currerent. Hi aliquando cum aurigis per aliquod spatium simul vecti postea desiliebant, & *Parabatæ* dicebantur (*r*). Conficiebant autem quandoque, teste Plinio *H. N. VII. c.* 20. passuum CLX. millia, & ultra.

Pugiles dicti sunt a *pugno*, ut Græcis πύκτης a πὺξ, quia *pugnis cæstibus* armatis certabant (*s*): *Cæstus* autem fuerunt *genus chirothecarum* ex corio (*t*),

(k) *Liv. XLI.* 27. *Juven. VI.* 590. (l) *Dio Lib. XLIX. circa fin.* (m) *Præf. Tom. IX Antiq. Rom.* (n) *Vid. Virg. Æn. V.* 245. (o) *Mart. X.* 74. (p) *Dion. Hal. VII.* 73.

(q) *V. Horat. Ep. II.* 1. 32. (Varias artis Gimnasticæ species enumerant *Propert. III.* 12. & *Martial. VII.* 31. Tum præter *Mercurialem* de hac arte, quæ tam ad militiam & medicinam, quam ad athletas pertinet, docte ac fuse differunt Auctores *Histor. Acad. Lit. Paris.* T. I. p. 108. Vide etiam eorumdem *Memor.* T. II. p. 120. & 250. *de saltatione* p. 197. *de Sphæristica*: p. 270. 303. 329. seqq. *de Athletis*: T. IV: p. 316. *de lucta*: p. 353. *de Pugilatu*: p. 388. *de Cursu*: p. 441. *de Pentathlo*: p. 458. *de Discor.*) (r) *Dion. Hal.* VII. 73.

(s) *Horat. Serm.* II. 1, 26.

(*t*), quibus plumbum, vel ferrum erat insutum, ut ictus essent graviores (*u*); & loris firmitatis caussa ad humeros & brachia alligabantur (*x*). (v. omn. Lamb. Bos. in Διατρ. ad 1. Cor. IX. 27. & prov. *Os pugilis*.)

De Lucta.

Lucta est, cum alter alterum in terram brachiorum viribus prosternere conatur, quæ Græcis πάλη dicitur; unde locus, ubi exercebantur luctatores, dicebatur *Palæstra*; quamvis ea vox sæpe pro *ipso exercitio* (*y*), sæpe pro *quovis gymnasio* ponitur, veluti apud *Martialem IV. n.8.* ut mihi quidem videtur. Luctatores oleo, vel ceromate ungebantur (*z*), ut membra eorum agiliora essent; & rursus pulvere, vel arena conspergebantur (*a*), quo facilius possent prehendi (*b*) (& ad sudorem comprimendum. *V. Mercur.* de arte gymnastica F. R.): unde *Anacharsis Scytha* philosophus *oleum* vocavit μανίας φάρμακον, quod eo uncti Athletæ, ut *insani*, in amicos pugnarent (*c*): & hinc etiam *decus olei* pro *præstanti athleta* ponitur apud *Catullum LXIV. vers. 64.* Omnes autem Gymnici exquitissima (*d*) diæta, & multa exercitatione utebantur (*e*). Et etiam hyeme exercebantur in loco tecto, qui *Xystum* dicebatur: *Xystum* vero erat locus apertus; ubi sudo cælo se exercebant Gr. περίδρομις (*f*). (Hanc distinctionem nihili esse, docet *Gudius* ad Phædr. II. fab. v. 18.)

Præterea inter gymnicos ludos erat *Saltus*, & *Disci jactus* (*g*); & quia ita *quinque* exercitii generibus hi ludi constabant, Græcis Πένταθλον (*h*) & Παγκράτιον, Latinis *Quinquertium* (*i*) sunt dicti: sed duo posteriora genera raro, aut nunquam apud Romanos usitata fuisse videntur.

De

(t) *Virg. Æn.* V. 404. (u) *Cic. Tusc. Quæst.* II. 17.
(x) *Virg Æn.* V. 425. *Prop.* III. 12. 9. (y) *Terent. Eun.* III. 2. 24. (z) *Juven.* III. 68. (a) *Suet. Ner.* 45.
(b) *Lucian. de Gymnas. non procul ab init.*
(c) *Diog. Laert.* I. 104. (d) *S. Paul.* 1. *ad Corinth.* 9. 25.
(e) *Vide Horat. de Arte* 413. (f) *Vitruv.* V. 2. *& ibid. Philand. Vid. Suet. Aug.* 45. *Galba* 15. *coll. c. Plut. Galba p. m.* 1050. (g) *Martial.* XIV. 152.
(h) *Plin. H. N.* XXXIV. 8. (Epict. Manual. 26. 2. ubi etiam lectu digna de Athletarum diæta invenies, F. R.)
(i) *Fest. hac v.* (Et qui quinque his certam. gener. victor fuisset, vocabatur *Quinquertio*. Id.)

De Ludo Trojæ.

Tertio: in Circo etiam *Ludus Trojæ* fiebat a pueris nobilibus (*k*) majoribus & minoribus (*l*), turmatim in equis discurrentibus & speciem ludicri certaminis exhibentibus; quod graphice describit Virgilius *Æn. V. vers.* 561. *seqq.*

De Venatione.

Quartum spectaculorum Circensium *genus* erat *venatio*; quæ erat *pugna ferarum inter se, vel cum hominibus*: vel etiam, *ostentatio tantum & traductio ferarum per Circum*: vel denique etiam, *lusus ferarum mansuefactarum, aliarumque*, ut leonis & leporis (*m*): ad quam exhibendam Circus aliquando in modum sylvæ arboribus replebatur (*n*). Prima venatio fuit *L. Metelli* (*o*), qui A.U. 503. elephantos centum quadraginta duos, de Pœnis captos, in Circum induxit; quos jaculis interfectos tradunt penuria consilii, quoniam neque ali placuisset, neque donari Regibus. Postea hæ venationes sæpissime sunt repetitæ, feris omnis generis incredibili multitudine (*p*) & immani sumptu ex dissitis regionibus Romam advectis (*q*), quæ, donec ludorum tempus appeteret, in *Vivario* servabantur, & saginabantur (*r*). Hæ feræ aliquando ab ipso populo jaculis interficiebantur; aliquando inter se pugnabant, vel cum *Bestiariis* (*s*); qui erant, vel ad hanc pœnam damnati (quod in Christianos (*t*) frequentissimum erat) vel sponte pugnabant (*u*), sive ferocia, sive auctoramento inducti; qui tamen infames vulgo habebantur (*x*).

De Pugna equestri & pedestri.

Quinto: pugna equestris & pedestris ad imaginem veri belli fiebat; castris etiam quandoque in Circo positis (*r*); ita ut multi sæpe occiderentur: & ad hunc modum Claudius Imperator in campo Martio expugnationem, direptionemque oppidi edidit (*z*).

De

(k) *Tacit. Ann.* XI. 11. (l) *Suet. Jul.* 30.
(m) *Martial.* I. 6. 14. *& alibi.* (n) *Vopiscus Probo* 19.
(o) *Plin. H. N.* VIII. 6. (p) *Ibid.* 16. *& seq.*
(q) *Cœlius ad Cic. Famil.* VIII. 2. 4. 6. *Dio* LV. *p. m.* 377. *Symmach.* IX. *ep.* 125. 132. (r) *Procop. de bell. Goth.* I.
(s) *Cic. in Vatin.* 17. (t) *Cyprian. Epist.* 54.
(u) *Juven.* VI. 55. (x) *L.* 1. §. 15. *ff. de postul.*
(y) *Suet. Jul.* 35. *& Domit.* 4. (z) *Id. Claud.* 21.

De Naumachia.

Sexto: *Naumachia*, sive *prælii navalis assimilatio* primis temporibus etiam in Circo edita fuit aqua per subterraneos meatus in eum inducta, tum ad delectationem, tum ad exercitium: postea vero solo excavato (*a*) Naumachiæ hinc inde constitutæ sunt, in quibus justis pene classibus certabatur (*b*).

Ludi scenici, & Gladiatores etiam quandoque in Circo sunt dati; sed nos de illis seorsim dicemus.

Pompa Circensium temporibus Constantini Magni sublata fuit, cum ille gentilium ritus aversaretur; & circa idem tempus Naumachia desiisse videtur; pugnas vero equestres ac pedestres ad Justinianum usque obtinuisse verosimile est; reliqua spectacula Roma a *Gothis* A. C. 410. capta, sunt abolita; sed Constantinopoli curule certamen, usque dum Urbs a Latinis, vel potius *Francis* & *Venetis* A. C. 1204. expugnaretur, permansit.

§. III. *De Gladiatoribus*.

Alterum ludorum genus fuit *spectaculum Gladiatorum*; quod olim omnium celeberrimum, & populo gratissimum fuit (*c*). Unde lege Tullia Ciceronis vetitum fuit, ne quis biennio, quo peteret, Gladiatores daret (*d*). Hoc propria voce dicebatur *Munus* (*e*); quia *munus*, sive *officium* se mortuis præstare putabant: hinc *Munerarius* & *Munerator* (*f*) est dictus, qui hos ludos *edebat*, qui etiam *Editor* (*g*), & *Dominus* (*h*): & hic per dies, quibus Gladiatores dabantur, licet privatus esset, insignibus tamen magistratuum utebatur (*i*).

Exemplum rei ab Etruscis; *origo* a funeribus fuit: quia olim captivis ad sepulcrum mactatis cæsorum manes placari credebant (*k*). Hoc prætextu ergo Romæ primum publice Gladiatores sunt dati a *Brutis fratribus* (*l*) A. U. 490. in funere patris sui (*m*), & prisca quidem Republica nonnisi in fu-

(a) *Martial. de Spectac.* 26. (b) *Tacit. Ann.* XII. 56. *Suet. Claud.* 21. (c) *Cic. pro Sext.* 58. *seqq.*
(d) *Ipse pro Sext.* 64. *In Vat.* 15. (e) *Suet. Jul.* 26.
(f) *Flor.* III. 20. (g) *Capitolin. M. Anton. Phil.* 23.
(h) *Cic. Att.* II. 19. (i) *Cic. de LL.* II. *vers. fin.*
(k) *Vid. Virg. Æn.* X. 518. (l) *Val. Max.* II. 4. 7. (*ex* I. *Edit.* Liv. Epit. XVI.) (m) *Quod turpissima ἀτισθρητιᾳ ad Bruti primi Cons. filios refert Kipping.*

funeribus illustrium virorum; sed mox quoque in privatorum (*n*), & denique etiam in mulierum funeribus sunt dati (*o*): processu vero temporis voluptatis tantum, & populi gratiam captandi caussa Gladiatores dari cœperunt (*p*). Dabantur autem a magistratibus: ut primo ab Ædilibus (*q*), ad quos proprie ludorum cura spectabat; tum a Prætoribus (*r*), & ex instituto Claudii a Quæstoribus (*s*); a Consulibus (*t*), & a Sacerdotibus aliquando, ut videtur (*u*), sed rarius dati sunt. Postea ex instituto *Alexandri Severi* Imperatoris *Arcarii* eos dederunt ex *arca* fisci (*z*); denique Imperatores, & uno verbo omnes, qui gratiam populi captabant.

In Provinciis etiam a Regibus (*a*) & Præsidibus earum, & in coloniis ac municipiis ab eorum magistratibus sunt dati; & denique etiam a privatis, & quidem vilissimis (*b*). (Sed sub Tiberio cautum fuit Senatusconsulto, *ne quis gladiatorium munus ederet, cui minor CCCC. millium res*. Tac. Ann. IV. 63.) Dies, quibus præcipue dabantur, erant Saturnalia (*c*), & Quinquatrus (Minervæ festum (*d*)); iisque diebus in honorem Principis, vel ab ipso Principe, vel a Senatu aliquando plures dies sunt additi. *Trajanus*, exempli gratia, licet optimus Princeps esset, per dies centum & viginti tres, decem millia Gladiatorum dedit (*e*): & eo denique hæc infamia evasit, ut legibus fuerit coercenda (*f*), donec a Constantino Magno plane fuit sublata (*g*): quanquam vel sic tempore res opus habuerit, ut omnino tolleretur, & demum ab *Honorio* Imperatore plane vetita fuerit (*h*).

Habebantur & alebantur Gladiatores Romæ in *Ludis* (*i*), qui plures in Urbe fuerunt; quique

K suos

(n) *Vid. Hor. Serm.* II. III. 85. (o) *Suet. Jul.* 26.
(p) *Cic. pro Mur.* 18. 36. *&c.* (q) *Suet. Jul.* 10. *& passim auctores.* (r) *Juv.* VIII. 143. (s) *Suet. Claud.* 24.
(t) *Id. Ner.* 4. (u) *Id. Aug.* 44. *Plin. Epist.* VII. 24. *licet illi forte de Circensibus, vel Scenicis ludis loquantur.*
(z) *Lampr. ejus vita* 43. (a) *Joseph. Ant. Jud.* XIX. 7.
(b) *Juven.* III. 34. *seq.* (Martial. III. 16.)
(c) *Auson. De feriis Romæ* 36.
(d) *Ovid. Fast.* III. 811.
(e) *Xiphilin. in Trajano.*
(f) *Suet. Jul.* 10.
(g) *L. un. Cod. de gladiat.*
(h) *Theodoret. Hist. Eccl.* V. 26.
(i) *Suet. Jul.* 26.

suos habebant *Procuratores* (*k*), vel *Curatores*; quod munus etiam inter honores fuit (*l*). Alebantur autem cibo multo & valido; unde *gladiatoriam saginam* dicit Tacitus *Hist. L. II. c.* 88. Præerant illis *Lanistæ*, (a *laniando*, ut videtur, dicti (*m*)) qui Gladiatores emebant, aut pueros expositios huic rei tollebant: tota autem manus, quæ sub uno Lanista erat, dicebatur *Familia* (*n*). Hi Lanistæ, cum Gladiatores erudirent, dicebantur *commentari*, & *dictata dare* (*o*), & ipsi etiam *magistri* vocabantur (*p*); quia revera scripto ea committebant (*q*): tirones autem ita instituebant, ut *rudibus* cum Lanista *batuerent* (*r*); (unde ipse ludus *Batualia* est dictus (*s*), & inde hodierna vox Gallica *Bataille* descendit) erat autem *rudis* gladius e ligno, qui Lanistis e ferula arbore (*t*), tironibus e graviore ligno fuisse videtur.

§. IV. *De Amphitheatro.*

Locus pugnæ aliquando fuit *ad rogum*, cum in defunctorum honorem munus daretur; sæpe in *foro* (*u*), quod tum signis & tabulis ornatum erat (*x*): ordinarie vero in *Amphitheatris*. *Amphitheatra* primum quidem lignea & temporaria fuerunt: sed hortatu Imperatoris Augusti *Statilius Taurus* (*y*) primum e lapide struxit. (Amphitheatri Atiliani casus Fidenæ L. hominum millia obruit. v. Tac. Ann. IV. 62. 63. cum nota Lipsii.) Maximum autem fuit, quod a Vespasiano Imperatore cœptum (*z*), a filio ejus Tito perfectum est (*a*), & hodie *Colisæum* dicitur, corrupte pro *Colossæum* a Neronis *Colosso*, qui juxta hunc locum fuit; cujus stupendæ ruinæ hodieque supersunt (*b*). Dicebatur etiam *cavea* a forma *concava* (*c*); & *arena* (*d*), quia locum pugnæ *arena* sternebant, quo certantes firmius starent (aut *scobe*, quæ cruorem imbiberet): unde etiam *arena* (*e*) pro ipso *spectaculo* di-

(k) *Id. Cajo* 27. *Grut. p.* CCCLXXVI. 3. (l) *Tac. Annal.* XI. 15. (m) *Donat. ad Terent. Eun. II. II.* 26.
(n) *Suet. Aug.* 42. (o) *Id. Jul.* 26. *Varro de L. L. V.* 7.
(p) *Cic. de Orat. III.* 23. (q) *Juven XI.* 8.
(r) *Suet. Cajo* 32. & 54. (s) *Gloss. veteres.*
(t) *Xiphilin. in Commodo.* (u) *Propert. IV. IX.* 52.
(x) *Cic. Verr. I.* 22. & *ibi Ascon.* (y) *Suet. Aug.* 29.
(z) *Id. Vesp.* 9. (a) *Xiphil. in vita ejus.*
(b) *V. Martial. de spect. I.* 2. (c) *Amm. Marc.* XXIX. 5.
(d) *Hor. Ep. I. I.* 6. (e) *Juven. III.* 34.

lo dicitur, & qui in ea pugnabant *arenarii* (*f*). Capiebat arena amphitheatri Titi locorum octoginta & ſeptem millia (*g*), & forma ejus erat, ut vulgo dicitur, ovalis (*h*). In medio arenæ videtur ara fuiſſe Jovis Latiaris; infra ſpectantes vero erant oſtiola quædam ad emittendas feras (*i*): nam hic venatio etiam quandoque inſtituebatur. Projectura muri, qui proxime arenam cingebat, dicebatur *Podium;* ad quod primi ſenatorum, & magiſtratus in ſellis ſuis curulibus ſpectabant (*k*): ubi etiam erat *Suggeſtus*, ſive *Cubiculum Principis* (*l*), *Tribunal Editoris*, & *ſedes Veſtalium* (*m*); qui locus contra inſultum ferarum cancellis (*n*), & lignis quibuſdam verſatilibus erat munitus (*o*). *Sedilia*, ſive *gradus* ſenatorum & equitum pulvillis erant inſtrati (*p*); reliqui vero nudo lapidi inſidebant, ut apud Græcos quoque obtinuit: unde ſcitum narratur dictum *Ariſtippi* a quopiam interrogati, *Cui bono eruditio? ad hoc ſaltem*, inquit, *ne in theatro lapis ſuper lapidem ſedeat*. *Præcinctiones* erant gradus majores (*q*), qui reliquos quaſi cingebant: *aditus* vero, quibus ad ſedilia ibatur, dicebantur *Vomitoria* (*r*); quia populum, qui frequentiſſimus eo convenire ſolebat, quaſi *evomebant* (*s*). Ab his profectæ *Viæ* (*t*) gradus Caveæ ſecabant, quæ dicebantur *Scalaria* (*u*): ſpatia autem inter duo ſcalaria dicebantur a forma, *Cunei* (*x*), qui certi certis erant adſignati (*y*); unde *excuneare* aliquem dicitur apud *Apulejum Florid. III. initio propius*, pro *ordine ſuo removere*. Superior Amphitheatri pars conſtabat porticibus & loco plano, ubi pullati & fœminæ ſpectabant (*z*). Infimi gradus, qui Arenæ proximi erant, Senatoribus & Le-

(f) *L. 38 pr. ff. de oper. libert. l. 21. §. 2. ff. de teſtibus.*
(g) *P. Vict. de Regg. Urb. Reg. III.*
(h) *Calpurn Ecl. VII. 33.* (i) *V. Plaut. Perſa III. III. 33.*
(k) *Juven II. 145. ſeq.* (l) *V. Suet. Jul. 76. & Ner. 12.*
(m) *Id. Aug. 44. Cicer. pro Muren. 35.*
(n) *Plin. H. N. XXXVII. 2.*
(o) *Calpurn. Bucol. Ecl. VII. 51. Amm. Marcell. XIX. 5.*
(p) *Juven. III. 153.* (q) *Vitruv. V. 3.*
(r) *Macrob. Saturn. VI. 4.*
(s) *Vid. Virg. Georg. II. 462.*
(t) *Martial. V. 14.* (u) *Vitruv. V. 6.*
(x) *Juven. VI. 61.*
(y) *Suet. Aug. 44. Martial. V. 41.*
(z) *Calpurn. Bucolic. VII. 26.*

gatis exterarum gentium erant adſignati (*a*), & dicebantur *Orcheſtra* (*b*): proximi *Quatuordecim* gradus Equitibus & Tribunis (*c*) militum ex lege Roſcia (*d*) erant tributi : reliqua loca populo patebant, & *Popularia* dicebantur (*e*) ; niſi, quod honoris cauſſa aliquando locus Gladiatoribus publice datus fuit (*f*): arbitrii Editoris etiam fuiſſe videtur iis, quos honoratos vellet, locum digniorem adſignare (*g*): quod neſcio an alias jam obſervatum ſit. Ad hæc loca cuique *diſſignanda* conſtituti erant *Diſſignatores* (*h*), qui etiam *Locarii* dicebantur (*i*); quorum proprium verbum, quum aliquem indignum loco pellerent, erat *excitare* (*k*), vel *ſuſcitare*. Erant etiam in Amphitheatris occulti *tubuli*, ex quibus ſpectantes croco diluto (*l*), aut aliis fragrantibus liquoribus conſpergebantur (*m*). Æſtu ſolis urgente totum quantum erat Amphitheatrum velis (*n*), (quæ aliquando, tanta erat luxuria temporum! ſerica (*o*) vel purpurea erant (*p*), & *velaria* etiam videntur dici *Juvenali IV. v.* 122. *Pegmata* autem, de quibus ibid. loquitur, erant machinæ ligneæ, ita artificioſe compoſitæ, ut occulte creſcerent, & decreſcerent (*q*) ; quales fere hodie videmus in dramatibus muſicis, quas *Operas* vulgo dicunt) velis, inquam, amphitheatrum obducebant; ad quem finem in ſumma muri circumferentia foramina erant, quibus mali immittebantur (*r*) : nimio autem vento hæc vela prohibente utebantur *cauſiis*, (quemadmodum Cajum Imperatorem illud Senatoribus conceſſiſſe legimus (*s*)) ſive *pileis*, & *umbellis* (*t*). Juxta amphitheatrum erat *Spoliarium* (*u*), ſive *locus*, *in quem mortui, vel lethaliter ſaucii unco trahebantur*.

§. V.

(a) *Suet. Claud.* 25. *Juſtin.* XLIII. 5. (b) *Juv* III. 177.
(c) *Mart.* III 95. (d) *Hor. Ep.* I. I. 62. (v. ſupra ad pag. 22.) (e) *Suet. Claud.* 25. *&* *Domit.* 4.
(f) *Cic. Phil.* IX 7. (g) *Id. ad Att.* II. I. *p.* 173. *ed. Græv.*
(h) *Plautinus prologus Pæn.* 19. (i) *Martial.* V, 24.
(k) *Id.* V. 14. *&* III. 95.
(l) *Id.* V. 26. *&* *de ſpectac.* 3. *Senec. Nat. Quæſt.* II. 9.
(m) *Vid. copioſiſſime de hac re diſſerentem Celeb. Ez. Spanhem. ad Callim. hym. in Apollin.* 83. (n) *Martial.* XII. 29.
(o) *Dio Lib.* XLIII. (p) *Xiphilin. Nerone*.
(q) *Mart. de ſpect.* 18. (v. omn. notas ap. Phædr. V. 7. 7.) *Claudian. de Mall. Conſ.* 323.
(r) *Lucret.* IV. 73. (s) *Dio* L. LVIII.
(t) *Martial.* XIV. 26, 27. (u) *Lamprid. Com.* 18.

§. V. *De ipsis Gladiatoribus*.

Gladiatores olim fuerunt e servis, iisque vel *ad ludum*, vel *ad gladium* damnatis; quæ duo ita differunt, quod *ad gladium damnati* intra annum consumi deberent; *in ludum* vero *damnati* post certum tempus poterant liberari (*x*). Fuerunt etiam sumpti ex captivis, aut ab Imperatore datis, aut a Lanista emptis. Postea vero etiam liberi homines aut pretio (*y*), aut libidine pugnandi (*z*) inducti in arena depugnarunt: & denique etiam viri nobiles (*a*) in gratiam Principum eo indignitatis venerunt (*b*); quin, quod magis quis miretur, etiam feminæ (*c*) hac rabie fuere correptæ; & improbo quoque novitatis quodam studio nanos in arena congredientes videre cupiverunt (*d*): sed tamen omnes infames sunt habiti (*e*). Liberi homines, qui se ipsos in arenam vendebant, dicebantur proprie *auctorati* (*f*), & eorum merces *auctoramentum* (*g*), sive *gladiatorium* (*h*). Hi auctorati jusjurandum præstabant, se omnia facturos, quæ legitimos Gladiatores deceret; cujus formula apud *Petronium Arbitrum* c.117. ita extat: *Uri, vinciri, verberari, ferroque necari; & quicquid aliud Eumolpus jussisset, tanquam legitimi gladiatores domino corpora animasque religiosissime addicimus*.

Distincti fuerunt Gladiatores tum *armis*, tum *ratione pugnandi*: nos singula eorum genera levi calamo recensebimus. Quidam dicti sunt *Secutores* (*i*), quorum arma fuerunt galea, clypeus, & gladius, vel massa plumbea (*k*): cum his plerumque committebantur *Retiarii* (*l*), qui *reti jaculo* adversarios impedire conabantur, & *fuscina* (*m*), sive *tridente* interficere: hos, cum frustra rete misissent, inter illud colligendum per arenam fugientes secutores *insequebantur*, unde illis nomen. *Threces* (*n*) *parmam*, sive *peltam* habuerunt, & *si-*

(x) *Ulpian. ap. Pithœum coll. LL. Mosaic. & Rom. Tit.* XI.
(y) *Juv.* VIII. 191. (z) *Liv.* XXVIII. 2.
(a) *Juv.* II. 143. (b) *Suet. Jul.* 39. *& Neron.* 12.
(c) *Id. Domit.* 4. (Juven. sæpius).
(d) *Stat. Sylv.* I. VI. 60. (e) *Vid. l.* 1. §. 2. *ff. de testib.*
(f) *Hor. Serm.* II. VII. 58. (g) *Vell. Paterc.* II. 28. *de Sulla, licet alio sensu, Suet. Tib.* 7. (h) *Liv.* XLIV. 31.
(i) *Cic. Att.* VII. 15. *Juv.* VIII. 210.
(k) *Isidor. Orig.* XVIII. 55. (l) *Suet. Cajo* 30. *Id. Claud.* 34.
(m) *Juven.* II. 143. (n) *Horat. Serm.* II. VI. 44.

& *sicam*, sive *harpen*, qui gladius est incurvus (*o*); cum quibus fere compositi fuerunt *Mirmillones* (*p*), qui *piscis* effigiem in galea habebant: unde Retiario cum Mirmillone pugnante (nam & hi sæpe committebantur) canebatur: *Non te peto: piscem peto; quid me fugis, Galle* (*q*)? *Samnites*, qui postea *Hoplomachi* (*r*), scuta habebant argento cælata (*s*), *baltheum*, sive *Spongiam* (ut Livius loco in margine libri citato appellat) pectoris tegmen, ocreas in crure sinistro (*t*), galeam denique cum cristis, sive pinnis. *Essedarii* ex *essedo* Gallorum & Britannorum (*u*) more pugnabant (*x*); *Andabatæ* vero ex equis, & quidem clausis oculis (*y*). *Dimacheri* duobus gladiis (*z*); *Laquearii laqueo* ad adversarios impediendos utebantur (*a*). Et hæc fere diversa gladiatorum genera fuerunt. Sed tamen etiam aliis cognominibus fuerunt distincti: dicti enim sunt quidam *Suppositicii* (*b*), qui aliis victis, vel fessis *supponebantur*; quidam *Meridiani*, qui inermes fere & indocti pugnabant (*c*); alii *Fiscales*, sive *Cæsariani*, & *Aulici*: ex quibus fuerunt *Postulaticii* (*d*), qui a populo nominatim *postulabantur* (*e*), quod eximii arte, virtute, & ornatu essent: *Catervarii* denique dicti, qui confuse & *catervatim* pugnabant (*f*). *Arma* gladiatorum *Ornamenta* dicebantur (*g*).

Ante ipsum muneris diem Editor per libellum publice affixum illud edicebat (*h*), quod etiam *pronunciare* (*i*), *ostendere*, *proponere munus* dicebant. In eo libello numerum & nomina celebriorum Gladiatorum (*k*), & totius muneris apparatum edebant; eumque etiam in provincias mittebant (*l*): quin etiam in tabella omnia illa depingebant (*m*).

§. VI.

(o) *Vid. Juven. VIII.* 100. *Suet. Cajo c.* 32. (p) *Auson. Technopægnio p.* 488. *ed. Tollii*. (q) *Fest. V. Retiarii*.
(r) *Suet. Cajo* 35. (s) *Vid. Liv. IX.* 40.
(t) *Vid. Juven. II* 158. *&* *VI*.255. (u) *Tac. Agr.*35. *seqq.*
(x) *Cæs. B. G. IV.* 33. *Virg. Georg. III.* 204.
(y) *Vid. Mart. V.*24. (hoc nil ad rhombum, Sed Epig. seq. *Hermen omnibus eruditum armis* laudat. Ceterum de prov. *Andabatarum more pugnare*. v. Erasmum.) *Cic. ad Fam. VII.* 10.
(z) *Artemidor II.* 3. (a) *Isid. Orig. XVIII.* 56.
(b) *Martial. V.* 24. (c) *Suet. Claud.* 34. *Senec. Epist.* 7.
(d) *Vid. Suet. Domit.*4. (e) *Claud.* 2. *Mart. de Spect.* 22.
(f) *Vid. Suet. Aug.* 45. (g) *Id. Tit.* 9. *Fest. V. Ornatus*.
(h) *Senec. epist.* 117 (i) *Suet. Jul.* 26.
(k) *Cic. ad Famil. II.* 8. (l) *Cic. Ibid.*
(m) *Hor. Serm. II. VII.* 95. *seqq.*

§. VI. *De ratione pugnandi, &c.*

Ipso Muneris die, cum *Pompa* traducta esset, (n) *paria* inter se *componebant*; (unde eleganter *Homerum Deorum paria composuisse* dicit *Minucius Felix p. 67. ed. Rigaltii*) vel *comparabant* (o): & quidem pares cum paribus (p): mox gladii explorabantur (q), an satis acuti essent arbitrio Editoris (r). His factis *præludebant* rudibus ferientes (s), & arma hastasque mira quadam arte jacientes (t), quod proprio verbo *ventilare* dicebant (u); unde hæc vox translate *doctrinam aliquam per examen discutere* significat apud Boethium *de Consf. Phil. III. metr. XI.* nisi ibi potius pro *evannare* sumatur. Deinde signo tuba dato abjectis *lusoriis* armis ad *decretoria* (x) transibant; quod etiam *versis gladiis* (y) pugnare dicebatur. Tum magna cura se *componebant* (z), & *in statu stabant* (a); unde illæ locutiones apud Ciceronem ortæ, *moveri* (b), *dejici*, vel *deturbari de statu mentis* aut *animi* (c); *depelli gradu* (d) &c. Denique se *petebant* (e), & *repetebant* (f), (unde de caussarum actionibus translate hoc verbo utitur Cicero (g)), quæ propria invadendi verba erant, sicuti vitandi, *exire* (h), vel *excedere* (i). Præcipua autem iis cura erat, ut *latus tegerent*; quo respicit hæc locutio apud *Terentium* in *Heautontimoroumeno A. IV. S. II. v. 5. Triumpho, si licet me latere tecto abscedere*; hoc est, *incolumem*: & altera apud Ciceronem *in Vatinium c. 5. Per alterius latus peti*. Contra, *latus apertum dare*, vel *nudum*, est, se *periculo objicere* (k). Gladiatore aliquo vulnerato populus acclamabat, *Hoc habet* (l): at ille *arma submittebat* (aut digitum tollebat. *V. Chil. Erasmi*), quod

(n) *V. Capitol. M. Ant. Phil.* 19. *Hor. Serm. I. VII.* 23.
(o) *Cic. ad Quint. fr. III.* 4. *Liv. XXX.* 28. (p) *Alludit eleganter Plin. Hist. Nat. VIII.* 12. (& Terent. Andr. II. 3. 4.)
(q) *Suet. Tit.* 9. (r) *V. Lips. Exc. ad Tac. Ann. III.* 37.
(s) *Ovid. Art. Am. III.* 515. (t) *Mart. IX.* 38.
(u) *Senec. Epist.* 17. (x) *Ovid. Art. Am. III.* 589.
(y) *Plaut. Cas. II. V.* 35. ubi vidend *Lips.*)
(z) *Sen. de Prov.* 3. *Petron.* 19. (a) *V. Plaut. Mil. glor. IV. IX.* 12. (b) *Laberius ap. Macr. Sat. II.* 7.
(c) *Cic. de Orat.* 17. (d) *Nepos Temist.* 5.
(e) *Serv. ad Æn. IX.* 439. (f) *V. Suet. Caj.* 58.
(g) *Divin. in Verr.* 14. (h) *Virg. Æn. V.* 438.
(i) *Cic. Catil.* 1. 6. (k) *Tibull. I. IV.* 45. *& ibi Broukh.*
(l) *Vid. Senec. Agam.* 895. *Virg. Æn. XII.* 295.

victi signum erat; sed tamen salus ejus ab arbitrio populi (*m*), vel aliquando Editoris pendebat: imo Imperatoris solo adventu læso missio concedebatur (*n*). *Missio* autem distinguenda est a *Rude*: *Missio* enim victo (*o*); *Rudis* victori tribuebatur (*p*): hujus perpetuus; illius in eum tantum diem erat effectus: aliquando vero sine missione (*q*) pugnatum fuit, quod Augustus fieri vetuit (*r*). Itaque si populus Gladiatorem servari vellet, *pollicem premebat* (*s*), si occidi, *pollicem* (*t*) *vertebat*; &, ut *ferrum reciperet* (*u*), jubebat; ad quod ultro jugulum præbere solebant (*): de qua re dignissimus est qui videatur *Seneca Epist.* 7. & *de tranquill. animi c.* 11. ubi etiam Ciceronis locum in eum finem citat. Aliquando etiam ictus repetebant, & manum in vulnus mittebant (*x*), ne quis morte simulata evaderet. Nihil igitur mirum post hæc tam atrocia, si apparatus funebris, sive *Libitina* (*y*) in Amphitheatro fuerit: unde etiam una ex ejus portis *Libitinensis* est dicta (*z*). Huic opposita fuisse dicitur porta *Sana vivaria*; ut docet Cl. Grævius *Præf. ad T. IX. Antiq. Rom.* ex *passione SS. Perpetuæ & Felicitatis*, & *paralipomenis ad eam Petr. Possini*: ego tamen dubito, an ea vox priscæ Latinitatis sit. *Præmia* victoribus data fuerunt *Palma* (*a*), *Pecunia* (*b*), & denique *Rudis* (*c*). *Rudis* arbitrio populi dabatur ab Editore, vel lanista Gladiatori veterano, vel etiam novicio in strenuo aliquo facinore. Effectus ejus erat, ut auctorati quidem libertatem reciperent, servi vero vacationem tantum a pugna (*d*): hi enim, ut liberi fierent, *pileo* etiam donari debebant (*e*). Rude donati dicebantur *Rudiarii*, & arma sua ad Herculis (*f*) consecrabant: qui peculiaris Gladiatorum Deus erat; unde etiam *Commodus* Imperator, qui item Gla-

(m) *Horat. Epist. I. I. 6. Senec. epist.* 117.
(n) *Ovid. de Ponto II. VIII.* 53. (o) *V. Martial. XII.* 29.
(p) *Id. de spect.* 32. (29.) (q) *V. Apul. Metam. II. in med.*
(r) *Suet. Aug.* 45. (s) *Plin. H. N. XVIII.* 2. *V. Hor. Ep. I. XVIII.* 65. (t) *Juv. III.* 35. (u) *Cic. pro Sext.* 37.
(*) *Id. pro Mil.* 34. & *Tusc Quest. II.* 17.
(x) *Lampr. Comm.* 16. (y) *Plin. H. N.* XXXVII. 3.
(z) *Lampr. l. d.* (a) *Mart. de spect.* 32.
(b) *Suet. Claud.* 21. *Juv.* VII. *ult.* (c) *Hor. Epist.* I. 1 2.
(d) *Ovid. Amor.* II. IX. 22. (e) *V. Ulpian ap. Pith. coll. LL. Rom. & Mosaic. Tit.* XI. (f) *Hor. Ep.* I. I. 4.

Gladiator erat, Herculis instar effingi voluit (*g*). Hi tamen postea aliquando iterum pugnabant ingenti auctoramento inducti (*h*): cum vero, vel propter ætatem, vel propter debilitatem ludo abirent, *delusisse* dicebantur (*i*).

Factionibus, studiis, & sponsionibus in arena eodem modo certabatur (*k*), ac in Circo.

§. VII. *De Ludis Scenicis.*

Tertium ludorum genus fuerunt *Ludi Scenici*, qui celebrabantur in *Theatris*, quorum forma fere erat semicircularis, sed lateribus paullo productioribus. Et antiquis quidem temporibus stantes spectarunt; imo A. U. 599. occasione theatri tunc primum structi Senatusconsulto cautum est (*l*), *ne quis in Urbe propiusve passus mille subsellia posuisse, sedensve ludos spectare vellet*: sed tamen etiam sedendi in theatris mentionem fieri videmus in *prologis Plautinis in Captivos, in Pseudolum*, & aliis: unde quis existimare possit eos Plauti non esse. Postea temporaria theatra per occasionem exstrui cœperunt, quale fuit illud magnificentissimum *M. Æmilii Scauri*, dum ludos Ædilis faceret, quod capiebat octoginta millia hominum, & cujus apparatus (quod, nisi idoneo tibicine fulciretur, omnem fere fidem superat) constitit *H. S. millies*, hoc est 2500000. *Philippeis* (*m*). Primus autem Pompejus in consulatu suo secundo (*n*) Theatrum ex lapide quadrato exstruxit, quod capiebat quadraginta millia locorum: ne vero notam censoriam incurreret, superposuit (*o*) ei Ædem Veneris, *cui*, inquit in edicto, quo populum ad ejus dedicationem convocabat, *subjecimus gradus spectaculorum* (*p*). Postea plura Theatra Romæ fuerunt (*q*), & præcipua quidem *Marcelli* ex marmore (*r*), & *Balbi*.

De *sedilibus theatri*, & eorum forma eadem fere sunt dicenda, quæ de Amphitheatro; ut etiam de velis, quibus tegebatur; & de odoribus in eo sparsis (*s*). Theatra, cum comœdia quidem age-

 retur,

(g) *Lamprid: Comm.* 8. *seq.* (h) *Suet. Tib* 7.
(i) *Plin. H. N. XXXVI.* 27. (k) *Suet. Tit.* 8. & *Domit.* 10. *Martial. IX.* 68. (l) *Val. Max. II* 4. 2.
(m) *Vid. Plin. H. N. XXXVI.* 15. (n) *Id. VIII.* 7.
(o) *Vid. Suet. Claud.* 21. (p) *Tertull. de spect.* 10.
(q) *Ovid. Trist. III. XII.* 23. (r) *Id. Amor. II. VII.* 3. (De Theatro præter alia consulendæ *Memor. Acad. Litt. Paris.* T. I. p. 174. seqq.) (s) *Propert. IV. I.* 15.

retur, sacra erant Apollini (*t*); cum vero tragœdia, Baccho: & hoc, quia tragœdia apud Græcos in honorem Bacchi fuit peracta (*u*), cujus ara ad alterum theatri cornu stabat; ad alterum vero illius Dei, in cujus honorem ludi agebantur (*x*). Hinc porro *Tragœdi* vocantur οἱ περὶ Διόνυσον τεχνῖται (*y*), & ipse Bacchus *Sophoclem tragicum* vocat *delicias suas* (*z*): inde etiam οὐδὲν πρὸς Διόνυσον esse, vel ἀπροσδιονύσως *fieri aliquid* dicitur, *quod nihil ad rem facit*; æque ac si Tragici non ad laudem *Bacchi*, sed alia quævis cantarent.

Theatri partes erant *Scena*, *Proscenium*, *Postscenium*, *Pulpitum*, & *Orchestra*. *Scena* (alii *scæna* scribunt; quia *Aeoles*, a quibus magna pars linguæ Latinæ, dixerunt σκαινὴ & σκανὴ (*a*)) erat locus, unde primum actores prodibant, & porrigebatur ab uno theatri cornu ad alterum; eratque triplex: *Tragica*, quæ in regium morem signis & columnis erat ornata; *Comica*, & *Satyrica*, quæ arbores, speluncas, montes, &c. præferebat. Erat etiam Scena vel *Versatilis*, cum subito tota scena machinis quibusdam *vertebatur*; vel *Ductilis*, (qualem nostram hodie dicere posses) cum tractis tabulatis facies scenæ interior nudabatur (*b*); vel *aulæa* subducebantur (*c*); unde *aulæa* pro *ipsis ludis* ponuntur (*d*). Scena enim, ut hodie apud nos picturis est ornata, sic olim aulæis erat tecta (*e*), quæ *Siparia* dicebantur (*f*). Sed etiam anterior scenæ facies aulæo tecta erat; quod aperta scena humi jacebat (*g*); peracta fabula tollebatur (*h*). *Proscenium* erat locus scena depressior, in quo agebant & loquebantur maxime histriones (*i*). *Postscenium* erat locus, in quo peragebantur ea (*k*), quæ apte vel decore in Scena agi non poterant (*l*): licet tamen vox ea vix usu vulgi obtinuisse videatur. *Pulpitum* fuit locus in proscenio elevatior

(*t*) *Donat. ad Ter. Andr. IV. III. 11.*
(*u*) *Vid. Virg. Georg. II. 310. ibique Serv.*
(*x*) *Plaut. Most. V. I. 45. seqq & in Pud. II. IV. 34.*
(*y*) *Aristot. ap. Gell. XX. 4.* (*z*) *Plin. H N. VII. 30.*
(*a*) *Vid Voss. Etymol.* (*b*) *Virg. Georg. III 23. & ibi Serv.*
(*c*) *Ovid. Metam. III. 111.* (*d*) *Juven. XIV. 263.*
(*e*) *Hor de Arte 154.* (*f*) *Juven. VIII. 185. ubi vid. not.*
(*g*) *Hor. Ep. II. 1. 180.* (*h*) *Cic. pro Cal. 27.*
(*i*) *Serv. ad Virg. Georg II. 381.* (*k*) *Lucret. IV. 1178 loco les. antissimo.* (*l*) *Horat. de Arte 182. seqq.*

tior (*m*), in quo recitantes stabant: & aliquando pro *ipsis ludis scenicis* ponitur (*n*). *Orchestra* denique (quasi *Saltatorium* dicas a Græco ὀρχεῖσθαι, sive a *saltando*) erat locus ultimus (*o*), in quo saltabatur, & juxta quem sedebant Senatores (*p*). Qui ita etiam dicebantur *sedere in Senatu* (*q*), quemadmodum etiam *in Equite spectare* (*r*) pro *in Equestribus* dicitur. Græci etiam τὴν Βουλὴν pro loco Senatorio dixerunt (*s*).

Origo totius *rei* ab Etruscis fuit (*t*); eaque circa A. U. 389. primum (*u*) Romæ usurpari cœpit; unde etiam actores *Histriones* sunt dicti ab Etrusca voce *Hister*, quæ *ludium* notat (*).

Ludorum Scenicorum genera apud Romanos fuerunt *Comœdia*, *Tragœdia*, *Satyra* & *Mimus*.

Comœdia (κωμῳδία a κώμη *vicus*, *pagus* & ᾠδὴ *cantus*) (*x*) est *poema dramaticum sive negotiosum, exitu lætum, stilo populari conscriptum*. Distincta fuit Comœdia apud Græcos (quorum inventum fuit) (*y*) in *Veterem*, *Mediam* ac *Novam*; apud Romanos vero a *personis in scenam productis* in *fabulas Prætextatas* (*z*), quibus scilicet inducebantur personæ *prætextam* vestem gerentes, sive Magistratus & Sacerdotes: hisque similes videntur fuisse *Trabeatæ*, quas invenit C. *Melissus* grammaticus (*a*); *Togatas* (*b*), (quales scripsisse *Afranium* legimus (*c*)) quibus privati; & denique in *Tabernarias* (*d*), quæ vilissimorum hominum, qui in *tabernis* fere degere solent, actiones imitabantur; sed tamen in genere omnes fabulæ Romana lingua conscriptæ *Togatæ* sunt dictæ, ut a *Palliatis* (*e*), hoc est, *Græcis* distinguerentur. Diversi ab his generis fuerunt *Atellanæ* ab *Atella* municipio dictæ, quæ agebantur a scurris urbanis (sed & ab juventute honestiore, ut videtur dicere Livius VII. *cap.* 2.) inter & post actus fabularum ridicularia fun-

K 6 denti-

(m) *Ovid. Trist. II.* 517. (n) *Juven. VIII.* 195.
(o) *Auson. ludo VII. Sapient. in Cleob.* 4.
(p) *Suet. Jul.* 39. (q) *Id. Claud.* 25. (r) *Id. Domit.* 8.
(s) *Lucian. de Saltat. p. m.* 816 (t) *Val. Max. II.* 4. 4.
(u) *Liv. VII.* 2. (*) *Vid. Ovid. Art. Am. I.* 111.
(x) *V. Jul. Cæs. Scalig. Poet. I.* 5.
(y) *Hor. Serm. I. IV. init. Id. de Arte* 281.
(z) *Ibid.* 288. (a) *Suet. de ill. Gramm.* 21.
(b) *Juven. I.* 3. (c) *Gell. N. A. XX.* 6.
(d) *Diomed. III.* (e) *Vid. Hor. de Arte* 278.

dentibus (*f*): unde etiam vocantur εἰσόδια, ἐξόδια & ἔμβολα (*g*), quemadmodum etiam πάροδος est carmen, quod chorus sub primum ingressum in theatrum canebat, quod sequebatur στάσιμον (*h*). Atellani ludi etiam *Osci* dicuntur, quorum urbs *Atella* fuit (*i*).

Tragœdia est *imitatio per actiones illustris fortunæ exitu infelici, oratione gravi* (*k*), *& metrica* (*l*). Dicta est a Græca voce τράγος, quæ *hircum*, & ᾠδὴ, quæ *cantum* notat; quia scilicet olim apud Græcos *hircus* actorum præmium erat (*m*). Tragœdi *palla*, sive *syrmate* erant induti, unde *Syrma* pro *ipsa tragœdia* (*n*), sive *rebus tragicis* ponitur, & hinc etiam pro *verbis magnificis & ampullatis* (*o*): tum *personis* (*p*), sive *larvis* utebantur (unde eleganter *Publius Mimographus Heredis fletum sub persona risum* vocat) sed ante larvas inventas *fæcibus* ora perungebant (*q*); unde τρυγοδαίμονες dicti *Aristophani* (*r*). *Cothurnos* (*s*) denique, sive *calceos altiores* gestabant, quo statura proceriores & augustiores esse viderentur: Comœdi vero gestabant *soccos* (*t*); unde hæ voces sæpe pro *ipsis fabulis* ponuntur, ut in loco Horatii in margine libri citato: vel etiam pro *stilo*, sive *gravi*, sive *populari* (*u*). Peracta autem fabula, si quidem *steterat* (*x*), hoc est, *placuerat*, populus clare *plaudebat* (*y*): sin minus, sibilis (*z*), & supplosione pedum explodebatur, & tum *cadere* dicebatur, eamque *exsibilationem* eleganter *pastoritiam fistulam* vocat Cicero ad *Atticum* I. *ep.* 16.

Satyra poema est argutum & mordax, dicta juxta quosdam a *Satyris* Diis protervis: sed verius *Satira*, vel *Satura* scribitur, & a *lance satura*, sive *variis rebus referta* denominatur: est enim *omnigeni argumenti poësis* (*a*), at maxime *morda-*

(f) *Juven. VI. 71. & vid. eund. III. 174.*
(g) *Scal. ad Manil. V. 145.* (h) *Poll. IV. VII. 53.*
(i) *Vid. Cic. ad Fam. VII. 1. & ibi Græv.*
(k) *Hor. arte 280.* (l) *Scal. d. l. 5.*
(m) *Hor. arte 220.* (n) *Juven. VIII. 225. XV. 30.*
(o) *Mart. IV. 49.* (p) *Hor. arte 278.* (q) *Ibid. 277.*
(r) *ἐν νεφέλ. 294.* (s) *Juven. XV. 29.*
(t) *Horat. arte 80.* (u) *Mart. V. 5. VIII. 3. Propert. III. XVI. 30.* (x) *Hor. Epist. II. I. 175.*
(y) *V. ubique eam clausulam in fine comœdiarum Plauti & Terentii. V. Quinctil. VI. 1.* (z) *Cic. pro Rosc. com. 11.*
(a) *Scalig. ad Manil. V. 487.*

dacis, quales *Horatii*, *Lucilii*, aliorumque Satiræ fuerunt: hæc a Romanis potissimum exculta fuit, licet a Græcis originem habuerit (*b*). (vid. unum instar omnium Casaub. de Satyra Rom. qui Liber etiam fasciculis Crenii est insertus. F. R.)

Mimus est *poema, quod sermones & facta cujusque imitatur cum lascivia* (*c*); & denominatur a Græco verbo μιμεῖσθαι, hoc est, *imitari*: ipsi quoque actores *Mimi* dicuntur, & erant vulgo impudentissimi (*d*). Hinc porro *Pantomimi* sunt dicti homines, qui saltando (*e*) & gesticulando *omnia* miris modis *effingere* noverant (*f*). Hos primus invenisse dicitur Mœcenas; vel, ut alii tradunt, ipse Augustus: erant autem *nudis pedibus*, unde *Planipedes* aliquando sunt dicti (*g*).

§. VIII. *De aliis Ludorum generibus*.

A *tempore* etiam *Ludi dividuntur*; ita ut fuerint vel *Stati*, vel *Votivi*, vel *Extraordinarii*.

Ludi Stati fuerunt, *qui certo tempore in honorem alicujus Dei fiebant*, quales erant

Primo, *Megalenses* sive *Megalesia*, acta in honorem *Magnæ Deorum matris*: celebrabantur autem potissimum ludis Scenicis (*h*) (pridie Non. Apriles & deinceps); & per eos dies proceres *mutitabant*, hoc est, *munera sibi invicem mittebant* (*i*); & convivia mutua inibant; quemadmodum plebs Cerealibus (*k*).

Secundo, *Cereales*, quibus matronæ luctum *Cereris* Proserpinam a Plutone raptam quærentis, repræsentabant, fiebant pridie Idus Apriles per octo dies certaminibus equestribus habitis (*l*).

Tertio, *Florales* in honorem Floræ acti IV. Kalendas Maji, ut *flores* recte provenirent (*m*). Vid. supr. III. c. 1. §. 31.

Quarto, *Martiales* in honorem *Martis Ultoris* (*n*) celebrabantur IV. Idus Maji ludis Circensibus (*o*). Quin-

(b) *Horat. de Arte* 220. (c) *Ovid. Trist.* II. 515. *Mart.* III. 86.
(d) *V. Cl. Græv. ad Cic. or. pro Cæl.* 27. (e) *Horat. Ep.* II. 2. 125.
(f) *Juven.* VI. 63. *Suet. Ner.* 54. *V. omn. Manil.* V. 472.
(g) *Juven.* VIII. V. 190. (h) *Ovid. Fast.* IV. 187. (Originem horum ludorum narrat Liv. XXIX. 14. f.)
(i) *Ovid. ib.* 353. (k) *Gell.* II. 24. (l) *Ovid. Fast.* IV. 391. *seqq.* (m) *Id.* V. 317. (n) *Ib.* 551. *seqq.*
(o) *Ibid.* 597.

Quinto: *Apollinares III.* Nonas Quinctileis a Prætore Urbano in Circo & in Theatro (*p*) celebrati (*q*).

Sexto: *Capitolini*, qui fiebant *Jovi Capitolino* pro servato a Gallis *Capitolio* (*r*); qui distinguendi sunt ab *agone Capitolino*, quem Domitianus Imperator instituit, ut singulis lustris celebraretur (*s*), quo præcipue certabant poetæ (*t*).

Septimo: *Ludi Romani*, sive *Magni* celebrati a pridie nonas ad pridie Idus Septembris in honorem *Magnorum Deorum* (*u*) (i. e. *larium* urbis Romæ), Jovis nempe, Junonis & Minervæ pro salute populi: & hi aliquando male cum *Megalesiis* confunduntur (*v*).

Octavo: *Plebeji Ludi* in Circo facti XVII. Kaendas Novembres (Decembres *secundum Fastos*: (*)) in memoriam libertatis exactis Regibus recuperatæ, aut *plebis* cum Patribus post secessionem in Aventinum reconciliatæ (*vv*).

Nono: *Consuales* acti in honorem *Consi*, sive Neptuni XII. Kalendas Septembres in memoriam raptarum Sabinarum (*x*).

Decimo: *Ludi Compitalitii* in honorem Deæ Maniæ (*y*) & Larium celebrati in *compitis* (*z*): & maxime quidem a servis, unde eos aliquando vetitos fuisse videmus, ne occasio ipsis conspirandi daretur (*a*). Curabantur autem a Magistris vicorum (*b*).

Undecimo fuerunt etiam *Ludi Augustales* (*c*), & *Palatini* (*d*), qui in honorem Augusti & Cæsarum sunt celebrati.

Duo-

(p) *Cic. cl. or. 20. Att. II.* 10. *&c.* (q) *Vid. Liv. XXV.* 12. (& XXVII. 23. cum nota Th. Hearne.)

(r) *Id. V.* 50. (& 52.) (s) *Suet. Domit.* 4. *Juven. VI.* 387.

(t) *Stat. Silv.* III. 31. V. III. 234 (u) *Cic.* V. *in Verr.* 14.

(v) *V. Manut. ad Cic. Famil.* II. 11. (Iidem qui *Circenses*. At *Conso* sacros quoque fuisse, contra Ascon. negat Rosinus.) (*) (Ex Rosini Lib. V. 20. hunc errorem transcripsisse videtur, qui tamen p. 297. recte se habet. Similiter omnino lapsum video Manutium ad Cic. 1. Act. Verr. 10. ubi victoriæ ludos ait celebratos fuisse VI. *Kal. Octobr.* cum Novembr. dicere debuisset.)

(vv) *Ascon. ad Cic. Verr.* II. (potius *Act.* I. *c.* 10.)

(x) *Varro de L. L.* V. 3.

(y) V. *Ovid. Fast.* II. 571. *seqq.*

(z) *Plin. H. N.* XXXVI. *in fin.*

(a) *Cic. in Pis.* 4. *ibique Ascon. & alii.*

(b) *Cic. in Pis.* 4. (c) *Dio* LVI. *in f.*

(d) *Suet. Cajo* 55.

Google

Duodecimo: *centesimo & decimo* quoque anno (*e*) agebantur *Ludi Sæculares* pro incolumitate Imperii (*f*), ex commentariis Quindecimvirorum, quibus eorum cura incumbebat (*g*). Iis instantibus præco populum ad *ludos* convocabat, *quos nunquam quisquam spectasset, nec spectaturus esset* (*h*). Celebrati autem fuerunt præcipue in honorem Apollinis & Dianæ per tres dies & noctes (*i*) continuas ludis per omnia theatra celebratis, & sacrificiis ad omnia templa peractis. Tertio demum die in Apollinis Palatini templo viginti septem pueri nobiles, & totidem virgines, omnes patrimi & matrimi, carmen sæculare canebant (*k*).

Votivi Ludi sunt, qui ab Imperatoribus ad bellum ituris *voventur*; quibus postea accesserunt *Ludi Quinquennales*, *Decennales* (*l*), *Vicennales* ab Imperatoribus facti, cum *quinque*, vel *decem*, vel *viginti* annos imperassent.

Extraordinarii ludi fuerunt *Funebres*; *Juvenales*, quos instituit Nero Imperator, cum primum barbam poneret (*m*); *ludi*, *qui a Magistratibus in auspiciis honorum dabantur*; tum *natalitii*, & alii variis occasionibus dati.

In theatris etiam, sicuti in circo, partes & factiones erant (*n*). Poetæ autem, qui fabulas agendas exhibebant, *docere* (*o*) eas dicebantur; quemadmodum etiam Græci τῷ διδάσκειν utuntur (*p*). Sed histriones infames erant, ita ut tribu moverentur, præter Atellanarum actores (*q*).

Hæc autem materia nostris moribus quidem minus seria videri possit; sed apud Romanos, quibus hæc cultus divini pars erat, aliter obtinuit; & hæc talia etiam in acta publica relata sunt (*r*); quæ *acta Urbis diurna* videtur vocare Tacitus *Annal. XIII. cap. 31.*

SE-

(e) *Hor. Carm. sæc.* 21. (v. omnino Censor. de D. N. 17. & Scalig. de Emend. Temp.)
(f) *Ibid.* 45. & 61. & *Od. IV.* 6.
(g) *Id. Carm sæc.* 69. *Vid. omn. Zosim. II. p. m.* 72. *seqq.*
(h) *Ovid. Trist. II.* 25. *Suet. Claud.* 21.
(i) *Horat Carm. sæc.* 23. (k) *Ibid.* 5. *seqq.*
(l) *Dio LIII.* (m) *Suet. Ner II. seq. Tac. Ann. XIV.* 15.
(n) *Id. Ann. I.* 16. *Suet. Ner.* 26.
(o) *Horat. de arte* 288.
(p) [illegible] *od. VI.* 21. (q) *Liv. VII.* 2.
(r) [illegible] *Cic. ad Fam. II.* 8.

SECTIO QUINTA.

De Militia Romana.

IN explicanda *Militia Romana* cum Lipsio (quo melius nemo hanc materiam tractavit) hæc quinque considerabimus, *Delectum*, nempe, *Ordines*, *Arma*, *Aciem* & *Disciplinam*. Sed maxime ad tempora, quæ Marium præcesserunt, respicimus: cum ab eo primum, & mox a Cæsare tota fere militiæ ratio immutata sit: quod multis probat *Salmas. in opere postumo de Mil. Rom.* quod legitur *Tom. X. Ant. Rom. Græv.* Licet ille non ubique veritati litaverit.

CAPUT I.

De Delectu.

§. I. *De iis, qui legebantur.*

DEsignatis anni sui Consulibus creabantur viginti quatuor Tribuni militum in quatuor Legiones, (ex iis enim olim cum sociis & auxiliis duo exercitus Consulares, qui ordinarie conscribebantur, constabant) quatuordecim nempe ex equitibus, qui quina stipendia fecissent, decem ex peditibus, qui dena. Et equites quidem dena stipendia conficere debebant (*a*), quia intererat Reipublicæ, ut cives primarii citius ad honores pervenirent; pedites vero senadena (*b*), idque ab anno ætatis decimo septimo usque ad quadragesimum sextum: qui vero, sive casu quodam, sive morbo impeditus stipendia sua non confecerat, usque ad quinquagesimum annum poterat cogi, qui annus (sive facta, sive infecta stipendia essent) plene a militia liberabat (*c*): nec quisquam magistratum ullum urbanum capere poterat, nisi qui decem stipendia fecisset (*d*). Primis temporibus ex infima civium classe nulli milites legebantur, nisi summa necessitate urgente (*e*); sed tenuiores, & libertini (*f*) ad mi-

(a) *Liv.* XXVII. 2. (b) *Id.* XLII. 34. *Polyb.* VI. 17.
(c) *Senec. de brev. vitæ c. ult.* (d) *Polyb* VI. 17.
(e) *Gell.* XVI. 10. (f) *Liv.* XLII. 27. 31. XLIII. 12.

militiam navalem servabantur (*g*): & hoc fiebat hoc consilio, ut eosdem, quos res privatæ, etiam publicæ commodis patriæ alligarent. Postea vero, & jam ætate *Polybii*, etiam ex illis, qui quatuor millia æris habebant, legi cœperunt (*h*); & denum post *Marium* libertini quoque, & capite censi milites facti sunt (*i*): cum ipse Marius a tali genere hominum celebratus auctusque esset (*k*). At servi nunquam militarunt, nisi in summa Reipublicæ inopia, ut post prælium *Cannense*, cum liberandorum servorum etiam facultas non daretur (*l*): imo dare se militem, cui non licebat, grave crimen habebatur (*m*), & severe in eum animadvertebatur (*n*).

§. II. *De Delectu.*

Delectum igitur *habituri* Consules (κατάλογον ποιούμενοι τῆς στρατιᾶς (*o*)) voce præconis, edicto proposito & vexillo ex arce sublato (*p*), omnes cives militaris ætatis in Capitolium (*q*), vel in campum Martium convocabant. Tum Tribuni militum eo ordine, quo creati erant, ita se in quatuor partes dividebant, ut in prima & tertia parte essent quatuor juniores, duo seniores; in secunda & quarta (nam quatuor legiones, ut diximus, ordinarie scribebant, licet sæpe longe plures) tres juniores, totidem seniores. Mox seorsim sedentes Tribuni ordine sortis (*r*), ut æmulatio & querela tolleretur, tribus evocabant, quatuor juvenes ætate & habitudine propemodum pares eligebant, & cuique legioni unum ex illis tribuebant, atque ita porro, donec numerum legionum implessent; quod fiebat eo consilio, ut vires ita æqualiter per omnes legiones distribuerentur. Observabant etiam, ut primi legerentur milites boni nominis, ut *Valerius*, *Salvius*, *Statorius* (*s*). In subito tumultu quandoque raptim mi-

(g) *Vid. Liv.* XXXII. 23. (h) *Vid. Lips. de Mil. Rom* I. *dial.* 2. (i) *Gell. l. prox. & Epit. Livii L.* 70. (k) *Sall. Jug.* 85. (l) *Serv. ad Virg. Æn.* IX. 547. *Val. Max* VII. 6. 1. (m) *L.* 2. §. 1. *ff. de re milit.* (n) *Trajanus Imp. ad Plin. Ep.* X. 31. (adde n. 38 & 39.) (o) *Dion. Hal.* IX. 5. (p) *Vid. Virg. Æn.* VIII. 1. & *ibi Serv. Dion. Hal.* VIII. 81. (q) *Liv.* XXVI. 31. (r) *Val. Max.* VI. 3. 4. (s) *Cic. Div.* I. 45. *Fest. v. Lacus Lucrinus.*

milites scripti sunt, qui *subitarii* (*t*), vel *tumultuarii* (*u*), ut videtur, sunt dicti. Refractarii, sive qui nomen militiæ dare recusarent, verberibus & bonorum ablatione ad militiam coacti sunt (*x*), imo a severioribus in servitutem venditi (*y*), aut infamia notati: sed hoc quandoque intercessione Tribunorum plebis est (*z*) prohibitum, licet ea cognitio proprie Consulum esset (*a*), quippe penes quos bellicarum rerum administratio esset. Quia autem quidam, ut militiæ se ineptos redderent, *pollicem* sibi *truncabant*, Galli hodie videntur tales homines vocare, *des poltrons* (*b*). At justæ caussæ detrectandæ militiæ erant, primo, *Vacatio*; quam quis habebat vel ab ætate (*c*); vel ab honore (*d*), ut Magistratus & Sacerdotes; vel a beneficio (*e*), a Senatu scilicet, aut populo concesso (*f*): Secundo, *Emerita stipendia*: tertio, *Morbus*, vel *Vitium* (*g*); ut, exempli gratia, si quis surdus esset, quippe qui classicum exaudire non posset. Sed hæc tamen in *tumultu* aliquando neglecta sunt (*h*). *Tumultus* (*) autem *bellum gravius* dicitur, ut, exempli gratia, *Gallicum*; & quando *Tumultus* esset, Senatusconsulto definiebatur (*i*). Sub Principibus vero hæc delectus ratio concidit, & plurimum libidini ac rapacitati delectus habentium datum est (*k*), quod etiam vel inter præcipuas caussas habendum est ruinæ Imperii Romani. Equitum vero delectus facilior erat, quia illi jam in tabulis Censorum erant perscripti; ex quibus cuique legioni trecentos fere attribuebant (*l*). Nam falsum est, quod quidam voluere, etiam ante Marium alios fuisse equestris ordinis, alios, qui equo meruerint (*m*). Peracto delectu ex singulis legionibus miles unus eligebatur, qui reliquis verba *sacramenti militaris* præiret, de cujus religione videri potest Dionysius Halic. XI. c. 43. (& Gellius) in cujus verba dein-

(t) *Liv.* III. 4. (u) *Id.* XXXV. 2. & 23.
(x) *Id.* VII. 4. (y) *Cic. pro A. Cæcin.* 34.
(z) *Vid. Val. Max.* VI. 3. 4. (a) *Liv.* XLII. 32.
(b) *V. Menag. amœnit. jur.* 3. (c) *Liv.* XLII. 34.
(d) *Plut. Camillo vers. fin.* (e) *Vid. Cic. Philipp.* V. 19.
(f) *Liv* XXXIX. 19. *Vid. aliud exem ap. Cic. de N. D* II. 2.
(g) *Vid. Suet. Aug.* 24. (h) *Cic. Phil.* VIII. 1. *Id. Att.* I. 18. (*) (est bellum subitum in Italia.) (i) *Liv.* XXXIV. 26. & *ibi omn. Sigon.* (& Brisson. de Form. p. 258.)
(k) *Vid. Veget.* I. 7. (l) *Liv.* VIII. 8.
(m) *Vid. Celeb. Grav. pref. ad T. I. Ant. Rom.*

deinde reliqui jurabant (*n*): jurabant autem, *se pro viribus Imperatori obtemperaturos, ducem secuturos, signa non deserturos* (*o*), &c. Et anno prælii Cannensis primum jurejurando adactos milites legimus, cum antea sacramento tantum rogarentur (*p*).

§. III. *De Sociis, aliisque militum generibus.* Socii conscribebantur a Romanis ducibus ex civitatibus Italicis, quibus Consules diem & locum, in quem convenire deberent, edicebant. Hi suo sumptu militabant (*q*) nihil a Romanis accipientes præter frumentum (*r*); unde etiam proprium sibi Quæstorem habebant (*s*). Ab his distinguendi sunt milites *Auxiliares*, qui erant ex gentibus exteris (*t*). *Evocati* vero (ἀνάκλητοι (*u*)) erant milites veterani, qui expletis suis stipendiis in gratiam Ducum sponte militiam sumebant (*x*), & valde honorati erant, atque ab operibus militaribus immunes; imo *vitem* etiam gestabant, & pro Centurionibus (quorum insigne erat *vitis*) erant (*y*).

CAPUT II.

De Ordinibus.

§. I. *De Ordinibus militum Romanorum.*

ORdines sunt vel *Militum*, vel *Ducum*. *Milites distinguuntur* vel per *Genera*, vel per *Partes*. *Genera* peditum fuerunt quatuor. Primi, sive infimi ordinis erant *Velites*, qui fuerunt ex pauperioribus & junioribus; quia hæc militia parum honorata (*a*), & parum etiam tuta erat. His honore & ætate proximi dicebantur *Hastati*; quos sequebantur *Principes*, qui ætate erant florentissimi (*b*); itaque dicti sunt, quod olim a *principio* pugnabant (*c*): hos denique excipiebant *Triarii* (qui *Pilani* etiam dicebantur (*d*), quod *pilis* uterentur, reliqui vero *Ante-*

(n) *Fest.* V. *Præjurationes*. (o) *Polyb.* VI. 19.
(p) *Liv.* XXII. 38. (q) *Id.* XXVII. 9. (r) *Dion. Hal.* X. 21 (s) *Polyb.* VI. 19. (t) *Fest. hac* V.
(u) *Dio* XLV. *p.* 182. *ed. reg.* 1548.
(x) *Vid. Dion. Hal* X. 43. *Liv.* XXXVII. 4.
(y) *Dio* XLV. *vid. J. Wasse ad Sall. Catil* 2. *Cæs. B. C.* 1. 17.
(a) *Frontin. Strateg.* IV. I. 19. (b) *Liv.* VIII. 8.
(c) *Vid. Varr. de L. L.* IV. 16. (d) *Ovid. Fast.* III. 126.

Ante-Pilani (*e*)) ætate maximi, & uſu exercitatiſſimi, qui tertio ordine in ſubſidiis deponebantur (*f*), unde ἔφεδροι in gloſſ. dicuntur: horum in legione nunquam plures erant, quam ſexcenti, reliquorum vero par inter ſe erat numerus. Singula hæc *Genera* dividebant in decem *Partes* (*g*), quæ *Manipuli* dicebantur, quia olim tenuibus Reipublicæ initiis *manipulus* (*h*) *fœni* pro ſigno ipſis præferebatur (*i*). Quiſque manipulus, Haſtatorum quidem & Principum, ex duabus *Centuriis*, ſive *Ordinibus* ſexaginta militum conſtabat: *Centuria* enim non ſemper ſignificat *ordinem ex centum hominibus conſtantem*, ſed *certam duntaxat hominum collectionem*; ut jam ſupra *Sect.* 1. *c.* 7. §. 1. notavimus. Triariorum vero manipulus ſexaginta tantum militum erat. Ex tribus manipulis cujuſque generis, addito nempe manipulo velitum, componebatur *Cohors*, quæ ita erat virorum quadringentorum & viginti. Sed cohors ſub Republica ordinaria non fuit: verum, ſi res poſceret, ex uno cujuſque generis militum manipulo componebatur: fere ut hodie, quæ vocantur *Brigades* (*k*). Ex decem tandem cohortibus conſtabat *Legio* (*l*), quæ tempore Romuli (cum cohortes tunc quoque minores eſſent) fuit peditum ter mille, libera vero Republica quater mille & ducentorum, qualem hic pro modulo ſumimus: nam aliquando (poſterioribus præſertim temporibus) longe major fuit; ita tamen, ut intra ſex millium fere numerum ſemper ſteterit. His ſemper fere adjecti fuerunt trecenti Equites (*m*), qui *Ala* dicebantur: eaque diviſa erat in decem *Turmas* (*n*); quæque vero Turma rurſus in tres *Decurias*.

Sociorum Peditum numerus Romanos fere æquabat, aut aliquando ſuperabat (*o*); Equitum duplo major erat. Hi omnes erant diviſi in duo *Cornua*, vel potius *Alas* (*p*) ad ambas extremitates exercitus diſpoſitas; unde etiam nomen habent, quia, tanquam *Alæ* avem, ita Socii utrimque Romanos tegebant: quod ideo factum videtur, ut civium quidem vires unitæ; ſociorum vero, ſi quid forte

novæ

(e) *Liv. d. l.* (f) *Varro loc. c.*
(g) *Ovid. d. l.* 127. *ſeqq.* (h) *Plut. Romulo p. m.* 22.
(i) *Ovid. d. l.* 117. (k) *Vid. Manut. ad Cæſ. B. C.* III. 64.
(l) *Vid. ſupr. Sect.* 1. *c.* 1. §. 3. (m) *Liv.* VIII. 8.
(n) *Ovid. l. prox. d.* (o) *Liv.* III. 22.
(p) *Vid. eund.* XXXI. 21.

novæ rei moliri vellent, dissipatæ essent. Ex eorum equitibus tertia pars, sive ducenti, eligebantur ad proprium usum Consulum, qui dicebantur *Extraordinarii*, & ex his rursus sumebatur una turma quadraginta *Ablectorum*, qui Consulibus quasi satellites essent; reliqui quadringenti in decem turmas erant divisi: & prætexebatur quidem hic a Romanis honoris species, sed vera rursus caussa suberat, ut ita nobilissimi quique sociorum simul juncti, & sub oculis Imperatoris agentes quasi obsides essent fidei populorum, a quibus erant missi: & præterea, ut ita separati res novas, si forte vellent, agitare non possent. Peditum quinta pars, sive octingenti & quadraginta in Extraordinarios legebatur in duas cohortes militum trecentorum triginta sex, & dimidiam cohortem Ablectorum centum sexaginta octo distincta: reliqui in decem cohortes militum trecentorum triginta sex erant divisi. An vero socii in manipulos etiam distincti fuerint, incertius est, licet convenientia ordinis suadere videatur, hoc apud eos quoque obtinuisse. Duæ porro legiones cum suis sociis & equitatu dicebantur *exercitus Consularis* (q); qui ita erat in universum militum octodecies mille & sexcentorum.

(*Schema Exercitus Consularis.*

Pedites Romani:
1200. Velit. } divisi
1200. Hast. } in denos Man.
1200. Princ. } seu vicenas
600. Triar. } Centur.

Capita ---- 4200. in LEG. I. seu Cohort. x.
Equit. Ala 300. in Turm. x. seu Dec. xxx.

Cornua Sociorum, Equit.:
40. Ablect. Turm. I.
160. Extraord. T. IV.
400. Alar. Turm. x.

Pedit.:
168. Ablect. Cohors Dimid.
672. Extraord. Coh. II.
3360. Alar. Cohort. x.

Capita -- 9300. in Una LEG. cum Equit. & Sociis. Quæ summa duplicata efficit duodeviginti capitum millia cum sexcentis. Itaque Exercitus Consularis constabat ex 9600. Roman. & 9600. Sociis.)

§. II.

(q) *Vid. Liv. X. 25.*

§. II. *De Ordinibus Ducum.*

Duces in exercitu sunt vel *Proprii*, qui uni alicui parti exercitus præsunt; vel *Communes*, qui universo.

Duces Proprii primo fuerunt *Centuriones*, sive *Ordinum ductores* (λοχαγοὶ (r), vel ταξιάρχαι.) Hi jussu Consulum (s) eligebantur a Tribunis (t) ex quoque genere militum, exceptis velitibus, & quidem virtutis maxime ratione habita (u); licet hoc sub Principibus (qui præmia fere non pro virtutis meritis, sed pro libidine distribuere solent) sæpe neglectum sit (v): gerebant autem hi baculum e *vite* insigne muneris sui (vv); (ut jam diximus) qua immorigeros castigarent (*): unde *vitis* pro ipso centurionatu ponitur; & *vite donari* est *designari ad centurionatum* (x). Centuriones ipsi sibi legebant duos *Uragos*, sive *Optiones*, qui etiam *Succenturiones* sunt dicti (y); & duos *Signiferos* vigore animi & corporis præstantes: licet forte unum signum tantum in manipulo fuerit (z). Promovebantur autem milites ita, ut in eadem cohorte ad aliud genus militiæ adscenderent, ut a *decimo hastato* (a) (ita vocabant *Centurionem decimi manipuli hastatorum*) ad *decimum principem*, & inde ad *decimum pilum*, sive ad *decimum ordinem triariorum*: inde jam numero procedebant, & fiebant *Noni*, *Octavi* &c. donec ad *Primum Pilum* (b), sive ad *Primum ordinem Triariorum* pervenirent, quod tarde demum debuisse fieri quivis videt (c). Summa autem dignitas erat primi hujus Centurionis (d), (nam ita aliquando vocatur (e)) qui etiam *Primopilus* dicebatur; quippe qui quasi caput omnium Centurionum erat, eosque ducebat (f), unde Græcis dicitur ὁ ἡγεμὼν τοῦ τάγματος (g), στρατοπεδάρχης τοῦ τάγματος (h), & ὅλου τοῦ τάγματος ἄρχων (i), quæ omnia *Legionis ducem* notant:

(r) *Dion. Hal.* IV. 18. (s) *Vid. Cic. in Pis.* 36. *Liv.* XLII. 34. (t) *Id. ibid seqq.* (u) *Vid Lucan.* VI. 145. (v) *Veget.* II. 3. (vv) *Vid. Juven.* XIV. 193. (*) (Tac. I. Ann. 23.) (x) *Spartian. Hadr.* 10. & *ibi Casaub.* (y) *Liv.* VIII. 8. (*Fest.* V. Optio.) (z) *Varro de L. L.* IV. 16. (a) *Liv.* XLII. 34. (b) *Veget.* II. 8. (c) *Vid. Plin. H. N.* XIV. 1. & *Liv.* XXII. 34. *omn.* (d) *Vid. eund.* VII. 41. (e) *Ibid.* (f) *Dion. Hal.* IX. 10. (g) *Ibid.* 13. (h) *Id.* X. 36. (i) *Id.* X. 10.

tant: itaque cum Tribunis in conſilio Imperatori aderat, *aquilam* præcipue tuebatur (*k*), (& hinc etiam *Aquila* pro *ipſo Primopilatu* ponitur in elegantiſſimo loco Plinii modo ad marginem citato, & etiam apud Juvenalem XIV. *verſ.* 197.) & juſſa Imperatoris accipiebat: opima quoque præmia capiebat (*l*), & pro equite erat (*m*).

Toti legioni præerant *Tribuni* (*n*), qui a Romulo primum tres duntaxat ſunt creati; auctis vero legionibus in unaquaque legione ſex Tribuni fuerunt. Hi initio creati ſunt a Regibus, & poſtea a Conſulibus; donec A. U. 393. a populo ſex Tribuni creari cœperunt (*o*), ſicut A. U. 444. ſexdecim (*p*). At poſt bellum *Perſicum* cum *Perſeo* Macedonum Rege geſtum æquali numero a populo, æquali a Conſulibus creabantur: illi *Comitiati* (*q*); hi *Rutili*, & poſtea *Rufuli* ſunt dicti (*r*): verum Ciceronis tempore cum militia jam perpetua eſſet; ſæpe in caſtris a Conſulibus, vel Proconſulibus creabantur (*s*): & ſæpe etiam ex prætoriis, vel conſularibus viris erant (*t*). Sub Imperatoribus etiam Tribuni militum *Semeſtres* creari cœperunt, quo ita pluribus gratificari poſſent (*u*): & tum etiam Tribunorum quidam ſunt dicti *Laticlavii*, qui in ſpem *Senatoriæ dignitatis* (εἰς βουλείας ἐλπίδα, ut loquitur *Xiphilinus e Dione l.* 67.) tribunatum gerebant; alii *Anguſticlavii*, (Græcis στενόσημοι) qui *equeſtrem* tantum dignitatem conſequebantur (*x*). Tribunorum præterea inſigne erat *pugio*, ſive parazonium (*y*). Tribunorum autem *munus* erat jus dicere (*z*); ſignum excubiis ab Imperatore acceptum reliquis tradere (*a*); munitiones, exercitia, vigilias curare, aliaque quædam peragere (*b*); de quibus omnibus ſuo loco dicemus. Bini autem Tribuni per duos menſes (*c*) legioni imperabant, alte-

(k) *Tac. Hiſt.* III. 22. (l) *Juven. l. c.*
(m) *Vid. Ovid. Am.* II. VIII. 9. *&* 27. *Martial.* VI. 58.
(n) *Horat. Serm.* I. VI. 48. (o) *Liv* VII. 5.
(p) *Id.* IX. 30. (q) *Aſcon. ad Cic. Act.* I. *in Verr.* 10.
(r) *Feſt. V. Rufuli.* (s) *Cic. ad Famil.* VII. *epiſt.* 5.
(t) *Vid. Liv. XLII.* 40. *XLIII.* 5. *XLIV.* 37. *Plut. Cat. Maj. p. m.* 342. (u) *Juven.* VII. 89. (x) *Suet. Oth.* 10. *&* *Domit.* 10.
(y) *Martial.* XIV. 32. (z) *Liv.* XXVIII. 24.
(a) *Ibid.* (b) *L.* 12. §. 2. *ff. de re milit.*
(c) *Liv. XL.* 41.

alternis, ut videtur, diebus; ita ut in exercitu consulari quatuor semper ut minimum essent, qui imperarent, vel potius, qui mandata imperatoris exequerentur. Qui Tribunatum militarem gesserant, ut de Primopilis dictum est, deinceps pro Equitibus habebantur (*d*), & annulum aureum gestabant (*e*).

Cuique turmæ equestri præerant tres (*f*); quorum qui primus electus erat, toti turmæ imperabat, eoque absente sequens. Et hi quoque totidem Optiones sibi adsumebant (*g*).

Socii regebantur a Præfectis suis (*h*), qui securitatis Populi Romani caussa a Consulibus constituebantur; & eodem numero erant, ac eodem jure in suos utebantur, quo Tribuni in cives.

§. III. *De Ducibus, qui toti exercitui præerant.*

Duces, qui universo exercitui præerant, fuerunt, primo *Imperator*; secundo, *Legati*. Imperator erat, qui *ductu*, aut *auspicio suo* rem gerebat; *ductu* (*i*) quidem, cum ipse præsens; *auspicio* vero, cum ejus mandato alius (*k*): quod oppressa Republica maxime usitatum a veteri more sumptum fuit, quo nihil nisi auspicato geri poterat; auspicia autem nemo, nisi qui Imperator esset, habebat. *Insigne* Imperatoris erat *Paludamentum*, sive *chlamys coccinea* (*l*); quam in Urbe inter vota & sacrificia sumebant (*m*). Lictores etiam paludatos fuisse vult Lipsius; sed tamen verius est, solius Imperatoris paludamentum fuisse, reliquorum vero *sagum*: licet sæpius hæ voces confundantur (*n*).

Legati plerumque ab ipsis Ducibus adsciti videntur (*o*), ita tamen ut Senatusconsultum interveniret (*p*); erantque Legati fere viri prudentia & fortitudine militari insignes (*q*); nam munus eorum perhonorificum habebatur (*r*), quemadmodum, exempli gratia, illustris ille P. Cornelius Scipio Africanus *Pœnorum* domitor fratri suo *Lucio* (qui mox *Asiaticus* dictus est) bello *Antiochico*

(d) *Martial.* III. 95. (e) *Juven. loco paulo ante cit.*
(f) *Varro de L. L.* IV. 16. (g) *Ib.* (h) *Vid. Suet. Aug.* 38.
(i) *Ib.* 21. (k) *Vid. Horat. Od.* IV. XIV. 33. *Ovid. Trist.* II. 173. (l) *Juven.* VI. 390. (m) *Liv.* XLII. 49.
(n) *Horat. Epod.* IX. 28. *Nonius* 14. (o) *Liv.* IV. 17. *Cic. pro lege Manil.* 19. (p) *Id. in Vatin.* 15. (q) *Exemp. apud Liv.* XXXVII. 1. (r) *Vid. Cic. loc. prox. d.*

thico legatus fuit: & A. U. 556. *P. Sulpicius* & *P. Villius* viri Consulares legati in Macedonia fuerunt (*s*). Numerus legatorum pro re nata varius fuit; Pompejus enim *bello Piratico* viginti quinque Legatis usus est (*t*), quia scilicet id bellum totum quantum erat mare internum occupaverat: Cicero *Ciliciæ* Proconsul quatuor suos legatos nominat (*u*); plerumque tamen pro numero legionum Legati adsumebantur. *Munus* Legatorum fuit Imperatori in omnibus rebus vicariam operam dare, (unde *Subconsules* postea aliquando sunt dicti (*)) ita ut eorum potestas satis larga esset; sed tamen fiduciaria (*x*). Augustus cum ipse Imperator esset, & solus auspicia haberet, omnia per legatos egit (*y*); & ex iis quosdam *Consulares* vocavit, qui totis exercitibus præerant; quosdam *Prætorios* qui singulis legionibus (*z*).

CAPUT III.

De Armis.

ARmis utimur vel *ad petendum*, vel *ad tegendum*: illa proprie *tela* (**), hæc *arma* dicuntur; nam *telum* est a Græco τῆλε, vel τηλόθι, *procul*: diversa autem fuerunt apud Romanos pro diverso genere militum. (Quæ singulis Romanor. civium classibus arma tribuerit Servius Rex, docent Liv. & Dion. Halic.)

§. I. *De Levis Armaturæ militibus.*

Levis armaturæ milites in genere *Ferentarii* dicti sunt (*a*); & olim quoque *Rorarii* & *Accensi* (*b*): at post A. U. C. 542. *Velites* instituti sunt (*c*), qui Italia civitate donata desierunt; iisque substituti sunt *Funditores*, *Jaculatores* (*d*), & id genus alii. Velitum arma erant (*e*) primo *Gladius Hispanicus* omni-

(*s*) *Liv. XXXII. 28.* (*t*) *Appian. Mithr. p. 352. ed. Tollii.*
(*u*) *Ad Famil. XV. 4.* (*) *Vet. Inscr. ap. Scalig. Ep. I. 65.*
(*x*) *Cæsar de bell. civ. II. 17. & III. 51.*
(*y*) *Dio LII.* (*z*) *Vid. Tac. Annal. II. 36. Hist. I. 75.*
(**) *Vid. l. 233. ff. de V. S. §. 2. Liv. 1. 43.*
(*a*) *Vid. Fest. hac V. & V. Velati. Varr. ap. Non. p. 545. 575. ed. Plant. 1565.*
(*b*) *Fest. iis vocitus. Livius VIII. 8.* (*c*) *Id. XXVI. 4.*
(*d*) *Id. XXX. 33.* (*e*) *Id. XXXVIII. 21. & XXXI. 34.*

omnibus militibus communis, eximium habens mucronem, & utrinque validum ictum; ita ut non tantum cæsim, sed etiam punctim (quod longe utilius (f) esse facile deprehendi potest) pugnare possent: & hunc tempore Polybii ad dextrum femur gestabant. Habebant secundo, *hastas velitares* septem (g), quæ erant crassitie unius digiti, longitudine tripedali cum mucrone novem digitorum; qui tenuissimus erat, ita ut telum remitti non posset (h). Muniti erant *parma* sesquipedali (i) e ligno, corio super inducto (k); & *galea*, sive *galero* e pelle, quæ ita distinguenda est a *casside* (l); hæc enim erat ex metallo. Et sæpe etiam veteres exuviis ferarum pro galeis sunt usi (m).

§. II. *De Armis reliquorum peditum.*

Hastatorum & reliquorum Peditum Arma erant, primo, *Scutum*; (Græcis θυρεὸς, ὅτι ἔοικε τῇ θύρᾳ (n)) quod distinguendum est a *Clypeo*; (Gr. ἀσπὶς) hic enim rotundus (o), illud oblongum fuit. Scuti latitudo erat pedum duorum & semis; longitudo fere pedum quatuor (p); ita ut hominem leviter sese inclinantem tegeret. Erant etiam *Scuta imbricata*, sive in modum *imbricis* formata, quæ plane dignioium erant (q). Omnia hæc fiebant e ligno lento & levi (r) corio super inducto, & aliquando postlino, ut posset inhærere pictura (s); & hinc postea *arma*, quæ vocant *gentilitia*, sunt orta (t). Extremitas scuti ferro erat munita, & ad ictus firmius sustinendos, & ne lignum terræ aliquando impositum putredinem facile contraheret: in medio autem scuto erat *Umbo ferreus* paullum protuberans; lorum etiam habebat, quo illud gestarent, quod Græcis ἀορτὴρ dicitur. Quod autem clypeum sinistra gestarent, hinc conversio ad sinistram diceba-tur fieri *ad clypeum* (ἐπ' ἀσπίδα); conversio opposita,

(f) *Vid. omn. Polyb. II. 30. & 33. Veget. I. 12.*
(g) *Liv. XXVI. 4.* (h) *Id. XXIV. 34.*
(i) *Vid. Polyb. VI. 20. ex vers. Casaub. nam Græca corrupta sunt.* (k) *Varro ap. Non. 18. 8.*
(l) *Isidor. Orig. XVIII. 14.*
(m) *V. Stat. Theb. VII. 276. Sil. Ital. VIII. 492.*
(n) *Eustath. ad Homer.* (o) *V. Virg. Æn. III. 637. VIII. 562.*
(p) *Polyb. VI. 21.* (q) *Xiphilin. Macrino.*
(r) *Plin. H. N. XVI. 40.* (s) *Serv. ad Virg. Æn. X. 784.*
(t) *Vid. Voss. de Idol. III. 76.*

posita, *ad hastam* (ἐπὶ δόρυ). In equite vero conversio ad sinistram ἐφ' ἡνίαν, *ad frænum* (*u*). Secundo habebant *Pila* (*) (unde Belgica vox *Pyl*) quæ Romanorum propria tela fuerunt (*x*): ea erant vel rotunda ea crassitie, ut plane manum implerent (*y*): vel quadrata ambitu quatuor digitorum, longitudine ligni quatuor cubitorum; cui ferrum hamatum (ne facile telum revelli posset) paris fere longitudinis firmissime adnectebatur (*z*); sed ita, ut pars ejus dimidia ligno esset adfixa, mucro vero exstaret cubiti unius & dimidii, adeo ut totius pili longitudo esset cubitorum quinque cum dimidio (*a*): crassities ferri, ubi ligno committebatur, erat digiti unius & dimidii, unde patet gravissimum omnino fuisse (*b*), ita ut jactu omnia perforaret (*c*); unde *lentum* etiam a gravitate dicitur. Pila ὑσσοὺς Græci dixerunt. Sed aliquando etiam leviora tela habuerunt venabulis, sive *sebunis* (vel *sibinis*) fere similia (*d*). Tertio *Galeam* gestabant ex ære, aut alio metallo, vultu tamen aperto: (unde vox Julii Cæsaris in prælio *Pharsalico, Miles faciem feri* (*e*)) hæc apice plumeo & crista ex tribus pennis puniceis erectis (*f*), vel aliquando juba equina constante (*g*) erat insignis. Cives ex prima classe induti erant *lorica*: ea autem facta erat e laminis, vel catenulis; & tum dicebatur *hamata* (*h*); vel etiam fiebat e squamis, aut laminis ferreis (*i*), quæ plane honestiorum erat, & toti corpori maxime apta, quam graphice describit *Heliodorus Æthiopicorum l. IX. circa medium*. Plerique vero pro lorica habebant duntaxat *pectorale*, sive *laminam æream duodecim digitos latam* (*k*). Hæc autem, scutum, galea, lorica auro & argento ornata (*l*), & variis figuris cælata fuerunt. Unde ea tecta gerebant, nisi in prælio, aut pompa (*m*). O-

(u) *Vid. Polyæn. Strat. L. IV. cap. III. §. 17. 21.*
(*) *Lucan. l. 7.* (x) *Serv. ad Virg. Æn. VII. 664.*
(y) *Dion. Hal. V. 46.* (z) *App. Al. in Celticis.*
(a) *Vid. Sil. Italic. XIII. 308.* (b) *Flor. II. 7.*
(c) *Tibull. ad Messal. 50.*
(d) *Suid. V.* Σιβύνη (v. et. Etymol. Vossii V. *Sibyna.*)
(e) *Flor. IV. 2.* (f) *Virg. Æn. IX. 50.*
(g) *Ibid. X. 869. Vid. & Serv. ad Æn. II. 391. & 412.*
(h) *Id. Æn. III. 467.* (i) *Id. Æn. XI. 487. Claud. in Ruff. II. 357.* (k) *Polyb. VI. 21.*
(l) *Cic. in Verr. IV. 44. Juven. XI. 103. seqq.*
(m) *Cæs. B. G. II. 21. Plut. Lucull. p. m. 510.*

creas habuerunt aliquando in alterutro (*n*), aliquando in utroque crure. Vulgo etiam gestarunt *caligas*, unde etiam *caliga* pro *militia* ponitur (*o*); & *caligati* pro *militibus*, & quidem *gregariis* (*p*): (qui etiam clavis eas suffixas habebant (*q*)) atque inde etiam Cajo Imperatori *Caligulæ* cognomen fuit, quod scilicet in castris inter *milites caligatos* educatus fuerat (*r*).

§. III. *De Armis Equitum*.

Equites olim quidem veste tantum succincti fuerunt, quo facilius equos conscenderent, (non enim *stapedas*, sive *subjices ephippiarios*, ut eos vocat *Budæus in comment. ling. Gr. n. m.* 541. *seqq.* habebant (*s*), ut nec *ephippia*, nisi forte vestem aliquam stragulam (*t*)) hastas graciles, & scuta e solo corio ferentes. Postea *Græcanicis armis* usi sunt, nempe *gladio longiore*, *conto*, sive *hasta grandi*; (*) tum *galea*, *scuto*, & *lorica*: aliquando etiam *jaculis* fuerunt armati.

§. IV. *De Poliorceticis*.

Arma, sive *machinæ* potius, *in oppugnationibus urbium maxime usitata* fuerunt varia; ut *Testudo*, cujus usus etiam fuit in præliis (*u*), cum scutis supra caput elatis, & arctissime junctis muro succedebant primis altioribus, & ordine paulatim decrescente, cujus elegantissima descriptio est apud Livium XLIV. *c.* 9. Usitatius vero *Testudo* significat *Machinam ligneam, quæ murum subruentes tegebat* (*x*). *Crates*, *Vineæ*, *Plutei* (*y*) machinæ erant, quæ paulatim urbi obsessæ admotæ milites ad eam accedentes tegebant, unde *subrepere* dicuntur (*z*). *Turres* (ligneas, quæ *falæ* seu *phalæ* dicebantur (**)) adhibebant plerumque mobiles (*a*), quæ aliquando rotu-

(n) *Liv. IX. 40. Veget. I. 20.*
(o) *Sen. de brev. Vit. 17. & de ben. V. 16. Plin. H. N. VIII. 43.*
(p) *Juv. III. fin.* (q) *Id. XVI. 24.*
(r) *Suet. ejus vita 9.* (s) *V. Lips. de Milit. Rom. III. 7.*
(t) *Varro ap. Non. p. m. 138. Cæs. B. G. IV. 12.*
(*) (*Ex I. Edit. addimus*: Joseph. de B. Jud. III. 6.)
(u) *Lucan. III. 474.* (x) *Liv. XXXIV. 39.*
(y) *Lucan. III. 487. seq.* (z) *Id. II. 505.*
(**) (*Plaut.* Mostell. II. 1. 10. Vide *Veges.* IIII. 18. & ad hunc *Stewech.* p. 377.) (a) *Id. III. 458.*

rotulis erant impositæ, & pluribus tabulatis constructæ. *Ariete* ex firma trabe ferro prominente (*b*) facto muros quatiebant; qui erat vel simplex, vel alteri trabi appensus (*c*), ut vi majore, conatu leviore libraretur; ejusque vis erat maxima (*d*): unde civitati obsessæ aliquando promittebatur salus, si deditionem fecisset, prius quam aries muris esset admotus: plane ut hodie de majoribus tormentis obtinet (*e*). *Catapultarum*, & *Balistarum* vis maxime consistebat in nervis (*f*): illis jacula grandiora, Balistis saxa ingentia (*g*), faces ardentes, aliaque mittebant (*h*); licet postea has voces confuderint. Qui autem hastas aut lapides tormentis excutiebant, *libratores* sunt dicti (*i*). His tormentis etiam, ut hodie ad aditus castrorum, aut urbium a vi hostili defendendos utebantur (*k*).

CAPUT IV.

De Acie.

§. I.

De Ordinaria Aciei Forma.

Aciei forma ordinaria erat, ut primi pugnam lacesserent *Velites*, qui stabant, vel ante justam Aciem (*a*), vel in intervallis manipulorum (*b*), vel ad utrumque cornu. Inde pugnabant *Hastati* (*c*); quod si illi pellere hostem non potuissent, vel ipsi pellerentur, recipiebant se in intervalla *Principum* (*d*); vel post eos, si plane fessi essent. Si apud Principes quoque minus prospere pugnatum esset, illi sensim a prima Acie ad *Triarios* referebantur, juxta quos etiam videntur fuisse Extraordinarii sociorum, & Evocati. Tunc hi simul exsurgentes (*sedebant* enim, unde *subsidia* (*e*) dicuntur, & in Glossariis Græcis ἔφεδροι pro *triariis*) pugnam restaurabant (*f*); & inde *rem aliquam ad tria-*

(b) *Propert. IV. XI. 33.* (c) *Lucan. III. 490.*
(d) *Joseph. de bell. Jud. III. 15.* (e) *Cæs. de B.G. II. 32.*
(f) *Ovid. Metam. VIII. 357.* (g) *Lucan. III. 465.*
(h) *Id. II. 685.* (i) *Tac. Annal. II. 20.*
(k) *Cæs. B. C. I. 2. Tacit. Hist. III. 23.*
(a) *Liv. XXXVIII. 21.* (b) *Id. XXX. 33.*
(c) *Vid. Ib. 8.* (d) *Id. VIII. 8.*
(e) *Fest. in fragm. hujus V.* (f) *Dion. Hal. V. 15. f.*

triarios rediisse, quum in aliqua re laboratur, proverbio increbuit (*g*). Hæc omnia fiebant beneficio *Viarum*, quæ erant inter manipulos in quincuncem dispositos (*b*); erantque vel *transversæ* inter genera, hastatos scilicet, principes & triarios; vel *directæ*, inter partes nempe, sive manipulos. Græce autem, qui se in eadem serie sequentes profunditatem Aciei efficiunt ἐπιστάται vocantur, & dicuntur στοιχεῖν. Παραστάται sunt, qui ad latus aliorum stantes Aciei longitudinem efficiunt: & hi dicuntur ζυγεῖν (*i*). *Equites* aliquando a tergo Aciei pedestris fuerunt positi, unde per vias directas subito emitti poterant (*k*); sed plerumque tamen in cornibus ita, ut in altero cornu socii, in altero cives cum Extraordinariis sociorum essent. *Socii pedites* ad latera legionum plerumque fuerunt dispositi (*l*). Inter Triarios & Principes (*m*) intervallo majore ordinarius *Imperatori* locus erat (*n*), ut inde, quippe e media Acie, mandata ejus quaquaversus facilius perferri possent. Juxta eum stabant Legatorum quidam, Tribuni (*o*), Præfecti, & Evocatorum præcipui; qui etiam quandoque inter manipulos erant dispersi (*p*), ut reliquis animum adderent, vel ordines ducerent. Quisque autem locum, ubi in Acie stare deberet, ita notum habebat, ut necessitate urgente sine duce eam struere possent (*q*). Et hæc de ordinaria Aciei forma dicta sufficiant. Pro re nata vero etiam diversæ acierum formæ fuerunt, ut quæ struebatur in modum *Cunei* (*r*), cui contraria fuit *Farceps*; tum *Turris*, *Laterculum*, *Serra* &c. (*s*). Gregariis militibus a suis centurionibus certus ordo (*t*) pro eorum judicio juxta vires cujusque fuit adsignatus, quem ordinem qui vel uno passu deseruisset, gravi pœna (*u*), & plerumque quidem morte mulctabatur: in agmine vero, qui longius, quam ut tubæ sonitum exaudire posset, excesserat, pro desertore habebatur (*x*); quæ leges licet duræ, utilissimæ tamen fuerunt.

§. II.

(g) *Liv. VIII.* 8. (h) *Vid. Virg. Georg.* II. 279. *seq.*
(i) *Vid. Casaub. ad Polyæn. II.* 13.
(k) *Liv. X.* 5. (l) *Id. XXXVII.* 39.
(m) *Vid. Virg. Æn. IX.* 28. (n) *Vid. Sall. Catil.* 59.
(o) *Vid. Tac. Hist. II.* 89. (p) *Cæs. de bell. civ. III.* 88.
(q) *Liv. IX.* 3. (r) *Veget. I.* 26. & *III.* 19.
(s) *Gell. X.* 9. (t) *Vid. Liv. IX.* 13.
(u) *Liv. Epit.* 59. (x) *Appian. Punic.* p. 16. *ed. Tollii.*

§. II. *De Signis.*

Signa, quæ in suis quæque manipulis erant disposita, olim nihil aliud fuerunt, quam *manipulus fœni*, unde *manipulo* nomen (*y*). Postea usi sunt ligneolo transverso hastæ adfixo, supra quod ordinarie *manus* figura eminebat; eique orbiculi quidam erant subjecti, in quibus imagines Deorum, & postea etiam Principum conspiciebantur (*z*); quemadmodum hoc ex nummis, aliisque veterum monumentis perspicuum est (*a*). Et procedentibus temporibus argentea fuerunt; unde a Quæstoribus in ærario servabantur (*b*). Totius legionis signum erat *Aquila aurea* (*c*); (utique post tempora Marii (*d*); antea enim *Lupo*, *Minotauro*, *Equo*, *Apro* pro signis utebantur) quæ expansis alis super hastam stabat (*e*) in primo manipulo Triariorum, sive apud primum pilum: postea rursus Dracones (*f*), aliaque animalia pro signis adhibuerunt. Equites habuerunt *vexilla*, sive *Flammulas* (*g*) fere hodiernis nostrorum equitum similes; quibus nomen Imperatoris aureis literis erat intextum (*h*). Hæc omnia signa sacra erant (*i*), (unde Ovidius *Fast. V. vers.* 585. *signa* vocat *decus belli*) & Deorum fere loco colebantur (*k*), mortis pœna in milites, qui ea amisissent, constituta (*l*): quemadmodum etiam milites ob ea violata severissime puniebantur (*m*). Itaque τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, *abominatio vastatrix*, ut vertit *Beza Matthæi XXIV.* 15. hunc *signorum cultum* multis denotare videtur. Et hinc est quod legimus, ea urgente periculo aliquando in hostilem Aciem fuisse conjecta (*n*), ut & pœnæ metu, & pudore inde repeterentur. Imo ob hanc signorum religionem præcipuo signo, quod *labarum* eo ævo dicebatur,

(y) *Ovid. Fast. III.* 117. (z) *V. Suet. Tib.*48. *&* *Cajo* 14.
(a) *Herodian. II.* 6. (b) *Liv. III.* 69.
(c) *Lucan. I.* 7. (d) *Plin. H. N. X.* 4.
(e) *V. Tac. Ann. XV.*29. (f) *Claud. de VI. Honor. Cons.*566.
(g) *Veget. II.* 1. (h) *Suet. Vesp.* 6.
(i) *Dion. Hal. VI.* 45. *omn. &* *X.* 1. *Cic. Catil. II.* 6.
(k) *Tacit. Ann. II.* 17. *Herodian. IV.* 4.
(l) *Liv. II.* 59.
(m) *L.* 7. *§. ult. ff. ad l. Jul. Maj. V. Cl. Best. de rat. emend. leg.* 17.
(n) *Dion. Halic. VIII.* 65.

Constantinus literas initiales nominis CHRISTI inscribi jussit (*o*).



§. III. *De iis, quæ proxime pugnam præcedebant.*

Ante pugnam utili instituto Imperator in suggestu ex cespitibus (*p*) plerumque facto stans, (hoc autem *Tribunal* dicitur; nam ita vocatur *quævis altitudo manu hominum ex cespitibus, vel simili materia structa* (*q*)) in eo, inquam, stans exercitum *alloquebatur*; milites vero vel clamore (*r*), vel dextris sublatis (*s*), vel denique scuta hastis percutientes (*t*) alacritatem suam testabantur: quemadmodum silentium e contrario pro signo timoris habebatur (*u*). Multi etiam hoc tempore testamenta sua condebant, quæ *in procinctu facta* dicuntur (*); Græci διαθήκας ἀγράφους, *testamenta non scripta*, sive *nuncupativa* vocant (**). Inde omnia signa pariter *classicum canebant* (*x*); (τὸ πολεμικὸν ἐσήμαινον (*y*)) quod fiebat, vel *Tubis*, quæ erant directæ (*z*); vel *Lituis*, qui leviter erant inflexi (*a*); vel denique *Cornibus* plane incurvis; quibus fere similes, sed minores, erant *Buccinæ* (*b*). Et hæc omnia signa erant ex *ære* (*c*), unde *Æneatores*, qui ea inflabant, sunt dicti (*d*). *Tympana* vero nostris similia Romani (milites) non habuerunt. (Sed ea Gallorum Cybeles & luxuriæ instrumenta fuerunt. *Plaut.* Truc. II. 7. 49. *Suet. Aug.* 68. *Justin.* XXX. 1. 9.) Cum jam ad hostem ventum esset, clamor quidam inconditus tollebatur ad hostium terrorem (*e*), & sui incitamentum, qui posteriore ævo *Barritus* est dictus (*f*), ex cujus alacritate

(o) *Vid. numm. ap. Patin. de numm. Impp. R. ex ære &c. p.* 378. *&c.* (p) *Facit eo Lucan. V.* 316.
(q) *Vid. Plin. H. N. XVI.* 1. *de patria nostra, vel regionibus vicinis loquentem.* (r) *Liv. XXX.* 34.
(s) *Lucan. I.* 386. *seq.* (t) *Amm. Marc. XX.* 5.
(u) *Lucan. II.* 594. *seq.* (*) *Gell. XV.* 27.
(**) *Plut. Coriol. p. m.* 217. (x) *Veget. II.* 22.
(y) *Dion. Hal. IX.* 11. (z) *Ovid. Metam. I.* 98.
(a) *Vid. Senec. Œd.* 734.
(b) *Propert. IV. IV.* 63. *Ovid. Metam. I.* 335.
(c) *Vid. Virg. Æn. VI.* 165. (d) *Suet. Jul.* 32.
(e) *Cæs. de B. C. III.* 92. (f) *Veget. III.* 18.



TABULA E

Λ
L 400
167 K 167 K 167 K
V
100
I 120 252 111½ G
H 80 238½ 125 F
E 50 50 50 50 50 50 50 50
124
100
X d 2050
M
200 S 133½ R 100 Q 100 P
200
S R Q P
S R Q P
S R Q P
S R Q P
T 50
S R Q P
S R Q P
V
S R Q P
S R Q P
S R Q P
V



critate de eventu pugnæ sæpe judicabant (*g*); & ad eam demonstrandam etiam denuo hastis scuta percutiebant (*h*). Signum præterea pugnæ erat Tunica rubra in Prætorio extensa (*i*), (*vexillum* proprie dicebatur (*).)

CAPUT V.

De Castris, & Disciplina Militari.

§. I. *De Castris, & primo de superiore eorum parte.*

D*Isciplinæ Militaris* sedes fuerunt *Castra*, sine quibus nullam noctem agebant exercitus Romani (*a*). Nec unquam fere prælium committebant, nisi antea Castra, quo receptus esset victis, munivissent (*b*). Ea apud Romanos semper fere uniformia fuerunt & quadrata; sed aliquando *Æstiva*, aliquando *Hiberna*. *Æstiva* rursus erant, vel in unam tantum noctem, & tum dicebantur *Mansiones* (*c*); (posteriore certe ævo) vel in plures, quæ *Stativa* (subaudi, *Castra*) appellantur (*d*). *Hiberna* castra accuratius omnibus rebus erant instructa, (unde *ædificare hiberna* dicitur apud Livium XXVI. *c.* 1.) ut armamentario, fabrica, valetudinario, &c. ac ejusmodi Castra pluribus urbibus hodie exstantibus originem dedere; ut *Veteribus*, quæ hodie *Santen* dicuntur, *Coloniæ Ubiorum*, *Passavio*, aliisque; & in nostra vicinia pago multis urbibus illustriori *Alphen*, ubi *Alpheni* quondam castra fuisse dicuntur. Nec florente demum Republica hoc obtinuit; verum jam tempore Tarquinii Superbi in formam fere urbium Hiberna struebant (*e*).

(g) *Liv. IV.* 37. *Appian Parthic.* 148.
(h) *Amm. Marc. XIV.* 2.
(i) *Plut. Fabio Max. p m.* 182 *& alibi Cæs. B. G. II.* 20.
(*) (Macrob. I.16. Cæsar B.G. II.20. & ibi Brant. Lipsius ad Tac. Ann. I. 39. quamquam ipsum locum male exponit.)
(*) (De formula militari: *Vir Virum legit* V. *Torrent.* ad *Suet.* Aug. 35. it. *Saliner.* & *Savil.* ad *Tacit.* Hist. I. 18. At. Virg. XI. Æn. 632. aliter multo exponendus. V. Pier.)
(a) *Vid. omn. Liv. XLIV.* 39. (b) *Vid. Cæs. B. G. V.* 9. *fin. ib. VIII.* 9 15. *&c. Liv. XXXVII.* 12.
(c) *Lamprid. Alex. Sev.* 45. (d) *Liv. I.* 57. *XXIII.* 30. *XXXVII.* 18. *&* 33. (e) *Dion. Halic. IV.* 63.

Castris hibernis subjecta erant *Procestria* (f); ubi lixæ, calones, similisque sortis homines manebant.

Forma castrorum erat, qualis in tabula hic juncta ex Lipsio eam delineari curavimus; ubi videmus ea latiore via in duas partes fuisse distincta, in *Superiorem* nempe, & *Inferiorem*. In Superiore castrorum parte primo erat *Prætorium*, A, sive *Tabernaculum Imperatoris*, & circa illud area laxa & quadrata ad ejus comitatum, contubernales, impedimenta, &c. recipienda: fuit autem hoc Prætorium in medio Ducum & militum præcipuorum. Ad Prætorii dextrum latus & dimidia ejus magnitudine fuit *Quæstorium*, (quod tamen ante Polybii ætatem ad portam decumanam fuisse videtur (g)) B, ad sinistrum vero *Legatorum tabernacula*, C. Ante hæc omnia erat forum rebus venalibus, conventibus, legationibus audiendis inserviens. *Tribuni* collocati erant post Prætorium ab utraque parte sex, via intermedia, quæ ad legiones duceret; ita ut quisque ordo suam legionem spectaret, D. Juxta hos eadem linea versus exteriora castrorum tendebant *Præfecti sociorum* ab utraque parte sex, itidem ex adverso alarum suarum, E. In hac Castrorum parte etiam erant *Evocati*, F, H, tum sociorum equitum & peditum *Ablecti*, G, I, & *Extraordinarii*, K, L. Et hæc *superior pars Castrorum* fuit.

§. II. *De Inferiore parte Castrorum.*

Inferior pars Castrorum rursus in duas alias partes erat divisa via intermedia, ad quam utrimque tendebant *Equites legionum* N, post hos in eadem area *Triarii* O, mox via interjecta *Principes*, P, & *Hastati*, Q, & demum rursus via eos dirimente, *Equites*, R, & *Pedites sociorum*, S, *Velites* ad vallum, quod Castra ambit, videntur rejecti, V. Tentoria militum fere fuerunt ex corio, vel *pellibus* (unde *sub pellibus hyemare* dicitur apud Florum I. c. 12.) funibus *extensa*, unde illis nomen; sed in Hibernis forte etiam asseres fuerunt adhibiti. In quoque tentorio tendebant *decem* milites cum suo *Decano*, (ut *Vegetii* tempore dicebatur) quod proprie *Contubernium* dictum est (h).

§. III.

(f) *Fest. hac V. Vid. Tac. Hist. IV.* 22.
(g) *Liv. X.* 32. *f* XXXIV. 47.
(h) *Cæs. B. C, III.* 76. *Veget. II.* 8.

§. III. *De aliis Castrorum partibus.*

Castris *Vallum* erat *circumjectum*, (*vallum jacere* proprie dicebant Latini (*i*)) quod undique ducentos pedes a tentoriis distabat; cujus intervalli varius erat usus. Constabat hoc vallum ex aggere (*k*) & sudibus, quæ superne erant acutæ, & in ramos divisæ (*l*), ac *Valli* masculino genere dicebantur; licet hoc perpetuum tamen non sit (*m*). Tales vallos quisque miles tres, quatuor, vel plures (*n*) ferre erat solitus (*o*), eosque graphice describit Livius XXXIII. c. 5. Altum erat vallum plerumque pedes tres, vel quatuor (*p*), nisi vicinus hostis immineret; tum enim altius illud exstruebant. Vallo prætendebatur *Fossa*, plerumque novem pedes alta, & duodecim lata (*q*). *Portæ* Castrorum erant quatuor; prima *Prætoria* (*Xa*) hosti plerumque obversa, quæ etiam *Extraordinaria* dicitur (*r*): eique opposita fuit *Decumana* (*s*) (*Xb*) ab hoste aversa (*t*), a *decimis* cohortibus dicta, quæ juxta illam portam tendebant: a lateribus duæ portæ *Principales* erant (*Xc Xd*) dictæ a *Principiis* (*u*); de quibus mox agemus. *Viæ* in castris erant tres *Transversæ*, quinque *Directæ*: illarum prima erat supra Prætorium; ultima medias cohortes secabat, *Quintana* dicta a *quintis cohortibus* (*): media vero via *Principia* dicebatur, (Gr. τὰ ἀρχεῖα (**)) eratque celeberrimus & sacratissimus Castrorum locus: ibi enim a Tribunis jus dicebatur (*x*); ibi aræ, numina (*y*), imagines Principum (*z*), & præcipua legionum signa stabant (*a*); ibi jurabatur (*b*), supplicia peragebantur (*c*), &c. ibique ergo, tanquam (*d*) loco sancto, pecunia a militibus deposita custodiebatur. Castrorum Consularium ambitus erat circiter milliaris unius cum dimidio. Hæc omnia opera ab ipsis militibus (*e*) struebantur

(i) *Liv. III. 25.* (k) *Virg. Æn. VII. 159.*
(l) *Id. Georg. II. 25.* (m) *V. Cæs. de B. C. III. 63.*
(n) *Liv. III. 27. Id. ep. 57.* (o) *V. Hor. Epod. IX. 13.*
(p) *Veget. I. 24.* (q) *Vid. Tibull IV. 1. 83.*
(r) *Liv. III. 27.* (s) *Vid. Fest. v. Prætoria porta.*
(t) *Vid. Liv. III. 5.* (u) *Vid. Fest. v. Principales.*
(*) *Vid. Lips. de Mil. Rom. V. 4.*
(**) *Plut. Galba p. m. 1057. F.* (x) *Liv. XXVIII. 24.*
(y) *Tac. Ann. IV. 2.* (z) *Ibid. XV. 25. & ibi Lips.*
(a) *Ibid. I. 39.* (b) *Tac. Ann. I. 15.* (c) *Suet. Oth. 1.*
(d) *Id. Dom. 7. Veget. II. 20.* (e) *Juv. VIII. 247.*

tur sub cura & inspectione Tribunorum, nisi si qui *immunes* essent, quod vel ob dignitatem consequebantur, ut Tribuni, Centuriones, Equites (*f*) & Evocati (*g*); vel beneficio Imperatoris concessum est: sed hoc postea a Centurionibus emi cœptum militiam Romanam perdidit (*h*); & demum tota hæc Castra muniendi ratio posterioribus temporibus, cum desidia & luxus dominarentur, desiit.

§. IV. *De Muniis Militaribus.*

Disciplina Militaris constat *Muniis*, *Exercitiis*, & *Legibus*. Inter *Munia* primo loco sunt *Ministeria*; secundo, *Excubiæ*; tertio, *Vigiliæ*. Primo loco dixi fuisse *Ministeria*: positis enim castris Tribuni ex hastatis & principibus duos eligebant, qui principia curarent, ut munda essent: ex reliquis octodecim manipulis singuli Tribuni tres sortiebantur (*i*), qui tentorio statuendo aliisque ministeriis, ut aquandi, pabulandi, lignandi & similibus essent intenti (*k*).

Secundo: Ex illis porro tribus manipulis duas *Excubias* quaternorum virorum tum ad dignitatem, tum ad commoditatem Tribuni habuisse videntur (*l*); quemadmodum etiam Quæstor & Legati suas excubias habuerunt. Triarii vero per excubias equitibus, quibus a tergo tendebant, ministrabant, & equos eorum curabant. Apud Imperatorem quotidie unus manipulus excubabat, & turma equitum, ut ex *Sallustio* colligo (*m*). Et hæc omnia de Sociis eodem modo sunt intelligenda. Ad singulas portas ordinario una cohors cum turma equitum stationem habuit (*n*), quæ ex instituto *Pauli Æmilii* circa meridiem mutabatur (*o*).

Tertium *Munus* militare fuit *Vigiliarum*: in quibus consideranda veniunt primo, *Tessera*: secundo, ipsæ *Vigiliæ*: tertio, *Circuitio*. Quod primum attinet: ex quoque decimo signo unus eligebatur, quem *Tesserarium* vocabant (*p*): hic sole inclinante a Tribuno excubitore *tesseram*, sive *tabellam ligneam* accipiebat, cui jussu Imperatoris

(f) *Front. Strat. IV. 1. 27.* (g) *Tac. Ann. I. 36.*
(h) *Vid. omn. eund. Hist. I. 46.*
(i) *Polyb. VI. 31.* (k) *Veget. III. 8.*
(l) *Facit eo Lampr. Alex. Sev. 12.* (m) *Jug. 65.*
(n) *Cæs. de bell. civ. I. 42.* (o) *Liv. XLIV. 33.*
(p) *Vid. Tacit. Hist. I. 25. Plut. Oth. p. 1065. F.*

toris verba unum, vel plura erant inscripta (*q*), (exempli gratia, prælio *Philippensi Apollo* a Cæsare & Antonio signo datus fuit (*r*)) iisque etiam mandata quædam per exercitum fuerunt distributa (*s*): & quovis tempore diei etiam per tesseras mandata edebantur (*t*). Hanc ad suum signum regressus tesserarius proximi signi duci testibus præsentibus tradebat: ille rursus sequenti, atque ita deinceps; ita, ut ante solis occasum ad Tribunum omnes essent relatæ (*u*), qui statim ex inscriptione quadam peculiari (quæ singulas partes exercitus, hastatos puta, principes, triarios & equites, notabat) cognoscere poterat, cujus partis tessera non esset perlata: neque id negari poterat testibus, ut in re capitali, adhibitis (*v*). Secundo: *Vigiliæ* singulæ constabant, ut excubiæ, ex quatuor militibus, (quod perpetuum fuisse videtur (*vv*)) earumque numerus apud Imperatorem & Tribunos idem erat, qui excubiarum; quemadmodum etiam per singulos manipulos singulæ vigiliæ erant dispositæ; apud Quæstorem ternæ, apud Legatos binæ vigiliæ constituebantur. Exteriorem ambitum castrorum tuebantur Velites, quorum etiam decuriæ erant in singulis portis, quanquam his quoque alii juncti fuisse videntur (*x*): imo, si castra hostis in propinquo haberet, noctu quoque ante castra excubabant, unde *Procubitores* sunt dicti (*y*). Non autem omnes simul vigilarunt, sed nocte in quatuor vigilias ope clepsydrarum divisa (*z*) unus ex quaque vigilia divisis vicibus vere vigil perstabat (*a*); reliqui juxta accubabant: accipiebant autem omnes a Tribunis tesserulam diversam a priore, qua dignoscebatur quota quis vigilia, & ex quo manipulo miles munus fecisset: exempli gratia, H. I. V. I. hoc est, *hastatus manipuli primi vigilia prima*. Tertio, hic etiam memoranda venit *Circuitio*, (Græcis ἐφόδεια, *circuitores* ἔφοδοι, & ipsa actio ἐφοδεύειν (*b*)) quæ mandata erat quatuor plerumque equitibus (*c*) ex quaque legione, quos turmæ ordine præbebant. Hi vigilias

(q) *Suet. Claud.* 42. (r) *Val. Max.* I. 5. 7.
(s) *Liv.* VII. 35. XXVIII. 24. (t) *Liv.* IX. 32.
(u) *Vid. Stat. Theb.* VII. 237. (v) *Polyb.* VI. 34.
(vv) *Joan.* XIX. 23. *Lucas in Act.* XII. 4.
(x) *Vid. Veget.* III. 8. (y) *Cato ap. Fest.* ea V.
(z) *Vid. Lucan.* V. 406. (a) *Vid. Veget.* III. 8.
(b) *Polyb.* VI. 33. *seqq.* (c) *Liv.* XXII. 1.

gilias inter se sortiebantur, & ad primum pilum accubabant, cujus Centurio ad quamque vigiliam signum buccina dari (*d*), & tempora clepsydra æqualiter dividi curabat. Initio vigiliarum, cum *Prætorium dimitteretur* (*e*) (ita dicebatur multitudo hominum ad tabernaculum Imperatoris convenientium (*f*)) omnia signa pariter canebant (*g*); & suo tempore, qui primam vigiliam sortitus erat (*ex* I. *Edit.* eam amicis aliquot stipatus obibat), & a vigilantibus quidem tesserulam capiebat; dormientem vero, aut loci desertorem si quem invenisset, proximos attestatus abibat. Prima luce quisque Circuitor ad Tribunum, cujus eo die imperium erat, tesserulas deferebat: quod si qua deesset, nocens quærebatur, & inventus morte plectebatur. Eodem circiter tempore Decuriones omnes & Centuriones cum suis Tribunis (*h*) Imperatorem salutabant, (quod ad dignitatem & reverentiam imperantibus conciliandam utilissimum) qui tum mandata Tribunis dabat; illi Centurionibus, Centuriones militibus. De Sociis hic idem dicendum videtur, quod de civibus.

§. V. *De Exercitiis Militaribus.*

Altera pars Disciplinæ militaris constitit *Exercitiis*, a quibus ipse *Exercitus* est dictus, quod *exercitando* fiat melior (*i*): eaque fuerunt vel *Oneris*, vel *Operis*, vel *Armorum*. *Onera* militum fuerunt majora, quam quis facile credere possit (*k*): ferebant enim *Cibum* (*l*), *Utensilia*, *Vallos*, & *Arma* (*m*). *Cibum* plerumque ferebant dimidiati mensis, vel ultra (*n*); qui olim fere in solo frumento consistebat, quod, cum eo uti vellent, pinsebant, vel molis frangebant (*o*): at sequenti ævo etiam panem *bis coctum*, sive *buccellatum* ferebant (*p*); quod utilius erat, quia levius. *Utensilia* militum erant serra, corbis, rutrum, securis ad muniendum; falx & lorum ad pabulandum; catena; olla ad cibum

(d) *Propert. IV. IV. 63. Liv. VII. 35. Sall. Jug. 99.*
(e) *V. Prop. III. 3. 41.* (f) *Liv. XXI. 54. V. & Cl. Periz. de Prær. Diss. 1. §. 17. Diss. 11. § 8.* (g) *Liv. XXX. 5. Polyb. XIV. p. 946. ed. Gron.* (h) *Joseph. de bell. Jud. III. 6.*
(i) *Varro de L. L. IV. 16. & l. 1. §. 1. ff. de testam. mil.*
(k) *V. Virg. Georg. III. 346. seqq. Hor. Serm. II V. 10.*
(l) *Liv. III. 27.* (m) *Horat. Epod IX. 13.*
(n) *Liv. Epit. 57.* (o) *Vid Liv. XXVIII. 45.*
(p) *Amm. Marc. XVII. 8. & ibi Lindenbr.*

bum coquendum (*q*). *Vallos* plerumque tres, aut quatuor ferebant; aliquando plures (*r*). *Arma* vero milites Romani non onus, sed quasi *membra* sua esse censebant (*s*); & tamen ita onusti stupendum quandoque iter conficiebant, & sæpe quinque horis viginti millia passuum (*t*) confecisse leguntur, quod longo usu doctore discebant: *calones* enim, sive *servos militares* non nisi digniores habebant (*u*); a quibus diversi fuerunt *lixæ*, qui quæstus tantum caussa castra sequebantur (*v*). Jumenta etiam erant quædam; sed non multa (*vv*): eaque erant vel publica, quæ tentoria, molas, similiaque ferrent; vel digniorum quorundam peculiaria: nam vehiculis raro sunt usi, quia magis impediunt.

§. VI. *De Agmine*.

Incedebant compositi in *Agmen*, quod ad classicum instituebatur; & cum primum quidem signum (quando *vasa conclamari* dicebantur (*x*)) datum esset, cuncti tabernacula detendebant, & sarcinas componebant (quod erat *colligere vasa*): ad secundum signum jumentis sarcinas imponebant: ad tertium denique primi procedere incipiebant (*y*), qui erant Extraordinarii; quos sequebantur Socii dextri cornu cum suis impedimentis. Post hos incedebant prima & secunda Legio, & denique Socii alterius cornu, singuli cum suis impedimentis ita; ut Agminis forma eadem fere, quæ Castrorum esset, & *Castra* jure *considens Agmen*; Agmen vero *ambulans Acies* dici posset (*z*). Equites vero interdum a latere, interdum a tergo incedebant; & hoc *agmen Quadratum* dicitur; *Pilatum* vero *agmen* (πιλεῖν τὺς λόγυς pro *densare cohortes* dicunt Græci (*a*)) erat, quando, si periculum propinquum imminere crederetur (*b*), acie instructa procedebant, jumentis cujusque generis militum ei prępositis (*c*); ita ut, si subito pugnandum esset, jumentis se tantum evolvere tenerentur. Velites a fron-

(q) *Joseph l. prox. d.* (r) *Liv.* III. 27. *& epit.* 57.
(s) *Cic Tuscul.* II. 16. *p. m.* 250 (t) *Veget.* I. 9. *omnino*.
(u) *Vid. Sall. Jug* 45. (v) *Tacit. Ann.* II. 62.
(vv) *Sall. d. l.* (x) *Cæs. B. C.* I. 66. (V. Brisson. de Formul. p. 146.) (y) *Vid. Joseph. de bell. Jud.* III. 6.
(z) *Schel. in Polyb.* 1250. T. X. *Thes. Græv.*
(a) *Dion. Hal* IX. 68. (b) *Vid. Sall. Jug.* 100.
(c) *V. Varr. citatum a Scal. ad Fest. V. Compilare*.

fronte plerumque videntur constituti. Imperator (juxta quem ordinarie Evocati & Ablecti fuerunt) vel in medio agmine (*d*), vel, ubi res ejus præsentiam desiderare videbatur, versabatur (*e*). Cum prope locum castris destinatum venissent, Tribuni & Centuriones cum *Metatoribus* (*f*) præmittebantur, qui locum aptum castris eligerent, eaque *metarentur* eo modo, quem jam descripsimus; *metari* enim nihil aliud est quam *suis finibus & metis locum aliquem secare* (*g*). Vexilla autem quatuor suis quæque locis, & hastæ in singulis *strigis* (ita dicuntur ordines in longitudinem ducti; ut qui in latitudinem ducuntur, *scamna* (*h*)) deponebantur, ita ut milites tanquam in urbem sibi notam & ordinatissimam ingrederentur; præsertim quia Castra, ut diximus, fere semper uniformia erant.

§. VII. *De Exercitiis Operis.*

Exercitia Operis quoque stupenda fuerunt in obsidionibus urbium, aliisque occasionibus, ut in vallis struendis, fossis ducendis, &c. adhibita (*i*). Quin in pace etiam, vel per otium perite & affabre opera quædam struebant, ut vias, basilicas, &c. (*k*) imo tota oppida: (ut de *Lugduno* nobili illa Galliæ urbe testatur *Dio Cassius* (*l*)) & inde hodieque apud nos supersunt *fossæ Drusiana* & *Corbulonis*; quarum illa hodie nobis *de Yssel*, hæc *de Vliet*, vocatur, quæ a *Leida* urbe ad *cataractas*, ut vocant, *Maaslandiæ*, sive ad ipsum fere *Mosæ fluvii* ostium extenditur: in *Britannia* vero reliquiæ *valli Severi Scotiam* ab *Anglia* separantes etiam hodie conspiciuntur; ut omittam vias illas celeberrimas, de quibus prolixius agendi hic locus non datur. Nec tamen in ipsis legionibus tot erant fabri, ut hæc omnia perficere potuissent; sed milites ipsi longo usu hoc opus erant docti (*m*): licet aliqui tamen fabri iis fuerint admixti, quibus præerat *Præfectus fabrorum* (*n*).

§. VIII.

(d) *Sall. Catil.* 59. (e) *Id. Jug.* 45. *omnin.*
(f) *Veget. II* 7. (g) *Vid. Ovid. Fast. I.* 106.
(h) *Hygin. de Castram* in T. X. *Ant. R. Græv.*
(i) *Lucan. VI,* 38. *seqq.*
(k) *Tac Hist. II.* 67. *Vopisc. Probo* 9.
(l) *L XLVI. vers. fin.*
(m) *Tac. Hist. IV.* 30. (n) *Veget. II.* 11.

§. VIII. *De Exercitiis Armorum*.

Tertium denique *Exercitii* genus fuit *Armorum*; quod tam pacis, quam belli tempore quotidie fiebat (*o*); & absque ulla exceptione ab omnibus; a veteranis vero semel (*p*). Imo ipsi Duces & Imperatores, ut Scipio (*q*), Pompejus (*r*), aliique (*s*) hoc exercitii genere gavisi sunt. Et præcipue quidem in Hibernis Exercitia instituebantur, dirigente ea Centurione aliquo, vel notæ virtutis veterano (*t*). Nec tempore pluvio, vel ventoso cessabant; sed loca quædam tecta huic usui habebant (*z*). *Exercitiorum*, quæ *armorum* diximus, *genera* porro fuerunt varia: ut primo, *Ambulatio*; in qua maxime spectata fuit celeritas & æqualitas: itaque ter singulis mensibus milites educebantur, & armati, imo aliquando onera ferentes decem millia passuum (*a*) (vel potius, nisi mendosus fit *Vegetius* (*b*), viginti millia) *militari gradu*, hoc est, *maxima celeritate* ire & redire jubebantur (*c*). Secundo, in usu erat *Decursio*; cum ordine servato quatuor millia passuum in armis & sub signis decurrebant (*d*); cujus, ut & præcedentis Exercitii, finis erat celeritatis comparatio. Tertio *Saltus*; quem exercebant, ut in occasione fossas transilire (*e*), vel altitudines superare possent. Quarto admodum commendata fuit Romanis *Natatio* (*f*); quæ in mari, vel flumine castris vicino; vel etiam Romæ in Tiberi juxta campum Martium exercebatur (*g*). (Unde proverbium: *neque literas, neque natare doctus*) Quinto *Palaria* erat, quando tirones *palum* tamquam hostem variis ictibus petebant (*h*); quod fiebat præsente magistro. Sexto *Armatura*, sive *sagittarum, aliorumque jaculorum missio* (*i*), quæ proprie leviorum armatorum erat. Septimo denique occurrit *Salitio*; quum equi-

(o) *Joseph. de bell. Jud. III. 6.* (p) *Veget. II. 23.*
(q) *Sil. Ital. VIII. 361. seqq.*
(r) *Plut. Pomp. p. m. 653. A. Veget. I. 9. ex Sall.*
(s) *Liv. VII. 33.*
(t) *Plin. Paneg. p. 55. ed. Lips. Tacit. Agr. 28.*
(z) *Veget. II. 23.* (a) *Ibid. I. 27.* (b) *I. 9.*
(c) *Plaut. Pseud. IV. IV. 11.*
(d) *Liv. XXIII. 35. XXVI. 51. XXIX. 22.* (e) *Veget. I. 9.*
(f) *V. Suet. Aug. 64. Tibull. I. IV. 71. III. V. 130.*
(g) *Veget. I. 10.* (h) *V. Cic. de Sen. 16, Juv. VI. 247.*
(i) *Veget. I. 13.*

equites gladiis strictis in equum ligneum insiliebant (*k*), qui etiam cursus & flexus equorum, similiaque discebant: sed præter hæc etiam plura alia Exercitia fuerunt, ut *portatio ponderis*, *&c.* (*l*)

§. IX. *De Legibus Militaribus*.

Tertia Disciplinæ militaris pars consistit in *Legibus*; inter quas una fuit severissima contra *furta* (*m*), (de cujus pœna etiam vide *Catonem apud Front. Strat.* 1. *c.* 4.) qua fustuarii pœna statuta erat in eum, qui vel nummi unius argentei valorem abstulisset (*n*). Quin nec in hostico promiscue prædari licebat, sed pars Exercitus ad eam rem mittebatur; verum ita, ut omnis præda communis esset (*o*), eaque a Quæstore vendita, a Tribunis pecunia ex ea redacta viritim distribueretur: itaque nemo prædandi caussa ordinem suum deserebat, cum sciret se etiam ita partem suam de præda habiturum. Ad leges etiam spectat, quod milites extra castra litigare non cogebantur: & quod a militibus judicabantur (*p*).

§. X. *De Stipendiis*.

Stipendia militibus apud antiquissimos Romanos nulla prorsus fuerunt constituta usque ad A. U. 347. sed quisque suo sumptu militabat (*q*). Inde ad Julium Cæsarem usque habuere stipendium diurnum quinque circiter assium, sive duorum obolorum (*r*), qui denos denarios menstruos, sive unum nummum Philippæum faciunt. Id Julius Cæsar duplicavit (*s*); Augustus vero decem asses diurnos (*) iis tribuit (*t*), & postea ita excrevit stipendium, ut tempore Domitiani (*u*) quatuor aureorum in singulos menses, sive decem nummorum Philippæorum esset; ut quidem vult Lipsius *de Milit. Rom. V.* 16. sed rectius, ut videtur, *Schelius loco paulo antea in margine citato*, & *Jo. Frid. Gronovius ὁ πάνυ de Pecun. Vet.* III.

(k) *Id. I.* 18. (l) *Id. I.* 19. (m) *Vid. Cincium ap. Gell. XVI.* 4. (n) *Vid. omn. Spartian. Pescenn. Nigro* 10. *& Front. Strat. IV.* 3. 13. (o) *Polyb. excerpta ex L. X.* 17.
(p) *Juven. XVI.* 13. *seqq.* (q) *Liv. IV.* 79.
(r) *Vid. Rhadb. Herm. Schelium differt. ad Polyb.* 3. *in Thes. Græv. T. X. p.* 1195. (s) *Suet. Jul.* 26.
(*) (Hunc errorem, quem Lipsio debet, egregie corrigit Gronov. de Pec. Vet. p. 127.) (t) *Suet. Aug.* 49. *Sed omn. Tacit. Ann.* 1. *ibique Lips.* (u) *Suet. Domit.* 7.

III. c. 2. aureos duodecim annuos dicunt; quos vide. Hujus summæ duplum Centuriones, triplum Equites accipiebant *(a)*; & etiam quibusdam propter virtutem majus solito stipendium dabatur, qui inde *Duplicarii* sunt dicti *(b)*, (quorum mentio est apud Livium II. *c.* 59.) & Græcis *(c)* διδραχμοι ὁπλῖται: & etiam quandoque duplicem annonam virtutis caussa consequebantur *(d)*: quo alludit forte Apostolus, cum Presbyteros, qui bene præsunt, *duplici honore dignos* pronunciat *(e)*. Præterea militibus præbebatur frumentum, ne inopia ad rapiendum cogerentur, modii Romani quatuor in mensem; (quantum etiam *dimensum servorum* *(f)* erat) illudque vendere nefas erat *(g)*. Hic similiter Centuriones duplum, Equites triplum accipiebant; non quod eorum venter plus caperet, sed quod servos quosdam haberent; iisque præterea hordeum ad equos dabatur. Sociis peditibus tantumdem frumenti, Equitibus modii tantum octo dabantur; quia scilicet non ita erant opulenti, neque tot servos habebant, ac cives. Hæc autem omnia Sociis gratis præstabantur, quia scilicet etiam gratis militabant; Romanis & pro frumento, & pro armis certa quædam; sed exigua pecunia de stipendio detrahebatur *(h)*. Sal quoque, legumina quædam & laridum salitum *(i)* aliquando præbitum fuit, inferiore utique ævo; unde *cibi militares* pro *vilibus* dicuntur *(k)*. Nemini vero cibum sumere licebat, nisi signum publice datum esset *(l)*; quod bis quotidie fiebat: & prandebant quidem parcius (ut mos Romanis) cibo plerumque incocto *(m)* utentes, idque stantes. In cœnando vero paullo prolixius se excipiebant *(n)*; sed tamen cibis propria manu paratis *(o)*. *Potus* militum erat aqua, vel, *posca* (Græcis ὀξύκρατον) hoc est,

(a) *Polyb.* VI. 37. (b) *Varro de L. L.* IV. 16. (c) *Pollux* IV. 22. *fin.* (d) *Liv.* VII. 37. (e) 1. *Timoth.* V. 17. (f) *Donat. ad Ter. Phorm.* II. 5. (g) *Suet. Galba* 7. *Sall. Jug.* 44.

(h) *Vid. Tacit. Ann.* I. 17. *Plut. Gracch. p.* 837. (i) *Spartian. Hadr.* 10. (k) *Id. Pescenn. Nigro* 11. (*ex* 1. *Edit. add.* Lamprid. Alex. Sev. 51.) (l) *Vid. Joseph. de bell. Jud.* III. 6.

(m) *Vid. Sallust. Jug.* 45. (n) *Polyæn. Stratag.* VIII. 16.

(o) *Herodian.* IV. 7. *Frontin.* IV. 1. *ex* 2. *quem loc. infeliciter a Lips. esse tentatum didiceram ex App. Hisp.* 303. *cum vidi idem esse observatum a magno Schelio not. in Polyb.* 8. *T.* X. *Ant. R. Græv qui etiam citat Polyæn. Strat.* VIII. 16. 2. *Ergo hic nego, quod in prioribus edit. dixeram.*

est, *aqua aceto mixta*; quæ etiam servorum erat (*p*); & Domino quoque nostro cruci adfixo præbita fuit (*q*).

§. XI. *De præmiis militaribus.*

Præmia & *Supplicia* vincula sunt Reipublicæ, & præsertim rei militaris: ideoque Romani diligentissime eorum rationem habuerunt. Et primum quidem inter commoda militiæ referri potest, quod extra Castra litigare non cogerentur (*r*); tum etiam quod de peculio castrensi testari possent (*s*). Est autem *peculium castrense pecunia, quam filiusfamilias occasione militiæ armatæ a rationibus paternis separatam acquisivit:* ad cujus similitudinem etiam dicitur *peculium quasi castrense, quod occasione militiæ togatæ, sive caussis in foro agendis quæsitum est.* Præterea bene meritis militibus ab Imperatore victoriam adepto *Præmia* dabantur: nam Imperator ea occasione re divina facta (*t*) exercitum in concionem convocabat; & donandos juxta se statutos publice collaudabat (*u*), iisque gratias agebat (*x*). *Præmia* porro erant vel *Majora*, vel *Minora*. *Minora*, ut *hasta pura* (*y*), sive *non ferrata*; qua donabatur miles, qui singulari certamine hostem percussisset. Qui hostem dejecisset & spoliasset, si pedes esset, *Armilla* (*z*); si eques, *Torque*, vel *Phalera* (*a*) aurea vel argentea donabatur. *Phalera* autem differt a *Torque*, quod illa laxior & ad pectus demissa penderet (*b*); hæc vero collum magis stringeret. Aliquando etiam *Vexillis* donabantur (*c*); quæ erant vel pura, vel pluribus coloribus & auro distincta (*d*). Catellas etiam & fibulas donatas legimus (*e*). *Majora* Præmia fuerunt *Coronæ* varii generis; quarum prima & præcipua fuit *Corona obsidionalis*; (Gr. πολιορκητικὸς στέφανος (*f*)) qua donabatur, qui cives *obsidione* liberasset: hæc omnium

(p) *Plaut. Mil. Gl. III. II. 23.* (q) *V. Joan. XIX. 29.*
(r) *Juv. XVI. 35.* (s) *Pr. Instit. quib. non est perm. fac. testam.* ( ) *Hirtius de bell. Afric. 85.*
(u) *Sall. Jug. 54 Liv. XXIV. 16.*
(x) *V. Dion. Hal. VI. 94. IX 13. Plut. Coriol. p. m. 218.*
(y) *Serv. ad Virg. Æn. VI. 760.*
(z) *V. Fest. v. Armilla.* (a) *Juven. XVI. verf. ult.*
(b) *Sil. Ital. XV. 255.* (c) *Sall. Jug. 85.*
(d) *Vopisc. Aurelian. 13.* (e) *Liv. XXXIX 31.*
(f) *Dion. Hal. X. 37. ubi videre licet cur data fuerit.*

omnium dignissima habebatur (*g*), & plectebatur e gramine ex loco, intra quem obsessi fuerant, decerpto (*h*). Hanc dignatione sequebatur *Corona civica* (πολιτικὸς σίφανος (*i*) ; quæ cur e *quercu* fuerit, vide apud Plutarchum *Coriolano p. m.* 214.) plexa e quercu, quæ dabatur ob civem servatum, & eodem tempore hostem occisum : dabatur (*k*) autem decreto Imperatoris ab eo, qui servatus erat, servatori suo ; quem etiam per omnem vitam reliquam parentis loco colebat (*l*). *Corona Muralis* aurea (*m*), in formam *muri* pinnis & turribus distincta (*n*), dabatur ei, qui primus urbis obsessæ *murum* conscendisset : & huic fere similis erat *Castrensis*, sive *Vallaris* Corona, data ei, qui primus hostium *castra* pugnans introiisset (*o*), vel *vallum* superasset. *Navalis* Corona aurea dabatur ei, qui primus in *navem* hostilem armatus transiliisset (*p*) : sed ab hac distinguenda venit Corona *Classica*, sive *Rostrata* (quæ soli civicæ dignitate cedebat) data ei, qui insigni aliqua victoria hostem mari vicisset ; qualis *M. Varroni*, & postea *M. Agrippæ* contigit (*q*). Fuerunt præterea coronæ *aureæ* nulla appellatione peculiari distinctæ, sed virtutis quorundam militum caussa datæ (*r*). Et verbis potius, aut rebus non suo pretio metiendis, quam pecunia milites donabant ; ut intelligeretur, solum honorem, non divitias virtutis præmium esse (*s*). His donis etiam alii honores erant juncti ; ut scilicet ita ornati ludos spectarent (*t*), & Equites etiam in solemni sua Transvectione ea sibi præferri curabant (*u*).

Spolia, sive *Exuvias* ab hostibus captas (*z*) in maxime celebri ædium parte figebant (*a*), quæ revellere etiam venditis ædibus (*b*), vel collapsa reficere nefas erat (*c*). *Spolia* vero *Opima* (*d*) erant, quæ Dux aliquis (scilicet etiam ex inferiori-

(g) *Vid. omn. Plin. H. N. XXII. 3. seqq.*
(h) *Fest. V. Obsidionalis Gell. V. 6. ubi de variis coronarum generibus agit.* (i) *Dion. Hal. l. d.*
(k) *Vid. Plin. H. N. XVI. 4.*
(l) *Gell. d. l. Cic. pro Planc.* 30. (m) *V. Suet. Aug.* 25.
(n) *Sil. Ital. XIII.* 356. (o) *Fest. V. Castrensis.*
(p) *Gell. d. l.* (q) *Plin. H N. XVI. 4.*
(r) *Val. Max. III. 2. 24.* (s) *V. Cic. Phil. V. 13...., 17.* §.
(t) *Liv. X. 47.* (u) *Dion. Hal. VI. 13.*
(z) *Virg. Æn. II. 504. & ibi Serv.*
(a) *Tibull. 1. El. 1. 53. Liv. X. 7. sive n. 36.*
(b) *Plin. H. N. XXXV. 2.*
(c) *Plut. Quæst. Rom. p. m. 273.* (d) *Fest. V. Opima.*

rioribus, ut ex exemplo *Cossi* patet (*e*)), Duci hostium in acie detraxerat; eaque in templo Jovis Feretrii figebantur; quod ter tantum (*f*) toto Reipublicæ Romanæ tempore accidit. Sunt autem dicta *Opima* ab *opere*, juxta quosdam (*g*); juxta alios ab *Ope* Saturni uxore, quia hæc (utpote qua *terra* signatur) omnes *opes* humano generi tribuat (*h*); vel denique, quod verius videtur, ab *opibus*, sive *divitiis* dicta sunt; unde etiam *triumphus opimus* dicitur apud Horatium *Odarum IV*. 4.

§. XII. *De Triumpho & Ovatione*.

Honores, qui Duci decernebantur, fuerunt *Imperatoris appellatio* (*i*), quæ re bene gesta Duci a militibus dabatur (*k*), a Senatu confirmabatur (*l*); eamque appellationem Dux retinebat donec triumphasset. Ultimus ex privatis Imperator dictus est *Junius Blæsus*, *Sejani* avunculus (*m*): licet sua ætate illud adhuc factum dicat *App. Al. Civ. L. II. n.* 455. Secundo, victoriam sequebatur *Supplicatio*, quæ erat (*n*) *Publica gratiarum Diis actio a Senatu decreta*; & etiam *Gratulatio* dicitur (*o*): eaque uni Ciceroni, post oppressam conjurationem *Catilinariam*, togato est concessa (*p*).

Omnium vero honorum bellicorum culmen erat *Triumphus*; (Græcis θρίαμβος) qui decernebatur a Senatu (licet aliquando a populo (*q*) invito Senatu impetraretur) Duci, qui ultra quinque millia *hostium legitimorum* (*r*), sive *justo & hostili bello*, ut dicit Cicero *pro rege Dejotaro c.* 5. (ex civili enim bello non triumphabant (*s*)) una acie, suis auspiciis (unde sub Imperatoribus privati, quia auspicia non habebant (*t*), vix triumpharunt) occidisset; ita, ut victoria illa Imperium Romanum esset auctum (*u*). Neque etiam exercitus ex provincia deportabantur, nisi ea perdomita & pacata successori fuisset tradita (*x*). Aliquando tamen nullo

(e) *Vid. Cl. Periz. Animadvers. hist.* 7. (f) *Liv. I.* 10.
(g) *Plut. Romul. p. m.* 27. (h) *Fest. l. d.*
(i) *Tac. Ann. III.* 74. (k) *Cæs. B. C. II.* 26.
(l) *Cic. Philipp. XIV.* 5. (m) *Tac. Ann. III.* 74.
(n) *Vid. Catonis Epist. ad Cic. Famil. XV.* 5.
(o) *Cic. pro Marcell.* 4. (p) *Ipse ad Fam. XV.* 4. *& alibi sæpius*. (q) *Dion. Hal. XI.* 50. (r) *Val. Max. II.* 8. 1.
(s) *Ibid.* 7. (t) *Hor. Od. IV. XIV.* 33. (u) *Val. Max. d. l.* 4.
(x) *Liv. XXVI.* 8. *XXVIII.* 9. *XXXIX.* 29.

lo bello gesto triumphatum fuit (*y*). Triumphus porro hoc modo celebrabatur. Die certo a Senatu constituto Imperator, veste triumphali indutus (*z*), & laurea corona ornatus (*a*), currui pretioso (*b*) quatuor equis albis (*) plerumque tracto insistens (*c*), per Urbem ad Capitolium, pompa per circos, *Flaminium* primum, inde Maximum ducta (*d*), vehebatur præcedente Senatu, & comitante magna civium turba, qui omnes albis vestibus erant induti (*e*). Ante Imperatorem vehebantur spolia bellica, & imagines urbium ac regionum devictarum (*f*). Eum etiam currum præcedebant Reges, vel Duces captivi cum sua familia (*g*) catenis aureis, vel argenteis vincti (*h*), eosque Imperator, statim ac de foro in Capitolium flectere iter inciperet, in carcerem duci, & ibi necari jubebat (*i*). (Ignobilium captivorum multitudo sub corona venibat *). Post hos erant victimæ immolandæ. Imperatorem vero proxime sequebantur ejus cognati & affines (*k*); & denique victor exercitus: ex quo, si quis præmium accepisset, illud præ se ferebat. Milites (qui sicuti omnes, qui triumpho aderant, erant *laureati* (*l*)) acclamabant, *Io triumphe* (*m*); & carmina quædam triumphalia, ac petulantia (*n*) in ipsum Imperatorem canebant, ne nimium sibi placeret (*o*); ac propter eandem rationem servus quidam publicus eodem curru pone Imperatorem vehebatur (*p*): & fascinus quoque ad placandam Nemesin de curru dependebat (*q*); vel, ut alii, tin-

(y) *Id. XL.* 38. (z) *Dion. Halic. III.* 61.
(a) *Horat. Od. IV. III.* 6. (b) *Id. Epod. IX.* 21.
(*) (Ovid. 1. art. 214. quod post Camilli ob Vejos captos triumphum obtinuisse videtur, qui triumphus (quod primus curru equis albis juncto urbem invectus esset Camillus) in vulgus clarior quam gratior fuit. Rationem refert Livius V. 24. Itaque Propert. IV. El. 1. 32. per prolepsin Romulo triumphanti albos equos dat. Vid. etiam Bronkhus. ad Tibull. 1. El. VIII.) (c) *Ovid. Trist. IV. El. II.* 53. *in qua elegia plurima sunt de totius triumphi ratione*. (Id. II. Pont. 2. 21. seqq.)
(d) *Vid. Jos. de B. J. VII.* 24. (e) *Juven. X.* 45.
(f) *Ovid. d. l.* 20. *Quinctil. VI.* 3. *Claud. de laud. Stilic. III.* 23. (g) *Ovid. d. l.* 21. *seqq. Propert. II. I. vers.* 33.
(h) *Vospic. Aurelian.* 34. (i) *Cic. in Verr. V.* 30.
(*) (Liv. V. 22. pr. Vid. Brisson. Form. p. 494.)
(k) *Suet. Tib.* 6. (l) *Plin. H. N. XV.* 30.
(m) *Horat. Od. IV.* 11. 40. (n) *Martial. I.* 4. *Suet. Jul.* 50. 51.
(o) *Vid. Dionys. Halic. VII.* 72. (In originem hujus moris inquirit Histor. Acad. Lit. Paris. Tom. II. p. 136.)
(p) *Juven. X.* 41. (q) *Plin. H. N. XXVIII.* 4.

tintinnabulum cum scutica, sive flagro, si fides *Zonaræ* (r). Ita per vias suffitu repletas (s) & floribus sparsas in Capitolium pervectus Imperator (t) sacra faciebat, bobus albis a *Clitumno* maxime fluvio petitis (u), & lauream in gremio Jovis deponebat (v): quod postea etiam videtur factum, etiamsi non triumphatum esset (vv). Tum quoque epulum in Capitolio celebrabant; ad quod invitati Consules deinde rogabantur, ut venire supersederent; ne quis eo die, quo Dux triumphasset, majoris in eodem convivio esset imperii (x).

Qui Hostes mari vicisset, *Triumphum Navalem* agebat; quod primum victis Carthaginensibus fecit A. U. 494. K. *Duillius* (y): nam circa hoc tempus primum Romani cum classe mare ingressi sunt; quorum naves tunc *caudicariæ* sunt dictæ (z), quod *caudices* arborum iis adhuc adhærerent; & inde ejus classis dux *Appius Caudex* fuit dictus. In illius vero Duillii honorem columna fuit erecta quæ *Rostrata* dicitur, quia *rostra* navium ei erant adfixa, cujus hodieque inscriptio in Capitolio legitur antiquissimum Latinæ linguæ monumentum (a).

Si legitima quadam conditione deficiente Senatus triumphum negasset, aliquando in monte Albano triumphabant; quod primus fecit *Papirius Maso* A. U. 522. (b).

Post Augustum Imperatorem raro triumphatum fuit; & fere non nisi ab ipsis Imperatoribus. Nam cum Agrippa Augusti gener triumphum recusasset, privati non amplius eum ambire sunt ausi, quanquam tamen sub Justiniano Imperatore *Belisarium* ex devicta Africa triumphum egisse legamus (c): aliis vero Ducibus, si bene rem gessissent, ornamenta triumphalia sunt concessa (d).

Si res triumpho minus digna foret, vel ἀκονιτί, *sine pulvere*, sine certamine esset gesta, concedebatur *Ovatio*, quæ erat quasi *minor* quidam *Triumphus*

(r) *Ann. II. in rebus Camilli.* (s) *Ovid. Trist. IV. 2. 4.*
(t) *Ibid. 55.* (u) *Virg. Georg. II. 146.*
(v) *Senec. cons. ad Hel. 10.* (vv) *Suet. Domit. 6.*
(x) *Valer. Max. II. VIII. 6. Plut. Quæst. Rom. 79. 5. p. 283.*
(y) *Flor. II. 2.*
(z) *Fest. V. Caudicariæ. Senec. de brev. vit. 13.*
(a) *Quod explicatum vid. a Ciacconio in Thes. Græv. Tom. IV.* 1811. (& ab *Ub. Folieta* de Ling. L. Usu & Præst. p. 10. 153. seqq. ed. Moschen.) (b) *Val. Max. III. 6. 5.*
(c) *Procop. Vandal. II.* (d) *Suet. Tib. 9.*



ARGENTEA.



ARGENTEA.

COLUMNA ROSTRATA DUILIO ERECTA
PRO REPORTATA VICTORIA CONTRA CARTHAGINENSES


BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.
ROMA

phus (e), (ὁ ἐλάττων θρίαμβος (f), & ὁ πεζὸς θρίαμβος (g)) & in multis ab eo differebat: nam Ovans pedibus incedebat, vel equo vehebatur, non curru; myrto coronabatur, non lauro; *ovem*, non taurum immolabat, unde ipsa *Ovatio* est dicta (h).

§. XIII. *De Pœnis Militaribus*.

Pœnarum (i) *irrogatio* Tribunis & Præfectis cum consilio suo, vel etiam Imperatori (k) competebat; a quo nulla erat provocatio (l): quod tamen post legem Porciam latam A. U. 556. aliter obtinuisse videtur (m). Puniebantur autem milites vel *Castigatione*, vel *ignominia*: *Castigatio* consistebat in *mulctæ dictione*, *pignoris captione*, vel denique *verberatione*. *Verberatio* rursus erat vel *ad mortem*, & dicebatur *Fustuarium* (n), cum *fustibus*, vel lapidibus, qui deliquissent, a commilitonibus occiderentur ob graviora delicta; (exempli gratia, ob furtum, perjurium, præmium falso postulatum, desertionem, armorum amissionem, vigilias neglectas, &c.) vel *non ad mortem*; cum cives *vite* (o), alio fuste, vel etiam virgis socii cæderentur (p). Si plures peccassent, *Decimatio* (q), *Vicesimatio*, vel denique *Centesimatio* (r) pro gravitate delicti adhibebatur, *Ignominia* (pœnæ autem plus turpitudinis, quam cruciatus habentes, militiæ maxime conveniunt (s)), *ignominia*, inquam, erat, ut primo, cum hordeum pro tritico alicui daretur (t); secundo, cum aliquis stipendio, vel parte ejus (x), privaretur, qui dicebatur (y) *ære dirutus*; & hæc pœna potissimum erat *infrequentium* (z), hoc est, *eorum qui a signis abfuissent*; ad quod pœnæ genus etiam referri posset

 alte-

(e) *Gell.* V. 6. *omnino*. (f) *Dion. Halic.* VIII. 67.
(g) *Id* IX. 36. *Vid eund.* IX. 71. *in f.*
(h) *Serv. ad Æn.* IV 550.
(i) *Vid. de his præcipue totam l.* 3. *ff. de re milit.*
(k) *Polyb.* (l) *Cic de LL.* III. 3. *Dion. Hal.* XI. 43.
(m) *V. Pighii annales ad eum annum.*
(n) *Cic. Philipp* III. 6. *Liv.* V. 7.
(o) *Juven.* VIII. 247. (p) *Livii Epit.* 57.
(q) *Dion. Halic.* IX. 50. (*v. omn. Liv.* II. 59. *f.*
(r) *Capitol. Macrino* 12. (s) *V. Bernegg. ad Justin.* XXXII. 3.
(t) *Liv.* XXVII. 13. *Suet. Aug.* 24.
(x) *Liv.* XL. 41. (y) *Varro ap. Non.* 32.
(z) *Facete alludit Cic. Verr.* V. 33.

alterum, ne scilicet stipendia militaria ante delictum facta procederent (*a*). Tertium ignominiæ genus fuit, cum extra vallum tendere juberentur (*b*); quæ timidorum fere pœna erat. Quartum cum discincti (*c*) & turpi habitu, ut effœminati prostituerentur; quod plerumque fiebat in Principiis, ubi etiam reliqua supplicia peragi solebant (*d*): atque eo habitu aliquando etiam opus facere coacti sunt (*e*). Denique aliquando ex honestiore militiæ genere in minus honestum (ex Triariis exempli gratia, in Hastatos, vel Velites) transcribebantur (*f*). Fuerunt etiam plura pœnarum genera; sed minus usitata, quæ silentio transmittimus. (v. omn. Suet. Aug. 24.)

§. XIV. *De Missione & exauctoratione.*

Ultimum, quod in hac materia militari considerandum venit, est *Missio*, & *Exauctoratio*. *Missio* est vel *justa*, vel *injusta*. *Justa* rursus est vel *honesta*, quæ fit emeritis stipendiis (*g*); (nam, qui ante id tempus se subduxisset, morte, vel servitute puniebatur (*h*)) vel *causaria*, quæ fit ob morbum, vel vitium (*i*), & interdum honestæ missioni præmiis æquatur. Honesta missione missi in *beneficiarios* referebantur; & ex iis sæpe erant Evocati (*k*): *Injusta missio* vel per gratiam ab Imperatore impetrabatur (*l*); vel erat *ignominiosa*, cum ob crimen aliquis militia solveretur (*m*).

Sub Augusto Imperatore in usum venit *Exauctoratio*, cum onere militiæ, nisi pugnæ, soluti milites (*) *Veterani* & *Vexillarii* (*n*) fierent; & sub *vexillis* plena militiæ commoda exspectarent. *Missio* vero post hæc tempora fuit illorum, qui hæc commoda (*o*) accipiebant; quæ sub Augusto erant duodecim millia nummorum sestertiorum, sive trecentorum Imperialium (*p*). *Prætoriani* vero milites ab

(a) *Liv. XXXVII.* 2. (b) *Id. X.* 4. (c) *Id. XXVII.* 13.
(d) *Suet. Aug.* 14. (e) *Plut. Lucull. p. m.* 501. *Front. L. IV.* 1. 45. (f) *Val. Max. II.* 7. 15. *ubi plura de hac materia visu digna. Frontin. L. IV.* 1.18. (g) *V. Liv. XXIII.* 25.
(h) *V. Epit. Liv.* 55. (i) *L.* 2. §. 2. *ff. de his, qui not. inf.*
(k) *Vid. Cæs. B. C. III.* 88. (l) *Liv. XLIII.* 5.
(m) *D. l.* 2. *ff. Vid. Hirt. de B. Afr.* 54. (*) (de *Veteranis* lectu digna exhibent Memor. Acad. Paris. T. V. p. 366.)
(n) *Vid. omn. Græv. ad Cic. Phil. II.* 40. *Tac. Ann. I.* 36.
(o) *Vid. Suet. Aug.* 49. (p) *Dio* 55.

tes ab Augusto instituti post sexdecim annos viginti millia sestertiorum, sive quingentos Imperiales accipiebant: sed utrique summæ medium deduxit Cajus Imperator (q); quippe cui ad incredibilem, quo gaudebat, luxum vix ullæ opes sufficiebant. Aliquando etiam, post bella præcipue civilia, agri vel in Italia, vel in Sicilia ipsis sunt dati (r).

(§. XV.

Deditionem facientes clypeum solebant abjicere, aut convertere, capitive imponere: quod ex *Appian. II.* Civil. *Ammian.* L. 26. *Themist.* Or. IX. docuit *Rubenius de Gemma Tib.* Proverbia, hastam abjicere, herbam vel manum dare s. porrigere, exposuere *Erasmus in Chil.* aliique.)

(q) *Suet. Cajo* 44.

(r) *Virg. Ecl. I.* 71. (& IX. 2....5.) *Horat. Serm. II.* 6. 55. (de Exauctoratis milit. vid. Tac. A. I. 36. 4. ac Duker. de Latinit. JCt. p. 269. & 487. F. R.)



SECTIO SEXTA.

De Vita privata Romanorum.

CAPUT PRIMUM.

De Re Vestiaria.

§. I. *De Toga.*

PRæcipua & propria (*a*) vestis Romanorum fuit *Toga*, sicuti Græcorum *Pallium* (*b*). Ea autem Quiritium ita propria fuit, ut pro *ipso nomine Romano* ponatur apud Horatium *Od.III.* 5. quem locum imitatus videtur Florus IV. *c.* 2. & *Togatus* absolute pro *cive Romano* (*c*). Erat autem Toga vestis lanea, rotunda & clausa, sine manicis; unicoque injectu totum hominis corpus involvebat, ita, ut dextrum brachium superne exereretur, sinistrum imam Togæ oram sublevaret; qua ratione efficiebatur illud, quod dicitur *sinus* (*d*). Toga non nisi in pubblico gestabatur; & a divitibus quidem & delicatis laxior (*e*), a pauperibus vero & frugalioribus angustior (*f*). Color Togæ ordinariæ fuit *albus*; qui distinguendus est a *candido*, sive *splendente*, qualis erat cum cretam togæ adderent; talemque gestabant, qui magistratum petebant; unde appellati sunt *Candidati*, quemadmodum jam supra diximus (*g*): & hinc etiam *cretata ambitio* dicitur *Persio Satyr. V. v.* 177. Festis vero diebus togas recens lotas sumebant; unde tunc *albati* (*h*) dicebantur: *albus* enim color gratus est, contrarius *niger*; unde *dies lætos albo*, *contrarios nigro lapillo notare* dicimus (*i*). Et hinc etiam *albus* pro *homine probo*; *niger* pro *improbo* ponitur (*k*). Lugentes

(a) *Suet. Aug.* 40. *ex Virgilio. Lucan.* II. 386.
(b) *Plautus Curcul.* II. III. 9. (c) *Cic. in Verr.* II. 62. *&* *vid. ibid.* V. 60. (d) *V. Ferrar. de Re Vest.* I. 6. *Quintil. Instit.* XI. 3.
(e) *Hor. Epod.* IV. 8. *&* *Ep.* I. XVIII. 30. *Cic. in Catil.* II. 10. (f) *Hor. Epist.* I. XIX. 13.
(g) *Sect.* I. 7. §. 8. (h) *Horat. Serm.* II. II. 60.
(i) *Id. Od.* I. 36. 10. *Plin. H. N.* VII. 40.
(k) *Catull.* 94. *Horat. Serm.* I. 85.

By Google

gentes Toga *pulla* erant induti (*l*), quam vulgo nigram interpretantur; *Isaacus Vossius* vero *ad Catulli Attin. v.* 23. putat fuisse *ferrugineam*. Hæc autem confundenda non est cum *Toga sordida*, quæ erat reorum (*m*); obsoleta scilicet, & maculis inquinata, ut ita miserabiliores viderentur: unde *squalor* proprie reis tribui solet (*n*). Olim quidem Toga omnibus in publicum prodeuntibus tam viris, quam mulieribus erat communis (*o*); sed matronæ postea *stolis* sunt usæ, togis meretricibus (*p*) (unde jocus Martialis II. *n.* 39. & X. *n.* 52.) & ancillis relictis. Sub Imperatoribus jam inde ab Augusto (*q*) Togæ in desuetudinem abire cœperunt; nec nisi ab honestioribus fere, & ab eorum clientibus & anteambulonibus (*r*) sunt usurpatæ: & merito amissa libertate, etiam usus ejus vestis, quæ liberorum tantum fuerat, amissus est. Togæ varii generis fuerunt, ut primo loco legimus de *Toga Prætexta*; cui limbus purpureus erat *prætextus*. Hac toga utebantur puellæ (*s*) donec nuberent; pueri ad annum ætatis fere decimum septimum (*t*): unde *prætextata verba* dicuntur *obscœna*, quæ coram tenera illa ætate proferre nefas (*u*); & *prætextati mores* idem significant, quod *impudici* (*x*). Nam magnam verecundiæ curam gerebant Rom. ita ut ephebi etiam semper manum veste cohiberent (*y*). Tum hi adolescentes *togam virilem* (Græce (z) τελειον ἱμάτιον) sumebant, quæ etiam *Pura* (*a*), & *Libera* (*b*) est dicta. Qui autem eam sumebant, *Tirones* (*c*) dicebantur; & ipse actus hujus vestis sumendæ, *Tirocinium* (*d*); quod potissimum fiebat *Liberalibus* (*e*); & tum quoque *bullam auream*, vel *scorteam*, si libertini essent (*f*). (*Macrobius loco in margine citato*, proprie dicit *lorum* pro

 bulla

(l) *Juven.* III. 213. (m) *Vid. Liv.* XLV. 20.
(n) *Juven.* XV. 135 (o) *Serv. ad Virg. Æn.* I. 283.
(p) *Hor. Serm* I. II. 63. (q) *Suet. Aug.* 40.
(r) *Mart.* XIV. 121. (s) *Cic in Verr. Act.* II. 44. *Propert.* IV. XII. 33. (t) *Vid. Ald. Manut. de toga Rom.*
(u) *Fest. V. Prætextum. Suet. Vesp.* 22.
(x) *Juv.* II. 170. (y) *Cic. pro Cæl* 5. *Suid.* V. Ἔφηβος.
(z) *Plut. Anton. p.* 940. C. (a) *Catull.* 69.
(b) *Ovid. Trist.* IV. X. 28.
(c) *Plin. H N.* (Suet. Aug. 26. Tib. 54. (VIII. 48.
(d) *Suet. Cajo* 10.
(e) *Ovid. Fast.* III. 771. *seqq. ubi caussas hujus instituti reddit*.
(f) *Macrob. Sat.* I. 6. *Ascon. ad Cic. in Verr.* I. 58.

bulla fuiſſe) quam de collo pendulam geſſerant, Diis laribus ſuſpendebant (*g*). Atque inde magno amicorum comitatu in forum deducebantur, ut vitam civilem auſpicarentur; quod *forum attingere* dicit Cicero (*h*), & *in forum venire* (*i*). Præterea Prætextam gerebant Sacerdotum præcipui, ut Pontifices, Augures (*k*), Quindecimviri ſacris faciundis (*l*), Salii, &c. tum Magiſtratus majores (*m*) (& hi etiam in coloniis & municipiis); Magiſtri vicorum, cum ludos curarent (*n*); & denique Senatores ludorum Romanorum diebus.

Secundo, etiam fuit *Toga Picta* auro & purpura (*o*) opere Phrygio, quæ triumphantium propria erat (*p*); & *Palmata* etiam quandoque dicta videtur (*q*): licet alii eam diſtinguant (*r*). Dionyſius Halicarnaſſenſis. L. V. c. 47. ϛολὴν ποικίλην ϗ χρυσόσημον eam vocat; ἁλουργίδα χρυσόπαςον *Xiphil. in excerpt. Dion. Caſſii L. LVIII.* πορφύραν ἀςέρων χρυσῶν ἐνυφασμένον *Appian. Alex. in punic. p. 59. ed. Tollii.*

Tertio, *Trabea* (quam τήβεννον vocat Dionyſ. Halic. *L. V. c.* 47.) etiam Togæ ſpecies fuit; licet alii Chlamydem eam fuiſſe velint. Hæc fuit vel Deorum e ſola purpura; vel Augurum e purpura & cocco; vel denique Regum e purpura (*s*) & albo, quæ poſtea etiam ab Equitibus (*t*) in tranſvectione uſurpata fuit; eorumque maxime fuit propria (*x*).

§. II. *De Tunica.*

Togæ ſupponebatur *Tunica*, quæ etiam lanea erat & alba; ſed Toga anguſtior & brevior ad medium circiter crus pertingens: nec olim manicas habebat (hoc enim delicatum nimis & molle videbatur (*y*)) quod poſtea tamen aliter obtinuit

(g) *Perſ. S. V.* 31. (h) *Ad Famil.* V. 8. XV. 16.
(i) *Ibid.* XIII. 10. (qui tirocinii dies quovis modo celebrabatur. *Suet. Tib.* 54. (k) *Vid. Cic. pro Sext.* 69.
(l) *Liv.* XXVII. 37. (m) *Cic. poſt red. in Sen.* 5.
(n) *Id. in Piſ.* 4. *Feſt. V. Prætexta. Liv.* XXXIV. 7. *locus dignus, qui videatur.* (o) *Vid. Juven.* X. 38.
(p) *Plin. H. N.* VIII. 48. (q) *Mart.* VII. 2. *Vid. omn. J. Rycq. de Capit. Rom.* 19. (r) *Vid. Emin. Noriſ. epiſt. conſul.* 485. *Tom.* XI. *Ant. R. Græv.* (s) *Sueton. ap. Serv. ad Virg. Æn.* VII. 612. (t) *Dion. Halic.* VI. 13. *Stat. Sylv.* IV. 11. 32. (x) *Vid. Lipſ. ad Tac. Annal.* III. 2.
(y) *Vid. Suet. Jul.* 45.

nuit (*z*); eratque virorum & fœminarum communis. Super hanc Tunicam cingebantur, in publicum certe prodeuntes (nam domi fere erant discincti (*a*)) & delicatiores quidem laxius (*b*); ita ut Tunica magis dimitteretur (*c*); quod tamen probrosum & mollitiei indicium habebatur (*d*), & Mœcenati olim vitio versum fuit (*e*). Soliti autem erant Romani duas plerumque tunicas (nam aliquando pluribus utebantur (*f*)) gestare, *exteriorem*, quæ proprie *Tunica*; & interiorem, quæ si virorum esset, *Subucula* (*g*), vel *Interula*, (recentioribus nempe; nam *Tertullianus* primus ea voce utitur (*h*)) si mulierum, *Indusium* (*i*) dicebatur; & non nisi posterioribus temporibus e lino fuit: atque ideo (quia scilicet vestibus non nisi laneis utentes levi negotio sordes contrahebant) frequentissime balneis utebantur; quod ex infinitis veterum locis constat; ita ut etiam ditiores balnearia domi haberent, eaque tum æstiva, tum hiberna (*k*); nec unquam, nisi loti mensæ accumbebant (*l*). Infima plebs in Urbe (*m*); & in agris & municipiis etiam ditiores Tunica sola fere erant contenti (*n*). *Tunica* autem *chiridota*, sive *manuleata* indecora priscis & muliebris (*o*) habebatur; præsertim si etiam *talaris* esset (*p*).

Senatores gerebant *Tunicam laticlaviam*, hoc est, *eam, cui clavus purpureus latior erat insutus*; Equites vero *angusticlaviam* (*q*), *cui angustus* (*r*): & hinc *latus*, vel *angustus clavus* pro *ipso ordine Senatorio*, vel *Equestri* ponitur (*s*). Tribuni etiam militum sub Imperatoribus in *Laticlavios* (*t*), & *Angusticlavios* (*u*), quorum minor erat dignitas, fuerunt distincti. Erat autem *clavus* linea ad instar fasciæ oblonga quadrata, non rotundus pannus, aut frustum clavi capiti simile; quæ linea a

(z) *V. Serv. ad Virg. Æn.* IX. 616. *Cic. in Catil.* II. 10.
(a) *Hor. Serm.* II. I. 73. (b) *Suet. Jul.* 45.
(c) *Hor. Serm.* I. II. 25. (d) *V. Plaut. Pœn.* V. V. 24.
(e) *Senec Epist.* 14. (f) *Suet. Aug.* 83.
(g) *Hor. Epist.* I. I. 95. (h) *Voss. de vitiis Serm. Lat.* III. 16.
(i) *Vid. Varr. de L. L.* IV. 30. *qui illud cum palla veste muliebri jungit.* (k) *Cic. ad Att.* XIII. 29.
(l) *Plaut. Amph.* II. II. 170. *Id. Stich.* I. III. 10.
(m) *Horat. Epist.* I. I. 65. (n) *Juven.* III. 179.
(o) *Virg.* IX. *v.* 616. *Gell.* VII. 12. (p) *Cic. Catil* II. 17.
(q) *Ovid. Trist.* IV. 35. (r) *Stat. Syl.* IV. *v.* 42.
(s) *Vid. Vell. Paterc.* II. 88. *de Mœcenate.*
(t) *Suet. Domit.* 10. (u) *Id. Oth.* 10.

summo per medium pectus ad imum porrigebatur, ut probavit *Alb. Rubenius de Re Vestiaria* 1. c. 2. & vid. Cl. *Grævium Præfatione ad Tom. VI. Antiqu. Rom.* Sub Imperatoribus Senatorum liberi una cum virili toga latum clavum sumebant: unde *locus Ovidii modo citatus* est explicandus (v).

Tunica Palmata erat purpurea, clavum aureum *palmæ* latitudine intextum habens. Hæc triumphantium (vv), & pompam Circensem ducentium propria erat (x).

Tunica recta videtur fuisse ita texta, ut fila a summa ad imam vestem *directa*, non vero transversa per mediam vestem ducerentur (y): vel forte ita dicta fuit, quod non cingeretur, sed *recta* deflueret; quemadmodum *Pollux Onom. VII. c.* 13. n. 48. περὶ χιτῶνος ὀρθοστάδια verba faciens docet, qui omnino videndus est. Dabatur autem hæc tunica tironibus cum toga pura (z).

§. III. *De aliis Vestium generibus.*

Vestis militaris dicebatur *Sagum*, vel Græca voce *Chlamys* (a); unde *saga sumere* pro *ad bellum se parare* dicitur (b): & *Sagarii* (c) vocantur, qui eas vestes vendunt; Consulares vero togati esse solebant, cum in sagis civitas esset (d). (Periculis Reip. depulsis vel luctu publico cessante *ad vestitum*, vel *ad togas redire* dicebantur. Exempla dabit *Brisson.* de Formul. II. p.260.) Hæc vestis tunicæ superinduebatur, & fibula connectebatur: nec tantum militum, sed etiam iter facientium erat (e). Imperatoris vero sagum *Paludamentum* dicebatur (f); eratque purpureum, vel (g) coccineum. Aliquando tamen privatis etiam tribuitur paludamentum (h).

Chlamydi forma fere similis erat *Læna* (i), Græcis χλαῖνα, quæ, cum densior vestis ac villosa esset, arcendo frigori fere fuit adhibita (k). Hæc etiam hyeme in cœnis & balneis tunicæ superinjecta fuit

(v) *Vid. & Suet. Aug.* 38. 94. *Dial. de Orat.* 7.
(vv) *Vid. Fest. V. Picta.* (x) *Juven.* XI. 192.
(y) *Vid. Fest. V. Recta.* (z) *Plin. H. N.* VIII. 48.
(a) *Plaut. Rud.* II. 2. 9. (b) *Cic. Phil.* V. 12. *Liv. Epit.* 72. *& seqq.* (c) *Schol. Juven ad Sat* VI. 591.
(d) *Cic. Phil* VIII. 11. (e) *Plaut. Merc.* V. 2.
(f) *Juven.* VI. 400. (g) *Horat. Epod.* IX. 27.
(h) *Liv.* I. 26. XLI. 40. (i) *Fest. hac v.*
(k) *Martial.* XIV. 134.

fuit (*l*); (χλαίναν ἱμάτιον ἐπὶ τῷ χιτῶνι vocat Pollux *On. VII. c.* 13. *n.* 46.) atque ita forte hæc est *Synthesis*, sive *Vestis* (*m*) *convivalis*; cujus aliquando apud veteres fit mentio (*n*).

Lacerna etiam densa & villosa vestis sub interitum demum Reipublicæ (*o*) usurpari cœpit; & initio tantum in castris (*p*). Fuit hæc Chlamyde longior & laxior; & in urbe pluviæ vel frigoris caussa Togæ (*q*), vel Tunicæ superinduebatur; eamque delicati homines æstate leviorem habebant, & superbi coloris (*r*). Huic plerumque jungebatur *Cucullus*, qui caput & humeros tegeret (*s*).

Pænula quoque tempore pluvio sumebatur (*t*); sed ad tempora *Flaviorum*, sive Imperatoris Vespasiani filiorumque ejus extra urbem tantum (*u*). Hæc fuit vel e pelle, & dicebatur *Scortea* (*x*); (δερματοχιτὼν, sive δερμάτινὸς χιτὼν, *tunica pellicea* in *Glossis antiquis*) vel e lana: eratque clausa, ut toga, sed strictior & brevior, & utroque brachio subducebatur. Hæc vestis etiam a mulieribus aliquando gestata fuit (*y*).

§. IV. *De Vestibus Mulierum*.

Mulierum ingenuarum & honestarum vestis fuit *stola* (*z*), sive Tunica manicata & talaris, purpura (*a*) plerumque & segmentis, vel limbeis aureis ornata; ejusque imam partem *instita* adsuta ambiebat: unde hæ voces, *stola* scilicet & *instita* quandoque *castimoniam & gravitatem matronalem* notant (*b*).

Stollæ circumjiciebatur pallii genus (*c*), quod *Palla* vocabatur, & quæ, ut etiam Stola, ita mulierum propria erat (*d*), ut viri sine probro ea uti non possent (*e*).

Utebantur etiam mulieres Romanæ *Mitra* (*f*) tegumento capitis, & præterea *Reticulo* (*g*); quo comam

(l) *Pers.* I. 32. (m) *Juv.* III. 283. (n) *Mart.* XIV. 141. *& alibi.* (o) *V. Cic. Phil.* II. 30. *Suet. Aug.* 40.
(p) *Ovid. Fast.* II. 746. *Propert.* IV. 3. 18.
(q) *Juven.* IX. 28. (r) *Id.* I. 27.
(s) *Id.* VI. 329. *Mart.* XIV. 137. (t) *Juv.* V. 76.
(u) *V. Cic. pro Sext.* 38. *pro Mil.* 20. *Att.* XIII. 33.
(x) *Mart.* XIV. 128. *vel, ut alii*, 130.
(y) *l.* 23. §. 2 *ff. de aur. arg leg.*
(z) *Hor. Serm.* I. II. 90. (a) *Mart.* X. 5.
(b) *Horat. d. l.* 29. *Ovid. de Arte Am.* I. 31.
(c) *Ib.* 153. (d) *Plaut. Men.* III. II. 47. 9. *&* IV. 2. 95.
(e) *l.* 23. §. 2. *ff. de aur. arg. leg.*
(f) *V. Virg. Æn.* IX. 616. (g) *V. Juv.* VI. 120.

mam cohibebant, quam matronæ etiam *vittis* ligabant; unde *Vittæ* pro *insigni pudoris* (*b*) quandoque ponuntur. Caput tegebant *Flammeo*, præcipue nubentes, quod olim lutei coloris erat (*i*); unde etiam a colore *flammeo Flammeum* dicebatur.

§. V. *De Calceis*.

Initio Reipublicæ Romani calceos altiores ex crudo corio gestabant tam Senatores, quam alii, qui dicuntur *Perones*: sed soli illi, qui Magistratum Curulem cœperant, crepidas, sive calceos humiliores *mulleos*, sive *rubros*, aut *puniceos* ex aluta (*k*); quod tamen de diebus solemnibus duntaxat intelligendum videtur. *Mullei* autem sunt dicti, non a colore; sed quod repandi essent: nam μύλλος est καμπύλος, *flexus*, *incurvus* (*l*). Postea vero Romani omnes cœperunt uti calceis ex aluta: sed patriciorum calcei altiores (*m*) erant ad medium usque crus pervenientes, & quatuor corrigias, sive ligulas habebant (*n*); cum plebejorum calcei unicam tantum haberent (*o*). Patriciorum autem calceis *lunula* erat adsuta, sive *nota numeri centenarii*, quod initio Patricii Senatores *centum* fuerunt (*p*); eamque notam etiam ante ætatem senatoriam gestabant (*q*). Plebejorum autem Senatorum calcei lunati quidem non videntur fuisse; sed tamen a plebejis diversi. In Urbe vero *soleati* duntaxat sæpe fuisse videntur (*r*). *Tibialia* veteres non habuerunt: sed delicatiores, aut infirmiores crura fasciis obvolvebant (*s*).

C A P U T II.

De Ratione Conviviorum.

§. I. *De Ratione accumbendi*.

Romani antiquissimis temporibus ad mensam sedebant (*), quod a mulieribus verecundiæ causa

(*h*) *V. Ovid. de Arte I. 31.* (*i*) *Luc. II. 360.*
(*k*) *Cato ap. Fest. V. Mulleos.* (*l*) *Vid Salm. ad Tert. de pall. p. m. 391. Voss. de Idol. IV. 5.* (*m*) *Hor Serm. I. VI. 27.*
(*n*) *Isid. Orig. XIX. 34.* (*o*) *V. Sen. de Tranquill. an. II.*
(*p*) *Isid. l. d.* (*q*) *Stat. Sylv. V. 2 28.*
(*r*) *Hor. Ep. I. XIII. 15. Plaut. Truc. II. IV. 12. 16.*
(*s*) *Varro in Catone p. 150. ed. opt. sive Dordr ap Non. p. 138. ed. opt. Plant. 1565.* (*) *Serv. ad Virg. Æn. VII. 176.*

causa aliquamdiu etiam retentum fuit (*a*): sed postea æque ac viri mensæ accubuerunt. Erat autem mensa Romanorum rotunda & humilis: & pauperiorum quidem tripes (*b*); lautiorum vero citrea (*c*) aut acerna, pede eburneo affabre facto sustentabatur (*d*); unde tales mensæ *Monopodia* sunt dictæ, quæ insano pretio emebantur (*e*): præsertim si pluribus essent distinctæ maculis (*f*). Hæ mensæ cum ipsis ferculis in triclinium illatæ convivis *apponebantur* (*g*); unde hoc verbum, (ut Græcis παρατιθέναι) ut & simplex *ponere* mensarum propria vox fuit (*h*). Circum mensam tres plerumque lecti erant dispositi, unde *Triclinium*; rarius duo, unde *Biclinium* (*i*) locus, ubi cœnabatur, est dictus. Lecti insternebantur stragulis (*k*) magis aut minus pretiosis pro opibus convivatoris; & in quoque lecto tres plerumque erant convivæ, rarius quatuor (*KK*), &, si plures essent, sordidum habebatur (*l*). Accumbebant veteres superiore corporis parte in cubitum reclinata (*m*), inferiore porrecta; ita, ut primus conviva pedes pone dorsum secundi extenderet, ille caput ad umbilicum primi reclinaret pulvillo interjecto; & sic alii porro: dignissimus autem habebatur locus medius (*n*), & post hunc summus. Sed hic ritus plane singularis obiter est notandus, Consulem scilicet, si convivio alicui adesset, in medio quidem lecto, sed loco infimo accubuisse, ut ita facilius adiri, & negotia, si quæ forte supervenirent, expedire posset (*o*). Convivæ vocati aliquando quosdam invocatos secum adducebant, qui *Umbræ* dicuntur, quia sicut *umbra corpus*, ita *ipsi vocatos convivas* sequebantur (*p*). Ad lectorum autem pedes sedebant parasiti (*q*), vel etiam infimi ordinis amici (*r*), & denique etiam pueri (*s*).

Ante cœnam lavare (*t*) solebant Romani, quod

 luxu-

(a) *Val. Max.* II. 1. 1. (b) *Horat. Serm.* I. 3. 13.
(c) *Mart.* XIV. 87. *& seqq.* (d) *Juven.* XI. 121. *seqq. Martial.* II. 43. (e) *Plin. H. N.* XIII. 15.
(f) *Senec. de benef.* XII. 9. (g) *Serv. ad Æn.* I. 225.
(h) *Juv.* I. 141. *Mart.* I. 43. (i) *Plaut Bacch.* IV. IV. 69.
(k) *Virg. Æn.* I. 659. (KK) *Horat. Serm.* I. IV. 86.
(l) *Cic. in Pis.* 27. (m) *Horat. Serm.* II IV. 39.
(n) *Vid. Virg. Æn.* I. 597. (o) *Plut. Sympos.* II. 3.
(p) *Horat. Serm.* II. VIII. 22. *& Epist.* I. V. 28.
(q) *Plaut. Stich.* III. VI. 33. (r) *Suet. vita Terentii.*
(s) *Id. Aug.* 63. *& Claud.* 32.
(t) *Juven.* VI. 419. *Plaut. Pers.* I. 2. 10.

luxuriosi etiam post cœnam faciebant (*u*). Mox *vestem cœnatoriam* (*x*), sive *Synthesin* sumebant; & soleas pedibus demebant (*y*).

§. II. *De ipsa Cœna.*

Cœna antiquissimis temporibus quidem simplicissima fuit, ex pulte (*z*) scilicet plerumque, vel oleribus (*a*); sed post auctas Romanorum opes in tres partes divisa est. Prima fuit *Gustus* (*), sive *Gustatio* (*b*); qua cibi appetitum moventes potissimum apponebantur (*c*), & præterea etiam *ova*; unde proverbium apud Horat. *Serm. I.3: v.6. cantare ab ovo usque ad mala* (**), hoc est, *per totum convivii tempus*. Hæc pars cœnæ etiam *Antecœna* (*d*), vel *Antecœnium* (*e*) est dicta; ut & *Promulsis* (*f*), quia *mulso* primam sitim sedabant (*g*): unde *promulside aliquem conficere* significat *aliquem initio statim cœnæ saturum reddere* (*h*). Hanc sequebatur ipsa *Cœna* proprie ita dicta, cujus præcipuum ferculum *Caput cœnæ* (*i*) dicebatur. Qui autem fercula in mensa componebat *structor* (*k*) dicebatur, & Græcis τραπεζοποιός (*l*); qui vero ea scindebat *Carptor* (*m*), Græcis χειρονόμον (*n*); illudque accurata diligentia fiebat (*o*). Denique apponebantur *Mensæ secundæ*, sive *Pomorum* (*p*); in quibus erant *Bellaria*, & similia.

Initio cœnæ *Magistrum* sorte legebant (*q*) (*Thaliarchum* vocat Horatius (*r*)) qui leges convivio ferret, & modum bibendi statueret (*s*); ac, quo quisque ordine amores suos proponeret (*t*), ediceret: unde *regna vini sortiri talis* (*) dicit idem *Od.* I. IV. *vers.* 18. quæ *magisteria* vocat Cato apud Ciceronem *de Senect. c.* 14.

Con-

(u) *Hor. Epist.* I. *VI.* 61. *Juv. I.* 143. (x) *Mart. XIV.* 137.
(y) *Id. III.* 50. (z) *Juv. XIV.* 171. *Plin. H. N. XVIII.* 8.
(a) *Juv. XI.* 79. (*) (Martial. X. 48. 13.)
(b) *Petron.* 31. (c) *Mart. XI.* 53.
(**) (Martial. X 48. II. &. 18.)
(d) *Cic. ad Fam. XI. ep.* 16 *fin.*
(e) *Apul. Metam. II p. m.* 106. (f) *Petron.* 24.
(g) *Hor. Serm. II. IV.* 24. (h) *Cic. ad Fam. IX.* 16.
(i) *Mart. X.* 31. (k) *Juven. V.* 120.
(l) *Athen. IV. p.* 170. *ex Philem.* (m) *Juv. IX.* 110.
(n) *Id. V.* 121. (o) *Ibid. seqq.*
(p) *Serv. ad Virg. Æn. I:* 723. (q) *Hor. Od. I. IV.* 18.
(r) *Od. I.* 9. (s) *Id. Od. II. VII.* 25.
(t) *Propert. III. IX.* 27. (*) (Ridiculus error Hoelzlini ad Apoll. Rhod. L. 1. 5. qui *talis* hic exp. τοῖν.)

Convivæ sertis floreis (*u*), vel myrteis erant redimiti; &, si delicatior cœna esset, unguentis perfundebantur (*x*): quin totum quoque triclinium floribus sæpe conspergebatur.

Inter cœnandum luxuriosi quidem homines lascivas saltationes (*y*), pantomimos, vel gladiatores spectabant (*z*); frugaliores vero aliquid legi curabant (*a*); vel comœdos (*b*), aliosque poetas audiebant (*c*): tum etiam plerumque musicam adhibebant (*d*). (Quid *propter viam facere* sit, docet *Festus* & ad eum *Scal. V.* etiam Macrob. Sat. II. 2. & Plaut. Rud. I. 2. 62. 3. In Memor. Acad. Lit. Parif. T. II. p. 449. male *proterviam facere* scribitur).

Olim Romani, frugaliores certe (*e*), semel tantum quotidie (*f*) cibum capiebant (*g*), hora scilicet nona (*h*) diei naturalis, sive nostra circiter tertia. Postea accesserunt *Jentaculum*, quod primo mane sumebant (*i*); *Prandium* circa horam sextam sumptum, quod cœna frugalius (erat); *Merenda* (*k*) inter prandium & *cœnam*; & denique post cœnam *Comessatio* (*l*), quæ tamen non nisi gulonum & dissolutorum hominum erat (*m*); quibus omnibus vomitandi consuetudine facile sufficiebant; licet etiam frugaliores vomitu sæpe post cœnam usi fuerint (*n*). Et hic ὡς ἐν παρόδῳ monendum est, *convivia tempestiva* dici, quæ a luxuriosis, vel etiam frugalibus, qui amicorum sermonibus delectabantur, maturius inibantur (*o*); *intempestiva* vero, quæ in multam noctem protrahebantur (*p*): unde non audiendus est *Salmasius ad Vopisci Florianum c. 6.* qui ubique, ubi apud veteres *intempestivorum conviviorum* mentio occurrit, *tempestiva* reponi jubet.

§. III. *De Potu.*

Potus Romanorum ordinarius erat *Vinum*, cu tem-

(u) *Juven.* V. 36. (x) *Id.* XI. 22. *Horat. Od.* II. 7. 7. *Tibul.* I. VIII. 51. (y) *Juven.* XI. 162. (z) *Plut. Sympos.* VII. 9. 8. *Liv.* IX. 40. (a) *Juven.* XI. 178. *Plin. Epist.* I. 15. III. 1. VI. 31. (b) *Vid. Pers. S.* I. 30. (c) *Suet. vita Terentii.* (d) *Horat. Od.* III. XIX. 18 (e) *Cic. Tusc. Q.* V. 31. *Sall. Or.* I. *ad Cæs.* (f) *Serv. ad Æn.* IV. 84. (g) *Sall. Or.* I. *ad Cæs.* 41. (h) *Martial.* IV. 8. (i) *Vid. Salm. ad Vopisc. Tacito* II. (k) *Isidor. Orig.* XX. 2. (l) *Vid. Suet. Domit.* 21. (m) *Id. Vitell.* 13. (n) *Vid. Cic. pro Dejotaro* 7. (o) *Id. Cat. Maj.* 14. (p) *Suet. Cajo* 45.

temperatiores aquam admiſcebant, luxurioſi vero unguenta, vel aromata (q): eamque aquam vel frigidam, vel etiam calidam (r); imo hæc in deliciis habebatur (s). Vinum autem a Conſulibus, quibus natum erat, denominabatur (t). Magiſter convivii, ut jam diximus, leges bibendi ferebat; ſcilicet quot cyathis biberent, & in cujus honorem (u): qui honor fere præſtabatur vel amicæ (x), vel viro alicui inſigni (y). Aliquando tot annos ſibi precabantur, quot cyathos ſumerent (z): aliquando rurſus partibus aſſis numerum poculorum denotabant (a): aliquando denique tot cyathos bibebant (b), quot literis nomen ejus, in cujus honorem bibebant, conſtaret. Sed eo caſu cyathos tot, quot bibere vellent, in unum poculum majus congeſſiſſe videntur (c). Tum ſæpe jubebat Thaliarcus, ut quiſque epoto poculo ſuo quæſtionem quandam amœnam proponeret (d): & denique eum, qui contra leges convivii feciſſet, cyathi unius eductione mulctabat (e), quod *culpa potare magiſtra* dicebant. Et alia etiam luſuum genera uſurpabant, ut, exempli gratia, *cottabum*; cum vini reliquiis e calice in pavimentum profuſis ſonum elicere conarentur (f). Alii vero aliter hunc luſum explicant. Ludus etiam erat, quo recentis mali ſemina digitis primoribus veluti ejaculantes, ſi triclinii lacunar attigiſſent, bene; ſin minus, male de amoribus ſuis augurabantur (g). Menſis ſecundis illatis *libabant* Diis, quos menſæ adeſſe credebant (h); vel etiam amicis honoratis (i); hoc eſt, *paullum vini ex patera in menſam, vel in terram profundebant, voto pro eorum proſperitate addito* (k).

Et

(q) *Juv. VI. 303. Plin. H. N. XIII. 3.* (r) *Juv. V. 63.*
(s) *Plaut. Curc. II. III. 13. & in Mil. III. II. 22.*
(t) *Hor. Od. III. VII. 11. Plin. H. N. XIV. 4.*
(u) *Plaut. Stich. V. IV. 27.* (x) *Martial. I. 71.*
(y) *Hor. Od. III. XIX. 9. ſeqq.* (z) *Ovid. Faſt. III. 531. locus feſtivus.* (a) *Mart. I. 28.* (b) *Id IX. 94. & XI. 37.* (*VIII. 51. 21. ſeqq.*) (c) *V. Hor. Od. III. XIX. 11. Hiſt. de l' Acc. des bell. lettr. T. I. p. 165. ed d' Amſt.*
(d) *Vid. Cic. de ſeneƈt. 14. Gell. XVIII. 2.*
(e) *Hor. Serm. II. II. 123. vid. tamen quæ ad hunc loc. notavit Celeb. R. Bentlejus.* (f) *Vid. Plin. H.N. IX. 22.* (Horat. II. Od. 14. ſ.) (g) *Horat. Serm. II. III. 273.* (Græci πλαταγωνίῳ in ſimilem finem uſi. Vide *Theocrit.* Eid.III. 29. & Interpr. cum Polluce.) (h) *Ovid. Faſt. VI. 305.*
(i) *Horat. Od. IV. V. 31. Ovid. Faſt. II. v. 637.*
(k) *Tibull. II. 1. 31. Ovid. Faſt. II. 637.*

Et mensam ipsam sacram credebant veteres, quia ejus communione hospitalitas & amicitia, quæ præstantissima hominibus a Deo data sunt, conciliantur (*l*). Unde etiam jurantes convivæ manu mensam, veluti aram, tangebant (*m*). Imo imagunculas quasdam Deorum in mensis, vel juxta eas ponebant, qualis fuit *Hercules Epitrapezius* (*n*).

CAPUT III.

De Pecunia veterum Romanorum.

§. I.

De Pecunia in genere.

ANtiquissimi Romani, ut etiam aliæ gentes, pecunia signata usi non videntur; sed vel permutatione mercium (*a*), præcipue *pecoris*: unde etiam verba emendi Græce proprie hoc significant, ut *ἀρνυμαι*, *dato agno aliquid permuto*; *ὠνῦμαι*, *dato asino*; *πωλῶ*, *dato equuleo* (*b*): vel metallorum certum pondus adhibuerunt, unde varia monetæ nomina *pondus* etiam notant: ut apud Romanos *As*, & quæ inde deducta sunt; apud Græcos *Talentum* & *Mina*; apud Hebræos *Siclus* &c. Imo etiam hodie apud nos, *Francos*, *Anglos*, & alios, idem, puto, obtinet.

Primus *Aes* Romæ signavit Rex Servius Tullius nota *pecudis*, unde quoque *pecunia* est dicta (*c*); licet alii (inducti inscriptione nummi, quem recensent Plinius *H. N.* XXXIII. *c.* 3. & Ovidius *Fastorum I. v.* 239. & quæ forma in nummis antiquis frequentissime conspicitur (*d*)) Jano id falso tribuant. Argentum primo signatum fuit A.U. 484. (*e*) vel, ut alii, A. 499. (alii vero nummum argenteum primum a Servio Tullio conflatum dicunt (*f*)). Aurum vero sexaginta circiter annis serius (*g*).

§. II.

(l) *V. Schol. ad Lycophr.* 132. *seqq. Juven. II.* 110.
(m) *Ovid. Amor. I. IV.* 27. (n) *Stat. Syl IV.* 6. (Martial. IX. 44.) (a) §. 10. *Instit. de empt. & vend.*
(b) *Vid. Casaub. ad Cic. Att. I.* 1.
(b) *Ovid. Fast. V.* 281. *Pomp. Sabinus ad Virg. Ecl. I.* 33.
(d) *Vid. Vaill. gente Afrania* 2. *Albia I. &c.*
(e) *Epit. Liv.* 15. (f) *Varro p.* 72. *ed. Dordr.* 1619.
(g) *Plin. H. N.* XXXIII. 3.

§. II. *De Nummo æreo.*

Nummus æreus fuit *As*, ejusque partes: nam *As* dicitur *omne solidum, quod in partes aliquotas dividitur*; quemadmodum *semissem Africæ* dixit Plinius *H. N.* XVIII. *c.* 6. (de hæredibus *ex asse* vel *ex parte* institutis v. *Instit.* II. T. 14. §. 5. seqq. *Suet.* Aug. 101. &c.) Hic As primis quidem temporibus erat libralis (h), & solebat *appendi*, si summa scilicet majuscula foret; unde *pendere* pro *solvere*, *expensum ferre*, *tabulas accepti & expensi*, & similia dicimus (i). Inde etiam *stipendia*, a *stipe pendenda*, *impendia* similiaque dicuntur. Sic etiam σατὴρ Græcis denominatur a verbo ἵσημι, *pondero*; τάλαντον a ταλάω. Quin & Hebræorum *Sicli*, ut jam innuimus, inde deducuntur (k). Primo bello Punico sextantarii asses facti sunt lege *Papiria*, secundo unciales, & demum circa A. U. 575. semunciales (l). As nostra moneta valebat quatuor circiter chalcos; post legem vero Papiriam duos & semissem. Partes assis primus signavit Tarquinius Superbus; (ut quidam colligunt ex Festo v. *Ratitum*) eaque sunt *Triens*, assis *tertia* pars; *Quadrans*, assis *quarta* pars, navis notam habens (m), qui etiam *Teruncius* dictus est; & denique *Sextans* (n), *sexta* assis pars: quæ partes in Triente quatuor, in Quadrante tribus, in Sextante duobus punctis notantur (o).

§. III. *De Nummo Argenteo & Aureo.*

Argenteus nummus erat *Denarius*, qui valebat nobis circiter sex stuferos; & *Drachma Attica* paullo major erat: alii vero æqualem statuunt (p). Hic etiam aliquando *Bigatus* (q) & *Quadrigatus* (r) a nota *Bigarum*, aut *Quadrigarum* ei impressa (s) est dictus. *Tetradrachmus* autem Atticus valebat tres circiter denarios (t); & Græcis etiam Στατὴρ dicitur (u). Dimidius Denarius (x) *Quinarius* dicitur; vel

(h) *Dion. Hal.* IX. 27. (i) *Vid. omn. Plin. l. d.* (k) *Vid. Steph. Morini exercit. de linguis* IX. *p.* 269. (l) *Plin. d. l.* (m) *Ovid. Fast* I. 239. (n) *Liv* II 33. (o) *Vid. Vaillant. G. Aburnia* 3. 4. *&c. Julia* 70 (p) *Plin. H. N.* XXI. 34. *Vid. Liv.* XXXIV. *Vid. not. ad Poll. On.* IX. 6. 60.
(q) *Liv* XXIII. 15. (r) *Id.* XXII 52.
(s) *Plin. H. N.* XXXIII. 3. (t) *Liv.* XXXIV. 52.
(u) *Matth.* XVII. 27. (x) *Varro de L. L.* IV. 36.

vel etiam *Victoriatus* (*y*) a signo *Victoriæ*, quod præ se ferebat. Quarta pars Denarii dicitur *Sestertius*, quasi *nummus semis tertius* (*z*), qui duos asses cum semisse (nostra moneta circiter stuferum unum cum dimidio) valebat: hic κατ' ἐξοχήν etiam *Nummus* dicitur, quia frequentissimus ejus in rationibus usus fuit: &, quod minutissimum id fere pecuniæ genus esset, *nummo sestertio aliquid alicui addicere* in auctionibus significat, *nullo, vel vilissimo pretio rem aliquam emptoris facere* (*a*). Sestertii nota fuit hæc, LLS. (*b*) vel potius IIS. significans *duas libras & semissem*; quæ postea vulgo in hanc *HS.* corrupta fuit.

Aureus nummus, sub Imperatoribus *solidus* (*c*) dictus, valuit *denarios viginti* quinque, sive nostra moneta *florenos Carolinos* septem cum dimidio (*d*). Hic etiam absolute *Nummus* dicitur (*e*).

§. IV. *De Ratione supputandi*.

Ratio supputandi apud Romanos fuit duplex, per *Asses* nempe, & frequentius per *Sestertios*. Per *Asses* supputatio fiebat vel *expresso* Assium nomine, vel *tacito*; ut cum dicimus, exempli gratia, *binos æris* (*f*), *centum æris*, *&c.* ubi semper intelligendi *Asses*. Ad *Sestertios* quod attinet: Primo sciendum est, *Sestertios* masculino genere significare *singulos nummos sestertios*; *Sestertia* vero neutro genere (*g*), quando subauditur vox *pondo* (*h*), *singula millia nummorum sestertiorum*, exempli gratia, *centum sestertii* sunt *floreni* septem cum dimidio; *centum sestertia* sunt 7500. *floreni*: sic *mille sestertii* faciunt *florenos* 75. *mille sestertia* faciunt *florenos* 75000. atque ita porro. Secundo, cum adverbio numerandi utimur, singula sestertia centuplicantur: & sic *decies sestertium* idem valet, quod *mille sestertia*, sive *decies centies millies nummorum sestertiorum*

(y) *Volusius Mecianus in Thes. Grev. T. XI. p.* 1708.
(z) *Ibid.* (a) *Cic. pro Rab. Post* 17. *& ibid. not. in ed. Grev.*
(b) *Vid Probum de notis Rom. inter auctores linguæ Lat. a Gothofredo editos.* (c) *L.* 5. §. 6. *ff. de his qui eff. vel dej. comparata cum* §. 1. *Inst. de obl. quæ quasi ex del. nasc.*
(d) *Vid. Suet. Oth.* 4. *collat. cum Tac. Hist. I.* 24.
(e) *Vid. Plaut. Men. II. II.* 16. (f) *Liv. XXXIII.* 42.
(g) *Horat. Epist. I. VII.* 80. (h) *Vid. Gronov. de sestert. I.* 4.

rum (*i*); *quadragies sestertium* sunt *quater mille sestertia*, sive *centies mille nummi Philippei*.

§. V. *De Divitiis & Luxu Rom.*

Specimina quædam *Divitiarum*, & *Luxus Romanorum* subjiciemus (*k*). *Quadragies sestertium* (100000. *Philipp.*) in margaritis gestantem *Lolliam Paulinam* vidit Plinius (*l*). *Sexagies sestertium* 150000. *Philippeis*) æstimatum fuit convivium Imperatoris *Veri* (*m*). *Sexcenties sestertium*, sive *quindecim centena millia Philippeorum* in gulam absumpsit *Apicius* (*n*), qui tum demum rationes inspicere coactus superfuturum sibi sestertium centies (*Philippeorum* 250000.) computavit: & velut in ultima fame victurus, si sestertio centies vixisset, veneno vitam finivit, narrante *Seneca cons. ad Helviam c.* 10. qui tamen sestertium millies in culinam eum congessisse dicit. *Bis millies*, sive *quinque milliones Philippeorum* possedit *Crassus* (*o*) in agris & pecunia, præter supellectilem & servos: itaque negabat locupletem esse (*p*), nisi qui reditu annuo legionem tueri posset, sive, ut alii dicunt, exercitum (*q*). *Ter millies*, sive *septem milliones & dimidium* habuit *Seneca* (*r*) ille *Philosophus*. *Quater millies*, hoc est, *decem milliones Lentulus Augur* (*s*). *C. Cæcilius Claudius Isidorus* testamento suo edixit, quamvis multa civili bello perdidisset, tamen se relinquere servorum quatuor millia centum & sexdecim (*), juga boum tria millia sexcenta, reliqui pecoris ducenta quinquaginta septem millia, in numerato H. S. sexcentis (*t*), sive *Philippeos* 1500000. (Augustus ex solis amicorum testamentis quater decies millies perceperat. *Suet. ult.* cujus summæ valor est mille & quinquaginta tonnæ auri.) *Vigesies septies millies*, hoc est circiter *sexaginta septem milliones Philippeorum* a Tiberio Imperatore relictos non toto vertente anno successor ejus Cajus absumpsit (*u*). Imo vitæ etiam frugalioris homines incredibiles quandoque sumptus fecisse legun-

(i) *V. Mart. I.* 103. (k) *V. Meurs. de luxu Rom. I.*
(l) *Ipse H. N. IX.* 35. (m) *Capitol. in Vero* 5.
(n) *Mart. III.* 22. (o) *Plin. H. N. XXXIII.* 10.
(p) *Ibid.* (q) *Plut. Crasso p. m.* 544. *Dio XL.*
(r) *Tac. Ann. XIII.* 42. (s) *Senec. de benef. II.* 27.
(*) (de incredibili servorum numero v. *Pignor.* Præf. & p. 200. seqq. Adde *Donat.* ad I. Æn. 709.)
(t) *Plin. loc. cit.* (u) *Suet. Calig.* 37.

leguntur: sic Cicero mensam citream habuit, quæ constitit HS. *decies*, sive 25000. *Philippeorum* (*vv*): idem domum a Crasso emit *HS. XXXV.* sive 87500. *Philippeorum*. Julius Cæsar aliquando duas tabulas emit *octoginta talentis*, sive *florenorum* 120. *millibus* (*x*): (si talentum sit 1500. floren. Sed ipse deinde 1800. ponit: erunt ergo 144. millia.) *T. Annii* Milonis æs alienum fuit *sestertium septingenties*, quod facit nostra moneta *florenorum* 4375000. (immo 5250000. ex ipsius computo, quo denarius sex stuferis valet, at enim in edit. prioribus denarium ad quinque stuferos exegerat; eaque ratione conficiunt 4375. millia) (*y*). Postremum autem hujus rei exemplum hoc elegans esto: M. Antonius dispensatori suo jusserat, ut decies HS. amico cuidam egenti numeraret; cum vero dispensator summæ magnitudine obstupefactus, ut eam Antonio ostenderet, argentum in medio proposuisset, præteriens Antonius rogavit, *quid hoc rei esset?* Ille autem, *id quod donari jusserat*, respondit. Tum malignitatem ejus conjectans Antonius, *Ego vero*, inquit, *majorem summam decies putavi. Hoc exiguum est. Itaque alterum tantum adjicito* (*z*). (De Luxu v. Orat. Tiberii in Annal. Tac. III. 53. & Propert. III. El. XI. tota. it. *Fabric.* Bibliogr. Ant. c. XXII. §. XI. seqq. De sumtuosis ædificiis ac villis *Stat.* in Silvis, *Horat.* II. Od. 15. *Pignor.* de servis, *Casalium* de splendore Rom. Imp. *Petron.* c. 119. & 120. v. 25. seqq. Suet. Cal. 37. & quem non? De luxu matronarum vid. *Mem. Lit.* Acad. Par. T. V. p. 297.)

§. VI. *De Talento & Mina.*

Licet *Minæ* & *Talenta* Græcorum propria fuerint, frequens tamen eorum in scriptis Romanorum fit mentio. *Talenta* quæcumque constiterunt *Minis* sexaginta sui generis: cum ergo Mina *Attica* (nam de aliarum gentium Talentis tacebimus) valuerit *Drachmas*, sive *Denarios* (ut jam exiguum discrimen, quod inter hos nummos fuit, mittamus) centum, qui faciunt nobis florenos triginta, palam est Talentum valuisse florenos *Hollandicos* 1800. (*a*).

§. VII.

(*vv*) *Plin. H. N. XIII.* 15. (*x*) *Ibid. VII.* 38.
(*y*) *Plin. H. N. XXXVI.* 15. (*z*) *Plut. M. Ant. p. m.* 917. *E.*
(*a*) *V. Gronov. de pec. vet. III.* 3.

§. VII. *De Ponderibus & Mensuris.*

Ut jam etiam breviter aliquid de *Ponderibus* & *Mensuris* Romanorum dicamus, rerum omnium unum pondus ipsis exstitit, scilicet *Libra*; cui voci synonyma sæpe sunt *As* (b) & *Pondo* (c). Hæc tamen postrema vox aliquando ponitur pro *pondere in genere*: & determinatur per vocem adjunctam. Sic, ex. gr. *Columella* dicit (d) *mentæ viridis* pondo selibram; & *absinthii* pondo libram (e) &c. *Plautus* vero (f), *Neque piscium ullam* unciam pondo *hodie cepi*. *As*, sive *Libra* ad pondus *Parisiense* exacta valuit uncias 10. (g). Et dividitur in 12. *Uncias*; eæque Unciæ partes Libræ faciunt suis nominibus distinctas. Sunt autem sequentes (h): *Uncia* ab *uno*: *Sextans*, sexta pars Assis: *Quadrans*, quarta: *Triens*, tertia: *Quincunx*, quinque unciæ: *Semissis*: *Septunx*, septem unciæ: *Bes*, octo; cujus vocis origo est obscurior (i): *Dodrans*, As dempto quadrante, id est, novem unciæ: *Dextans* dempto sextante, sive decem unciæ: *Deunx* dempta uncia, id est, undecim unciæ. Unciæ autem partes anxie recensere medici potius sit, aut Præfecti monetæ, quam a nobis requiratur. Itaque dicemus tantum, Unciam continuisse *Semuncias* duas, *Duellas* tres, *Sicilicos* quatuor, *Sextulas* sex, *Drachmas* octo, *Scripula* aut *scriptula* viginti quatuor (k). *Libella* idem quod As valebat, & erat moneta argentea (l): *Sembella*, libellæ dimidium; & *Teruncius* idem quod Quadrans (m).

Mensurarum *cavarum* maxima fuit *Culeus* (n), viginti tenens Amphoras. *Amphora* tamen, sive *Quadrantal* (o), harum mensurarum præcipua, & ceterarum fere norma fuit: & cepit aquæ, vel vini octoginta pondo (p). Amphoræ dimidia pars *Urna* dicitur; nam capiebat *Sextarios* 24. (q); cum Amphora 48. Sextarios contineret. Octava pars amphoræ dicebatur *Congius*, qui ita cepit Sextarios sex, *Hemi-*

(b) *Varr. de L. L. IV. 36.* (c) *Plin. H. N. XVIII. 7.*
(d) *XII. 5.* (e) *Ib. 35.* (f) *Rud. IV. II. 8.* (V. Synonym. nostra). (g) *Lud. Savotus de numm ant. P. III. 23.*
(h) *Varro l. d.* (i) *Vid. tamen Scalig. ad Fest. hac V.*
(k) *Vid. Luc. Pætum de Rom. & Græc. pond. V. 1564. T. XI. Thes. Antiquit. Rom. Græv.* (l) *Plaut. Capt. V. I. 27.*
(m) *Varr. l. d.* (n) *Plin. H. N. XIV. 4.*
(o) *Plaut. Curc. I. II. 15.* (p) *Fest. V. Publica pondera: & V. Quadrantal.* (q) *Colum. XII. 10.*

Heminas duodecim. Sextarius denique, sicuti As, dividebatur in 12. partes, quæ *Cyathorum* nomine intelliguntur; & tantum continebant, quantum unico haustu commode bibi posset (*r*). *Cyatho* paullo majus erat *Acetabulum*, quod quartam partem Heminæ capiebat (*s*). *Modius* solis aridis metiendis inserviebat (*t*): & capiebat tertiam partem Amphoræ, sive aquæ aut vini libras 26. $\frac{2}{3}$ (Frumenti pondus, quod ceperit, tradere incertius est; cum granum a grano plurimum differat) Quatuor modii erant *demensum* servorum menstruum (*u*): erat autem Modius sexta pars *Medimni* Attici (*x*).

Mensuræ *Intervallorum* sunt vel partes pedis, vel ex multiplicatione pedis oriuntur. *Pes* dividitur in quatuor Palmos (*z*): *Palmus* in quatuor *Digitos* (*a*); licet quoque, quemadmodum As, ita pes in 12. uncias divisus fuerit. *Cubitus* constabat sex palmis, sive sesquipede (*b*): *Passus* habet quinque pedes porrectos (*c*): & mille passus faciunt *Milliarium*, quod tertia pars est Milliarii *Hollandici*, sive unius horæ itineris; quarta vero pars Milliarii *Germanici*. *Stadium*, mensura pedum (625. passuum (*) vero) 125. Græcorum propria fuit. *Jugerum* (*d*) erat mensura agrorum patens in longum pedes 240. in latum pedes 120. qui conficiunt pedes quadratos 28800. *Actus* est dimidia pars jugeri.

CAPUT IV.

De Nuptiis Romanorum.

§. I. *De Sponsalibus*.

QUi apud Romanos uxorem ducturus erat, ab eo, in cujus potestate ea erat, eam in matrimonium sibi datum iri *stipulabatur*, & alter, si conveniret, id *spondebat*; qui contractus mutuus *Sponsalia* dicitur (*a*): dum autem de iis ageretur, *Sponsus*

(r) *Martial. I. 71. IX 93.* (s) *Plin H. N XXI. c ult.*
(t) *Vid. Luc Petrum de Rom & Gr mens.* III. *T. XI. A. R. Grev.* (u) *Cato de R R. 56. Donat. ad Ter. Phorm.* I. I.
(x) *Cic. Verr* III 46 *Nepos vita Att.* 2. (z) *Vitruv.* III. 1.
(a) *Frontin. expos. format. p. 30. 37. ed. Goesii.*
(b) *Vitruv. l. d.* (c) *Colum. de R. R. V* 1.
(*) (Ex ipsius auctoris mente p. 397.) (d) *Ibid.*
(a) *L. 1. ff. de Sponsal.*

sus Speratus, *Sponsa* vero *Sperata* dicebantur (*b*): Sponsalia nudo consensu perfici poterant (*c*): sed plerumque tamen in tabulas referebantur, eæque præsentium annulis obsignabantur (*d*). Tum sponsus *annulum pronubum* quasi arrhæ (*e*), sive pignoris (*f*) loco Sponsæ dabat; qui Plinii (*g*) ætate ferreus, postea aureus fuit. His peractis dies nuptiis (*), eligebatur: certi enim dies mali ominis habebantur, ut omnes Kalendæ, Nonæ, Idus (*h*), & qui dies eas proxime sequuntur; tum Majus mensis (*i*), Parentalia, Saliorum festum &c.

§. II. *De ipsis Nuptiis.*

Nuptiæ contrahebantur tribus modis, *Usu* nempe, *Confarreatione*, & *Coemptione*. Primo: *Usu* vel *usurpatione* contrahebantur nuptiæ, cum mulier matrimonii caussa anno integro & continuo cum viro fuisset (*k*); & talis mulier differt a *Concubina*, quod hæc consuetudinis tantum gratia habetur; quæ res ex habentis animo plerumque censetur (*l*): quanquam in liberæ & honestæ mulieris consuetudine semper nuptiæ intelliguntur (*m*). Secundo: fiebat Matrimonium *Confarreatione* (*φαρράκια* dicit Dionysius Halicarnassensis II. *c.* 25.) cum certis verbis adhibitis, testibus decem præsentibus, solemnique sacrificio (in quo *farre* utebantur) coram Pontifice peracto, mulier in manum viri conveniebat (*n*): & huic confarreationi contraria fuit *Diffarreatio* (*o*), cum matrimonium similibus ritibus solveretur. Hic autem erat antiquissimus & dignissimus matrimonii contrahendi modus; unde *γάμος κατά τὰς ἱερὰς νόμους* dicitur (*p*). Denique: *Coemptione*, hoc est, *imaginaria emptione & venditione* (*q*) fiebant nuptiæ, quando nummis dicis caussa adhibitis, mulier in potestatem viri transibat.

§. III.

(b) *V. var. not. ad Ter. Heaut. IV. V.* 26. *Epist. XI.* 21. (videtur in animo habuisse Ovid. Epist. XI. 2r. &) XXI. 59.
(c) *L.* 4. *pr. l* 7. *ff. eod.* (d) *Juven. II.* 119. *& VI.* 25.
(e) *L* 38. *pr. ff. de ritu nupt. l.* 3. *Cod. de Sponsal.*
(f) (*Juven. VI*) *v.* 27. (g) *Ipse H. N. XXXIII.* 1.
(*) (Terent. Andr. I. I. 75.) (h) *Macr. Saturn. I.* 15.
(i) *Ovid. Fast. V.* 490. (k) *Ibid. III.* 395. *Gell. III.* 2.
(l) *L.* 4. *ff de connub.* (m) *L.*24. *ff. de ritu nupt. l.*34. *ff. ad L. Jul. de adult.* (n) *Servius Danielis in Virg. Georg. I.* 31. *& omn. Tac. Ann. IV.* 16. *& ibi Lips. Cic. Topic.* 3.
(o) *Fest. ea V.* (p) *Dion. Halic. II.* 25.
(q) *Serv. d. l. Cic. pro Mur.* 10.

§. III. *De Nuptiarum solemnibus.*

Nullæ Nuptiæ (nobiliores certe ac legitimæ. V. Juven. X. 330. & 338.) fiebant, nisi adhibitis *Auspicibus* (r), & sacris ante rite peractis, præsertim Junoni *nuptiarum præsidi* (s): in quibus sacris *fel* ex victima abjiciebant, ut ita omnem *amarorem* a nuptiis abesse debere significarent (t). Sponsæ (u) coma cuspide *hastæ* dirimebatur; vel, ut *fortes* genituram ominarentur; vel, quod *hasta* Junoni sacra esset; vel denique in memoriam raptus Sabinarum (vv). Tum coronabatur sponsa (x); & cingulo laneo cingebatur, quod sponsus deinde in lecto nuptiali solvebat; idque faciebat taciturnus & taxim (y): & hinc *zonam solvere* pro *pudicitiam mulieris imminuere* dicitur (z). Induebatur etiam tunica recta, qualem prima texuerat *Caja Cæcilia*, quæ eadem *Tanaquil* (a). Denique etiam *flammeo* pudoris ergo obnubebatur (b). Ita ornata virgo e gremio matris, vel proximæ cognatæ abripiebatur (c); tum, ut videtur, verecundiæ caussa, ne ultro nuptum ire videretur; tum, ut ita raptus Sabinarum exprimeretur: atque ita vesperi (d) ad *domum* sponsi *deducta* domicilium mutabat (e); unde Junoni *Domiducæ* cognomen adhæsit (f). Pueri tres patrimi & matrimi *Paranymphi* dicti sponsam deducebant (g); quorum unus facem (h), sive tædam (i) *pineam* (non *spineam*, ut male legitur in quibusdam editionibus *Catulli carmine in nuptias Juliæ & Manlii*; & exigit ratio, quia *pinus* est arbor resinifera, non vero *spina*; atque ita jam olim correxit magnus *Scaliger*; licet fatear, multos esse, qui e *Spina* fuisse dicant (k)) tædam, inquam, *pineam* manu tenebat (l); reliqui duo nubentem:

(r) *Juv. X.*336 (Val. Max. II. I.1.) (s) *Virg. Æn. X.*59.
(t) *Plut. præcepr. conjug. p.m.*141.*E.* (u) *Plut Romul. p. m.*26. *Ovid. Fast. II.*560. (vv) *Plut. ib.* (x) *Catul. carm.*62.
(y) *Varro ἐν γεροντοδιδάσκ. p.* 108. *ed. Dordrecht.*
(z) *Theocr. Id XXVII.* 54. *Ovid. ep. Phyll.* 115. *V. etiam Scriv. ad pervig. Ven.* 26. (a) *Plin. H. N. VIII.* 48.
(b) *Lucan. II.* 350. *Juven. VI.* 224. (& X. 334.)
(c) *Catull. carm. d.* (d) Id. *carm.* 63.
(e) *L.* 38. §.1. *ff. ad municip.* (f) *August. de C.D. XII.*13.
(g) *Ibid. XIV.* 18. (h) *Hom. Il. ad.* Σ. 492.
(i) *Senec. Med. III.* (k) *V. Rev. Fabric. Bibl. Græc. III. XXVI. p.* 634. *Turn. adv. XXI.* 29. *Meziriac. ad epist. Ovid. p. m.* 189. *Plin. H. N. XVI.* 18.
(l) *Vid, Propert. IV. XII.* 46.

bentem: illas autem faces Ovidius *Epist. Her. XI. vers.* 101. eleganter vocat *maritas*. Hi paranymphi autem Græcis etiam νυμφευταὶ & πάροχοι dicuntur: item νυμφαγωγοὶ; licet eo vocabulo etiam matrimonii contrahendi amici & amicæ interpretes veniant; quæ etiam προμνήστριαι & προμνηστρίδες dicuntur (*m*). Comitabantur præterea Sponsam ancillæ cum colo, fuso & stamine (*n*) in laboris futuri argumentum: nam ad nullum opus nisi lanificii obligabantur Romanorum uxores (*o*); eique etiam feminas principes deditas fuisse discimus ex exemplo *Lucretiæ* apud Livium I. *c.* 57. (*p*) & Augusti Imperatoris, quem haud temere alia veste usum, quam ab uxore & sorore & filia neptibusque confecta, tradit Suetonius *ejus vita c.* 73. atque inde etiam in æde *Sangi* lana cum colo & fuso Tanaquilis reginæ servata est (*q*). Tum cognati, vicini, amici magno numero nuptialem pompam ducebant (*r*), sive *officium* (*s*) nuptiale celebrabant, aliquid utensilium donum nupturæ quisque ferentes: puer vero impubes *Camillus* (*t*) dictus in vase operto, quod *Cumera* (*u*) dicebatur, crepundia nascituro infanti portabat: quæ erant ornamenta quædam infantis collo appendi solita (*v*). Ædium fores & postea frondibus, floribus & aulæis erant ornatæ (*vv*); ad quas cum accessisset sponsa, interrogata quænam esset, respondebat: *Ubi tu Cajus, ego Caja* (*x*); quod, ut vulgo interpretantur, significabat: *Ubi tu dominus & paterfamilias, ibi ego domina & materfamilias* (*y*): erat enim ex lege Romuli omnium bonorum & sacrorum cum marito particeps (*z*): & hinc *Domina* absolute pro *sponsa*, vel *uxore* dicitur (*a*).

Tum laneis vittis postes ædium sponsa (*b*) ornabat, & adipe lupino, vel suillo (*c*) eos *ungebat*; (qua ratione fascinationem averti credebant) & hinc

(m) *Vid. Bud. comm. ling. Gr.* 1089. *F.* (n) *Plin. H. N.* VIII. 48. (o) *Plut. Romulo p. m.* 26. *D.* (p) *Ovid. Fast.* II. 746. (q) *Plin. H. N.* VIII 48. (r) *Claudian. de nupt. Hon. & Marc.* 285. (s) *Juven.* II. 132. *Suet. Cal.* 25. *& Claud.* 26. (t) *Varr. de L. L.* VI. 3. (u) *Fest. ea V.* (v) *Plaut. Mil.* V. V. 8. *Cistell.* IV. 1. 11. (vv) *Juven.* VI. 70. *&* 226. (x) *Quintil. Instit.* I. 7. (y) *Plutarch. quæst. Rom. p. m.* 271. (z) *Dion. Halic.* II. 25. (a) *Catull. carm.* LXII. 31. *Virg. Æn.* VI. 397. (b) *Lucan.* II. 352. *Serv. ad Virg. Æn.* IV. 458. (c) *Plin. H. N.* XXVIII. 9.

& hinc *Uxor*, quasi *Unxor* est dicta (*d*). Limen non transibat sponsa, sed super illud tollebatur (*e*), ut quasi invita mariti domum ingredi, nec ad pudicitiæ immutationem convolare videretur (*f*): vel, quia limen Vestæ Dearum castissimæ erat sacrum (*g*), quod ita non conveniebat calcari ab ea, quæ virginitatem jamjam esset amissura. Ingredienti domum Sponsæ dabantur *Claves*, quibus notabatur *cura rei domesticæ* (*h*); tum *aqua* & *ignis* ei offerebatur (*i*), quia ex humore & calore omnia gigni putabant (*k*): & hac aqua nubentium pedes lavabantur (*l*). Deinde sponsæ, ejusque comitibus a Sponso dabatur cœna nuptialis (*m*), quemadmodum in sponsalibus Sponsa, vel ejus parentes (*n*) cœnam dabant. In hac cœna tibicines adhibebantur, & convivæ *Talassionem* (*o*), vel *Talassium* invocabant (*p*) (ut Græci *Hymenæum* (*q*)) in memoriam *Talassii* (*r*) cujusdam, qui cum uxore sua a Sabinis rapta per multos annos felicissime vixerat: vel ob *lanificii* mentionem (*s*), quod Græcis ταλασία dicitur. Mox *nuces* (*t*) pueris spargebantur, cujus rei ratio verissima videtur fuisse, ut ita *res ludicras* se relinquere testarentur (*x*): & propterea etiam puppas suas Veneri consecrabant sponsæ (*y*). Pueri vero carmina quædam obscæna & lasciva cantabant, *Fescennina* (*z*) dicta; vel, quod ab urbe *Fescennia* primum allata essent; vel, quod *fascinum*, sive *artes magicas*, quibus sponso sæpe noceri credebant, averterent. Demum nupta a *Pronuba* (*a*) (quæ erat mulier univira (*b*)) in *lecto geniali* (ita dicto vel a *genendo*, sive *gignendo*; vel quod *Genio* sacer esset) collocabatur (*c*); & idem lectus post celebratas nuptias *Adversus* dicebatur

N (*d*):

(d) *Serv. ad Virg. Æn. IV.* 456. (e) *Plut. Romul. p. m.* 26. D. & *Quæst. Rom.* 29. (f) *Lucan. II.* 358.
(g) *V. Serv. ad Virg. Ecl. VIII.* 29. (h) *Vid. Cic. Philipp. II.* 28. (i) *L.* 65. §. 3. *ff. de don. int. vir. & ux.*
(k) *V. Ovid. Fast. IV.* 792. *seqq. & Varr. de Ling. L. IV.* 10.
(l) *Serv. ad Æn. IV.* 167. (m) *Juv. VI.* 202.
(n) *Cic. epist. ad Quint. fr. II.* 5. (o) *V. Martial. I.* 35.
(p) *Plut. Romul. p. m.* 26. B. (q) *Serv. ad Æn. I.* 655. IV. 99. 316. (r) *Liv. I.* 9. (s) *Plut. Quæst. Rom. p. m.* 271. E. *Varro ap. Fest. V. Talasio.* (t) *Catul. carm.* 62.
(x) *V. Pers. I.* 10. (y) *Pers. II.* 70.
(z) *Senec. Med.* 113. (a) *Catull. carm.* 62. *vers. fin.*
(b) *Fest. V. Pronubæ.*
(c) *Juven. X.* 334. *Tac. Ann. XV.* 37.

(*d*): quia nempe erat è regione januæ (*e*). Discedenti autem *officio* sive amicis a cœna abeuntibus munuscula auferenda, sive *apophoreta* dabantur (*f*). Postridie nuptiarum epulæ apud novum maritum restaurabantur, quæ *Repotia* sunt dicta (*g*); & novæ nuptæ munera a cognatis & affinibus mittebantur (*h*), qui a marito vicissim Apophoreta accipiebant: denique nova uxor libertatem uxoriam auspicans in domo mariti rem divinam faciebat (*i*).

§. IV. *De Divortio & Repudio.*

Atque ita quidem matrimonium *contrahebatur*: *solvebatur* vero, præterquam morte etiam *Divortio*, ut sponsalia solvebantur *Repudio* (*). *Repudium renunciantis* (ita enim loquebantur (K)) formula hæc erat: *Conditione tua non utor* (*l*): nam *conditio* proprie de *pactione nuptiarum* dicitur (*m*). Et hoc casu vir arrha, mulier duplo arrhæ pretio mulctabatur (*n*); sed si neuter repudio caussam dedisset (*o*), mulcta cessabat. Divortium, si a parte mariti fit, dicitur ἀποπομπὴ, si a parte uxoris ἀπόλειψις (*p*). Divortium lege Romuli viris, non vero mulieribus permissum fuit, si mulier veneficio circa prolem usa fuisset; si alienam pro sua supposuisset; si adulterium fecisset (*q*); si inscio marito vinum bibisset (*r*). Eaque caussa in amicorum concilio examinari solebat (*s*). Sed licet lege permissum esset, primus tamen divortium fecisse legitur circa A. U. 520. *Sp. Carvilius Ruga* ob uxoris sterilitatem (*t*): postea vero admodum frequentia Romæ divortia fuerunt (*u*). Hoc casu dos a marito reddebatur, & tabulæ sponsalitiæ frangebantur (*v*). Divortii formula erat, *Res tuas tibi habeto* (*vv*): (item *Collige sarcinulas: exi, vade*

(d) *Propert. IV. XII.85.* (e) *Vid. Laber. ap. Gell. XVI.9.*
(f) *Juven. VI. 203. Mart. indice L. XIV.*
(g) *Horat. Serm. II. 11. 60.* (h) *Vid. l. 13. ff. de admin. & per. tut.* (i) *Macrob. Saturn. I. 15. in fi*
(*) *L.101. §.1. l 191. ff. de V.S.* (k) *Plaut. Aul.IV.X.53.*
(l) *L. 2. §. 2. ff. de divort.*
(m) *Plaut. Aul. III. V. Stich. I. II. 8.*
(n) *L. 5. Cod. de sponsal.* (o) *L. 3. & 5. eod. tit.*
(p) *V. Salmas. de usur. 4. Kuhn. ad Polluc.VIII.VI. Serm.31.*
(q) *Plut. Romul. p. m. 31.* (r) *Gell. X. 23. Vid. Plin. H. N. XIV. 13.* (s) *Val. Max. II. IX. 2.*
(t) *Id. II. 1. 4.* (u) *Juven. VI. 223. seqq.*
(v) *Id. IX. 75.* (vv) *L. 2, §. 1. ff. de divort.*

de foras; de quibus vide Briſſon. in form. L. VIII.) ejuſque ſignum erat, ſi vir uxori claves adimeret (x). Si autem ſine mulieris culpa factum eſſet Divortium, dos integra reſtituebatur; ſin contra, pro ſingulis liberis ſexta pars ad dimidium dotis uſque retinebatur (y): ſed adulteræ dotem, ejuſque tertiam partem, & dona antenuptialia maritus retinebat, ſi filii non eſſent (z).

C A P U T V.

De Gentibus, Familiis, & Nominibus Romanorum.

§. I. *De Gentibus & Familiis Romanorum.*

GEntis (cujus ſynonymum eſt *genus*; quemadmodum *familiæ ſtirps* (a)) appellatio apud Romanos latius quam *Familiæ* patebat, ita ut una *Gens* plures plerumque *Familias* complecteretur (b): exempli gratia in gente *Cornelia* fuerunt Cornelii *Maluginenſes*, *Scipiones*, *Lentuli*, *Dolabellæ*, *Rufini*, qui poſtea *Sullæ*, *Scapulæ*, *Cinnæ*, *Merulæ*: ſed Cinnæ, Merulæ, Dolabellæ plebeji fuiſſe videntur. In gente *Licinia* fuerunt *Craſſi*, *Luculli*, *Murænæ*, & ſic porro in aliis. Aliquando autem eveniebat, ut in eadem gente aliæ familiæ eſſent patriciæ, aliæ plebejæ cognominibus diſtinctæ (c). Sic, verbi gratia, in gente *Tullia* fuerunt præter alios *Longi* & *Cicerones*, illi patricii: (*M.* enim *Tullius Longus* Conſul fuit A. U. 253. (d) quo tempore ſolis patriciis aditus ad honores patebat) hi vero plebeji: in Claudiorum gente clariſſima plures patriciæ familiæ fuerunt, *Regillenſes*, *Pulchri*, *Nerones*; *Marcellorum* vero plebeja, & quidem patriciis ejuſdem gentis familiis longe clarior. Hujus autem rei cauſſa erat primo diverſa generis origo, cujus rei exemplum eſt in *Sulpiciis* (e); ſecundo, ſi pa-

(x) *Vid. Cic. Philipp. II. 28.* (y) *Paulus II. Inſtit. libr. tit. de dotibus.* (z) *Novell. CXVII. 8.*
(a) *Cic. pro Ligar. 5. Id. Brut. 16. Suet. Jul. 6. Id. Galba 3.*
(b) *Liv. XXXVIII.* (V. Synon. noſtra.)
(c) *V. Tac. Ann. III. 48.* (d) *Liv. II. 19. ipſe Cic. in Bruto, ſive de clar. orat. 16.* (e) *Tacit. loc. prox. d.*

si patricius aliquis se ad plebem contulisset, quod sæpe ab hominibus factiosis fiebat, ut ita plebejos honores capere, & inimicos suos tribuniciis actionibus vexare possent; quemadmodum fecit insignis ille, non virtute, sed sceleribus P. Clodius (*f*). *Octavia* etiam gens e patriciis ad plebem se contulit, ac rursus magno intervallo per Divum Julium ad patriciatum rediit (*g*). Tertia hujus diversitatis caussa fuit civitatis beneficium: qui enim civitate donati erant, cum liberti, tum etiam quibus virtutis caussa id tributum erat, patricii non fiebant, sed plebeji (ut omnes a Sulla civitate donati), licet ejus, cujus beneficio in civitatem venerant, nomen adsumerent (*h*). Addunt quidam his caussis etiam adoptionem, sed minus recte; nam verum quidem est, adoptaticium adoptantis conditionem secutum fuisse, sed hoc personam ejus non excedebat: ita ut adoptaticii etiam duplicem tribum haberent, unam, in qua nati, alteram, in quam adoptati fuerant (*i*). Gentes vero singulas, & Familias Romanorum hic recensere instituti nostri brevitas non patitur. Unum etiam observandum est, *novos homines* fuisse dictos, qui primi ex suis familiis ad honores pervenerant (*k*).

§. II. *De Nominibus Romanorum.*

Romani, nobiliores certe, tribus fere usi sunt *Nominibus* (*l*): *Prænomine* scilicet, *Nomine* proprie dicto, & *Cognomine* (*m*): quibus aliquando *Agnomen* unum, vel plura addebant. Ex his *Prænomen* singulas personas, *Nomen* singulas gentes, *Cognomen* singulas familias notabat: *Agnomen* vero proprie est illud, quod in adoptione ex antiquo nomine retinetur, ut *Scipio* in *P. Cornelio Scipione* a *Q. Cæcilio Metello* adoptato; qui tum dictus est *Q. Cæcilius Metellus Scipio* &c. (*n*) idque uni alicui personæ ex eventu aliquo impositum familiæ ejus deinceps inhærebat. Exemplo res clarior fiet: Magnus ille Carthaginensium domitor dictus fuit *P. Cornelius Scipio Africanus*; ubi P. quidem, sive *Publi-*

(f) *Suet. Jul.* 20. (g) *Id. Aug.* 1. (h) *Cic. ad Famil.* XIII. 36. (i) *Vid. Græv. ad Cic. ad Att.* IX. 16.
(k) *Cic. pro Cluent.* 40. *Plut. Cat. Maj. init.*
(l) *Auson. Gryph. ternario* 80. (m) *Juven.* V. 127. (De Romanor. nominib. præter alios lege *Hist. Ac. Lit. Par.* T. 3. p. 188.) (n) *Vid. Græv. Præf. ad T.* II. *Ant. Rom.*

Publius, est prænomen; *Cornelius*, nomen; *Scipio*, cognomen; agnomen vero *Africanus*, quod a devicta *Africa* honoris ergo ei est datum. Hujus filius, cum infirma esset valetudine, liberisque careret, cognatum suum adoptavit, *L. Æmilii Paulli*, illius, qui *Persen* Macedoniæ Regem vicit, filium; qui inde *P. Cornelius Scipio Africanus Æmilianus* est dictus: ubi *Æmilianus* alterum est agnomen, ut patris naturalis memoria retineretur, ab ejus gentili nomine formatum: hic vulgo a scriptoribus *Africanus Minor* dicitur; sed hoc nomen ei viventi non est datum; verum posteri, ut a superiore Africano distinguerετur, eo sunt usi. Alterum exemplum habemus in *Q. Fabio Maximo*; qui tribus agnominibus quandoque designatur: *Ovicula* enim puer etiamnum a *morum mansuetudine*; *Verrucosus* deinde a *verruca*, quæ ei in superiore labio erat enata, est dictus (o): & denique *Cunctator* appellatus fuit; quod Annibalis impetum *cunctando* (p), & prælii aleam vitando fregerit. Hoc tamen verum est, *nomen* sæpe etiam pro *cognomine*, aut *agnomine* usurpari (q).

Prænomen est, quo fratres, aut ii, qui sunt ejusdem familiæ, inter se distinguuntur: sicut fratres fuerunt *Publius* & *Lucius* Scipiones, quorum ille Africanus, hic Asiaticus est dictus: agnati *Cajus* Julius Cæsar Dictator perpetuus, & *Lucius* Julius Cæsar Consul A.U.689. Erat autem honorificum aliquem prænomine salutare (r): forte quod servi eo carebant; quodque liberti, quamvis prænomen adepti, raro tamen aliter, quam cognomine, quod fere ex servitute retinebant, appellabantur (s). *Nomine* dignoscuntur *Gentes*, ut *Julii*, exempli gratia, *Cornelii*: *Cognomine* vero *Familiæ* ejusdem gentis, quemadmodum in gente Fabia fuerunt Fabii *Ambusti*, *Rulliani*, *Gurgites*, &c. *Agnomen* denique, ut dixi, ab eventu aliquo impositum posteros etiam sequebatur, & sæpe etiam *Cognomen* dicitur (t). His autem omnibus nominibus sæpe etiam addebatur nomen Tribus, ut jam supra

(o) *Plut. ejus vit. init.*
(p) *Ennius Ann XII & ex eo Virg. Æn VI. 845. seqq.*
(q) *Quintil Inst I. 4.* (r) *Hor. Serm. II. v. 32.*
(s) *Facete Pers. Sat. V. 78.* (t) *Vid. Cic. pro Murena 14. & in Somn. Scip. 2. Jac. Perizon. animadv. Hist. 2.*

pra dictum est (*u*). *Prænomina*, quod ad usum sironum notandum, aliquando literis singularibus notabantur (*vv*), ut *A. Aulus*, *C. Cajus*, (quæ litera inversa ita Ɔ mulierem *Cajam* (*x*) significat) *D. Decimus*, *N. Numerius*, *&c.* aliquando binis, ut *Ap. Appius*, *Ti. Tiberius*; aliquando denique ternis, ut *Mam. Mamercus*, *Ser. Servius*, *Sex. Sextus*: *M.* singulare significat *Marcum*; hæc vero nota *M'*, vel etiam altera *MI*, *Manium*. Origo autem horum prænominum a Grammaticis peti potest. Et singularum Gentium nomina unde petita sint, in hocce compendio nostro explicare putidum foret. Cognomina vero vel ab *animo* ducuntur, ut a *sapientia Cato*; (*Catus* enim veteribus *sapiens* (*) dicebatur) vel a *virtute*, aut *moribus*, ut *Frugi*, *Gurges*, *Nepos*, *Pius*, &c. vel ab *arte*, ut *Pictor*; vel ab *eventu*, aut *facto aliquo singulari*, ut Papirius *Prætextatus*, ita dictus, quod in *prætexta* ætate arcanum tegere potuisset; (si modo verum sit, quod de eo narratur (*y*).) & *Tremellius Scrofa* ab eventu facetissimo, quem narrat *Macrobius* loco in margine citato; vel a *corporis habitu*, ut *Calvus*, *Crassus*, *Macer*, &c. vel a *sacerdotiis*, ut *Augurinus*, *Camillus*, *Flaminius*, *Sacerdos*; vel a *Piscibus*, *Orata*, *Muræna* (*z*); vel denique a *frugibus*, vel *agrorum cultu*, (qui priscis Romanis honestissimus habebatur) ut *Lentuli*, *Pisones*, *Cicerones* (Fabii) &c.

§. III. *De Mulierum & servorum Nominibus.*

Mulieres olim quidem Prænominibus usæ videntur (*a*); sed postea gentili tantum nomine fere sunt dictæ: ita, ut si unica esset filia, *Cornelia*, verbi gratia, vel *Tullia* diceretur; si duæ, altera *Cornelia major*, altera *minor*; si plures denique, numeri nota, ut *Prima*, *Secunda*, *Tertia* (*b*), *Quarta* discernerentur: & hoc aliquando ὑποκοριστικῶς, ut *Quar-*

(u) *V. Supr. Sect. I. c. 1. §. 3.* (vv) *V. Plut. Quæst. Rom. p. m. 288.* (x) *Quinctil. Instit. I. 7. Vid. tamen etiam Petr. Servium ap. Cl. Grævium Præf. ad T. II. Ant. Rom.*
(*) (*Ex 1. Edit. Ennius* p 217. Ed. Neap. & ibi Columna. aut p. 128. Hessel.) (y) *Apud. Macrob. Saturn. I. 6.* (Gell. I. 23. (z) *Varro de R. R. III. 3. Colum. VIII. 16.*
(a) *Fest. V. Prænominibus. Vid. Voss. de Arte Gramm. III. 7.*
(b) *Suet. Jul. 50.*

Quartilla (c), &c. Non tamen hæc nomina semper ordinem denotarunt; sed verorum prænominum naturam habebant; æque ac in viris *Quintus*, *Sextus*, *Decimus* (d). Et nomina quidem infantibus *die lustrico* (e) imponebantur, qui puellis erat octavus, pueris nonus: prænomina vero pueris non ante quam togam virilem sumerent, puellis non ante quam nuberent, imponi moris fuit (f).

De Servis.

Servi aut *nascebantur*, aut *fiebant*; qui enim *nascebantur* ex ancilla alicujus, domini sui fiebant, quia partus sequitur ventrem, & pater plerumque incertus est: licet inter servos *nuptiæ* proprie non essent; sed eorum commercium *contubernium* proprie dicebatur, ipsique *contubernales*. *Servi* autem *domi nati Vernæ* & *Vernaculi* dicebantur, & procaciores plerumque erant; quia scilicet ipsis plus, quam aliis, indulgebatur. *Fiebant* servi vel *captivitate ex hostibus* (g), vel *venditione*, ut si pater filium suum venderet; quod olim passim permissum, postea nisi in extrema famis necessitate concessum non fuit, & ne sic quidem, nisi etiamnum a matre rubentem (h). Servi antiquissimis temporibus paullo aliter inflexum domini prænomen ferebant, ita ut *Lucipores*, verbi gratia, *Marcipores*, &c. dicerentur, quasi *Lucii*, vel *Marci pueri* (i), hoc est, *servi*: nam *puer* pro *servo* sine ullo ætatis respectu dicitur (k); recentioribus vero temporibus varia nomina tum Græca, tum Latina habuerunt, vel a gente, unde essent oriundi, vel ab aliis eventibus imposita; ut apud Comicos servi dicuntur *Syrus*, *Geta*, &c. apud Ciceronem vero *Tiro*, *Laurea*, *Dardanus*, & sic porro.

De Manumissione.

Servitute liberabantur servi per *Manumissionem*, quæ erat vel *Justa*, cum justam libertatem & plenum jus civitatis Romanæ consequebantur; vel *minus justa*, cum ex lege *Junia Norbana* fiebant *Lati-*

 ni

(c) *Petron. 26. seqq.* (d) *V. Perizon anim. hist. 3. p. 111.*
(e) *Fest. hac v. Suet. Ner. 6. Plut Quæst. Rom.* 100.
(f) *Val. Max. de Nominibus.* (g) *Hor. Ep. I. 16. 69.*
(h) *L. 2. Cod. de patr. qui fil. suos distr.*
(i) *Plin. H. N. XXXIII. 1. Quintil. I. 4.*
(k) *l. 204. ff. de V. S.*

ni Juniani, quibus inferiores etiam erant, qui ex Lege *Ælia Sentia* fiebant *Liberti dedititii*, qui scilicet aliquando ob gravius crimen stigmate notati, vel graviore pœna affecti essent. *Justa Manumissio* fiebat tribus modis: vel *per Censum*, cum servus, sciente vel jubente domino, cum reliquis civibus a Censoribus *in censum* relatus esset (*l*): vel *per vindictam*, (*) cum dominus cum servo Prætorem adiens, diceret: *Hunc hominem liberum esse volo jure Quiritium*; quod si prætor caussam probaret, *vindicta* (*virgula* quædam erat) capiti servi imposita pronunciabat: *Hunc hominem liberum esse aio jure Quiritium*: quo peracto vel lictor, vel dominus eum in gyrum circumagebat (*m*), potestatem abeundi, quo vellet, ei concessam esse significans. Tertius manumittendi modus erat, qui fiebat *Testamento*; de quo prolixe satis Imperator in institutionibus juris.

Minus Justa manumissio erat, quæ fiebat vel *inter amicos*, vel *per mensam*, cum dominus servum secum accumbere juberet, vel *per epistolam*. Qui autem manumittebantur, raso capite *pileum* accipiebant (*n*), qui libertatis insigne erat. Incredibilem autem servorum multitudinem divites illi Romani habebant (*o*), quos in varias decurias distinctos habebant (*p*): ita ut exercitui multitudine comparentur (*q*). Liberti pristinorum dominorum nomina & prænomina assumebant, quibus cognominis loco pristinum suum nomen adjiciebant; sic *Tiro* a *M. Tullio* Cicerone libertate donatus dictus est *M. Tullius Tiro*, (qui variis scriptis inclaruit, ut ex Gellio, Asconio, & aliis discimus) *Eutychides*, T. *Cæcilii Attici* libertus, *T. Cæcilius Eutychides* (*r*). Idem autem homo *libertus* dicebatur respectu patroni sui; *libertinus* respectu aliorum (*s*). *Qui civitatem Romanam consequebantur* (*t*), eorum, quorum beneficio, vel auxilio in civitatem venerant, prænomen & nomen assumebant (*v*); nominibus

(l) *Cic. pro Cæc.* 34. (*) (Quis primus *vindicta* liberatus fuerit vide ap. Liv. II. 5. (m) *Perf. Sat. V.* 75. *Horat. Serm. II. VII.* 75. (n) *Plaut. Amph. I. I.* 306. *Serv. ad Virg. Æn. VIII.* 564. (o) *V. not. ad Petron.* 37. *ed. Cl. Burm.* (p) *Id.* 47. (q) *Plin. H. N. XXXIII.* 10. *Senec. de tranq. an.* 8. (r) *Cic. ad Att. IV.* 15. (s) *V. Cic. I. in Verr.* 47. *Sigon. de ant. jur. civ. Rom. I.* 6. (t) *V. Jul. Cæs. de B. G. I.* 47. (v) *Cic. ad Famil. XIII.* 35. *seqq.*

nibus suis pristinis vero pro cognominibus utebantur, ut C. *Valerius Caburrus* a *C. Valerio Flacco* civitate donatus (*vv*); *A. Lutatius Diodorus* beneficio *A. Lutatii Catuli* civitatem adsecutus (*x*). Et hinc post Sullam tanta multitudo *Corneliorum* fuit; cum plurimis ipse civitatem dedisset (*y*). Postquam vero in orbe Romano qui sunt, ex constitutione Imperatoris Antonini cives Romani effecti sunt (*z*), de cujusque arbitrio nomina sunt sumpta, ita ut plane alia eorum foret ratio, quam tamen operose hic explicare nihil attinet. (Liberti ac Libertæ apud patronos varia munia obibant, quod ex omni antiquitate satis notum: imprimis autem videndus *Pignorius*, & Monum. seu Columbarium Libb. & servorum Liviæ Aug. A. 1727. Florentiæ editum: unde unicum exemplum petam, quod a quodam viro Docto minus recte explicatum videtur. Quædam ibi inscriptio sic se habet: PHILEMATIO. AUG. L. SACERD. A. BONA. DEA. MATER. MAENALI. Durius, inquit, *a bona Dea* hic dicitur pro *bonæ Deæ*. Sed nisi me fallo, *Philemation* sic dicitur *Augustæ Sacerdos a bona Dea*, ut pueri dicuntur *a manu*, *a pede*, *a poculis*: est enim credibile, Liviam pro sua impotentia matronarum aliarum sese longe inferiorum congressum familiarem atque in sacris parem fugisse, ideoque vices suas huic Libertæ ad ea sacra Augustæ nomine colenda transmisisse.)

§. IV. *De Patria apud Romanos potestate.*

Quia autem *jus Patriæ potestatis* apud Romanos plane singulare, & ab omnibus aliis gentibus diversum fuit, operæ pretium erit, ut paucis illud explicemus. Est igitur *Patria potestas* (*a*) *jus, quod Pater habet in liberos*; quod Livius (*b*) vocat *patriam Majestatem*. *Pater* dico; *Mater* enim liberos in potestate non habebat: tum ob alias, credo, rationes; tum, quod præ nimio amore nimium iis indulgere soleant: *αἱ μητέρες γὰρ φιλοτεκνότεραι* inquit *Arist. Ethic. IX. c. 7.* (*c*). Hæc autem potestas tribus modis acquiritur, *justis* nempe *nuptiis*, *legitimatione*, & *adoptione*.

(*vv*) *Cas. l. prox. d.* (*x*) *Cic. in Verr. IV. 17.*
(*y*) *Cic. pro Cornel. l. p. 967. ed. Græv. App. Al. Civ. I. 415.*
(*z*) *L. 17. ff. de statu hom.* (*a*) *V. Dion. Hal. II. 26. seqq.*
(*b*) *III. 45. & alibi.* (*c*) *Ter. Heaut. V. 2. 38.*

ptione. De nuptiis quod satis est diximus ; de legitimatione dicere ad propositum nostrum minus facit : superest ut pauca de adoptione videamus. *Adoptio est actus legitimus, quo in locum filii adsciscimus eum, qui nobis extraneus est ; ad eorum, qui liberos non habent, solatium inventus* : Græcis υἱοθεσία dicta. Est autem vel *adoptio in specie talis*, vel *arrogatio*. *Adoptio in specie talis est* eorum, qui in aliena potestate sunt, & a patris naturalis familia in adoptivi familiam transferuntur : eaque fiebat apud quemlibet magistratum, apud quem legis actio esset, Prætorem puta, vel Proconsulem, patre naturali filium imaginaria emptione & venditione patri adoptivo mancipante (d). *Arrogatio* est *eorum, qui, cum sui juris sint, se in potestatem alterius tradunt* ; ita dicta, quod non nisi *rogatione* ad populum lata fieret, (licet aliter fit in *l. 2. ff. de adopt.*) Comitiis scilicet curiatis (e). Verum translato a populo in Principem imperio, principali exinde auctoritate arrogationes fieri cœperunt : eaque (si impubes quidem arrogarétur) non fiebant, nisi caussa cognita an honesta esset, pupilloque expediret. Quia autem adoptio naturam imitatur, adoptans adoptivum plena pubertate, sive octodecim annis præcedere debebat (f). Effectus arrogationis perspicitur ex formula rogationis, quæ talis fere fuit : *Velitis, jubeatis, Quirites, ut L. Valerius L. Titio tam jure legeque filius sibi fiat, quam si ex eo patre matreque familias ejus natus esset ; utique ei vitæ necisque in eum potestas fiet, uti patri endo filio est*. Patriæ autem potestatis apud Romanos effectus majores, quam apud aliam quamvis gentem fuerunt. Nam primo : Pater in filium habebat *jus vitæ & necis* ; ita ut, si eum occidisset, non teneretur lege Pompeja de parricidis, nec legé Cornelia de sicariis (g). Sed eam potestatem postea tam Principes, quam Jurisconsulti coarctarunt (h). Secundo : Pater ex lege Romuli habebat jus filium *ter vendendi* (i) ; in quo major patris potestas fuit in filium, quam domini in servum : servus enim semel venditus, si a novo domino manu emittatur, sui juris fit ; filius autem ter debebat vendi, & toties manumitti, antequam

(d) *L. ult. Cod. de adopt.* (e) *Gell. V. 19.*
(f) *§. 4. Instit. d. t.* (g) *L. II. ff. de lib. & post. l. fin. Cod. de patr. pot.* (h) *L. 2. ff. ad L. Corn. de sic. l. un. C. de his, qui par. vel lib. occ.*

tequam de potestate paterna exiret. Hæc vendendi licentia primum restricta fuit aliquatenus lege Numæ, in qua scriptum erat ad hunc sensum (k): *Si pater permiserit filio uxorem ducere, quæ ex legibus particeps sit sacrorum & bonorum; patri posthac nullum jus esto vendendi filium*. Jure vero Pandectarum filius neque vendi, neque oppignorari potest (l): quamquam Constantinus *sanguinolentos*, id est, *recens natos* vendere in extrema famis necessitate permiserit (m). Tertio: quicquid liberi vel ex operis suis, vel aliunde acquirebant, illud eo ipso momento patri acquirebatur: ideoque etiam non *bona* filii dicebantur, sed *Peculium* (n). Hoc olim uniusmodi fuit pariter ac servorum. Jure vero novo quadruplex est: *Profectitium*, quod a Patre, vel patris caussa ab aliis ad filium *proficiscitur*, idque pleno jure patri acquiritur; *Adventitium*, quod aliunde filio *advenit*, a matre, puta, aut amicis, atque in eo pater usumfructum, filius vero proprietatem habet; *Castrense*, quod occasione *militiæ castrensis* filius sibi acquisivit, & in eo pro patrefamilias habetur: & denique *quasi Castrense*, quod occasione *militiæ togatæ*, sive *exercitio fori* quæsivit, & est instar peculii castrensis. Quarto: Pater poterat filium exhæredare nulla caussa adjecta; idque propter Legem XII. Tabularum, quæ dicit: *Paterfamilias uti legassit super pecunia tutelave sua, ita jus esto*. Hodie filius non potest exhæredari, nisi justa caussa exhæredationis adjecta sit; quales sunt, quæ recensentur in *Nov. XCV. c.* 3. si aliter pater exhæredaverit filium, per querelam inofficiosi petit filius, ut hæreditas ei deferatur rescisso testamento eo colore, quasi pater tempore testamenti facti sanæ mentis non fuisset. Præterea olim filius invitus cogebatur esse patris sui hæres: hodie tamen Prætor ei volenti facultatem concedit paternis bonis se abstinendi (o). Habebat præterea pater jus filium *exponendi*: licet neque ex legibus Romuli, neque ex jure XII. Tabb. necare, aut exponere infantes recens natos, nisi sub certis legibus licuerit; sed sequentibus demum temporibus aliud jus introductum

(k) *Ibid.* (l) *L. ult. ff quæ res pign. obl. l. 6. Cod. eod. l. 1. Cod. de par. qui lib. distr.* (m) *L. 2. Cod. d. t.* (n) *§. 1. Instit. per quas pers. cuiq. acq. V. Dion. Hal. VIII. 79.*
(o) *L. 5. 7. ff. de acquir. her.*

sit (*p*). Hodie si pater filium exponat, extra ordinem est puniendus (*q*): exponere enim idem videtur, quod necare (*r*). Præterea poterat pater filium abjicere, ad parietem illidere, relegare ad opus rusticum; quæ etiam postea sunt abrogata. Poterat quoque pater filium noxæ dedere, pariter ut dominus servum; quod abrogavit Imperator Justinianus (*s*). Competebat vero hoc Jus non tantum in liberos primi gradus, verum etiam in nepotes & pronepotes: qui enim in alterius potestate est, alium in sua potestate habere non potest (*t*); qui autem ex filia nascuntur, in potestate nostra non sunt, quia sunt in potestate patris sui.

Posset autem cuipiam mirum videri tantam & tyrannicam plane potestatem parentibus in liberos apud veteres fuisse concessam, nec tamen credendum est, Romanos hoc casu sine gravibus rationibus ita egisse. Quæ quidem rationes videntur fuisse sequentes: primo, ut esset aliquis quasi domesticus magistratus; secundo, ut ita patres ad tollendum liberos allicerentur; quo pertinet elegantissimus Senecæ locus *de Benef. lib. c. 11. Parentum*, inquit, *conditionem sucravimus, quia expediebat liberos tolli: sollicitandi ad hunc laborem erant incertam adituri fortunam. Non poterat illis dici, quod beneficia dantibus dicitur: cui des elige ipse tecum: Si deceptus es, quære dignum; adjuva. In liberis tollendis nihil judicio tollentium licet; tota res voti est. Itaque ut æquiore animo adirent aleam, danda illis aliqua potestas fuit*. Tertia denique ratio hujus rei fuit, quod benignitas patris non facile iniquum quid in liberos commissura crederetur.

Tollitur Patria potestas primum *morte naturali* (*u*); sed si moriente avo pater adhuc vivat, & in patris sui sit potestate, tum post obitum avi nepotes in patris sui potestatem recidunt. Secundo: *morte civili* patris aut filii, aut deportatione, quia deportatus civitatem, & exinde etiam jus patriæ potestatis amittit (*vv*). *Relegatio*, cum civitatem non tollat, etiam patriam potestatem non solvit. Tertio:

(*p*) *Vid. Celeb. Noodt Julius Paulus* 2. (*q*) *L.* 2 *Cod. de inf. exp.* (*r*) *L.* 4. *ff. de agn. & al. lib.* (*s*) §. *ult. Inst. de noxal. act.* (*t*) *L.* 21. *ff. ad. L. Jul. de adult.*

(*u*) *L.* 19. *ff. quand. dies leg. ced. l.* 155. §. 2. *de V. S.* (*vv*) §. 1. *Instit. quib. mod. patr. pot. solv.*

tio: labente Imperio dignitate *Patriciatus* patria potestas tollebatur. *Patricius* autem dicebatur, non ea notione, quæ Reipublicæ tempore obtinuit: sed summa plane dignitas erat, qua quis curulibus honoribus functus in consilium Principis adsciscebatur; & ejus quasi *Pater* vocabatur (*x*). Olim vero etiam Vestales, simul ac captæ essent, potestate patria exibant (*y*). Quarto: solvitur, vel potius suspenditur patria potestas, si quis ab hostibus captus sit: nam captivus simul ac ad suos lares reversus est, omnia pristina jura fictione *juris postliminii* (*z*), qua fingitur numquam in hostium potestate fuisse, recipit. Quod si pater apud hostes decesserit, ab eo tempore, quo captus est, filius sui juris fuisse videtur per fictionem *Legis Corneliæ*, qua fingitur ipso captivitati momento obiisse: Quinto: tollebatur patria potestas *Emancipatione* (Græcis *χειραφεσία*, *ἐξοικείωσις* & *ἐκποίησις* (*a*); *emancipemus*, *χειραφετὸς*). Est vero *Emancipatio legis actio, qua quis apud competentem judicem de potestate dimittitur*: idque olim fiebat per imaginarias emptiones & venditiones, hodie vero sola declaratione paternæ voluntatis apud competentem judicem. *Mancipare* autem, vel *mancipio dare* proprie significat, *proprietatem rei alicujus alicui tradere*; unde eleganter *Lucretius* III. *vers.* 985.

Vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu.

Et P. *Syrus Mimographus*,

Fortuna usu dat multa, mancipio nihil (*b*).

Effectus emancipationis erat, primo; ut filius plene sui juris fieret, & plenum dominium in bonis adventitiis acquireret, excepta tamen dimidia parte usufructus, quæ patri velut in præmium emancipationis reservabatur. Secundo; ut pater idem fere jus in filium emancipatum acciperet, quod patronus in libertum: itaque ei ab intestato succedebat, & impuberi fiebat tutor legitimus (*c*). Non tamen usque adeo patrono parens exæquebatur, ut etiam liberi ejus ad successionem, aut contra tabulas bonorum possessionem venirent (*d*); aut etiam, ut *actio* Cal-

(x) *Claud. Prol. L. II. in Eutr.* 49. *&* *in ipso lib. V.* 68.
(y) *Gell. I.* 12 (z) *Fest. V. Postliminio.* (a) *Poll. On. VI.* 38. 178. *Vid. Bud. Comm. ling. Gr n. m.* 141. *seqq.* (b) *Vid. & Senec. Ep.* 72. *Eurip. Suppl.* 514. *loco elegantissimo.* (c) *Tit. Instit. de legit. par. tut.* (d) *L.* 1. *§.* 5. *ff. si a par. quis man. sit.*

Calvisiana parenti daretur (*e*); aut denique, ut recte stipularetur a filio operas. Quemadmodum autem filius invitus (*an supplendum est? non*) emancipabatur, sic nec pater cogi poterat, ut filium emanciparet, nisi certis quibusdam casibus: quorum primus est; si quis impubes arrogatus, dein pubes factus, dicat se læsum esse arrogatione (*f*). Secundus casus est; si male contra pietatem filium adficiat, hoc est, nimiam adversus eum exerceat severitatem (*g*). Tertius; si quis legatum ea conditione, ut liberos emanciparet, relictum agnoverit (*h*). Quartus; si pater lenocinium exerceat, & filiabus suis peccandi necessitatem imponere velit (*i*). Quintus denique; si pater nuptias incestuosas contraxerit (*k*). Sexto & ultimo solvitur patria potestas, si ab aliquo ex adscendentibus quis adoptetur (*l*).

CAPUT SEXTUM.

De Ritu Funerum.

§. I. *De iis, quæ mortem proxime sequebantur.*

HUmani dramatis postremus actus *morte* terminatur, eamque sequitur *Funus* (*). Summo autem studio veteres funus curabant; quia credebant animas insepultorum ad sedes quietas non admitti, vel saltem centum annos juxta *Stygiam* paludem oberrare, antequam eam transmittere (*a*) possent; unde, si ipsis cadaveribus potiri non possent, *tumulum* tamen *inanem*, sive κενοτάφιον (quod tamen locum religiosum non faciebat (*b*)) ipsis statuebant (*c*): aut, si cadaver inhumatum viderent, glebas saltem aliquas ei injiciebant (*d*): (*aut lapidabant*, Petron. c. 114. i. e. lapidibus obruebant.) quique illud non fecisset, piaculum commisisse credebatur, & porcam præcidaneam Cereri mactabat (*e*):

(e) *L. 2. ff. de eod.* (f) *L. 13. ff. de adopt.* (g) *L. ult. ff. si a par. quis man.* (h) *L. 92. ff. de cond. & demonstr.*
(i) *L. 12. Cod. de Episc. aud.* (k) *Novell. XII. 2.*
(l) *L. penult. Cod. de adopt.* (*) (*Funus* a funibus seu funalibus dictum. V. Lips. Excurs. ad *Tac. Ann. III. 4.*)
(a) *Virg. Æn. VI. 324.* (b) *l. 6. §. 1. ff. de relig. & sumpt. fun.*
(c) *Virg. ibid. 504. l. 42. ff. de relig. & sumpt. fun.*
(d) *Virg. d. l. 364. Hor. Od. I. XXVIII 23. & 36.*

(*e*): unde nullum genus mortis æque abhorrebant ac naufragium (*f*). Et hinc maxime operam dabant, ut vivi sibi de sepulcro prospicerent (*g*). Ratio porro funeris curandi apud Romanos hæc fuit:

Cum aliquis jamjam esset moriturus, propinqui præsentes spiritum ejus ore excipiebant, sive legebant (*h*): &, qui morienti proximi erant (*i*), ejus oculos claudebant (*k*) (ut horror mortis, puto, minueretur (*l*)) quos postea in rogo rursus aperiebant (*m*). Tum ter, vel quater per intervalla mortuum *inclamabant* (*n*); quo facto *Conclamatum esse* dicebatur (*o*): & hinc est, quod etiam *conclamatum esse* dicimus, *cum res aliqua plane periit*. *Deponebatur* inde cadaver humi: unde *depositus* pro *mortuo* dicitur (*p*): & hinc etiam *deponere vino* est *ebrietate aliquem quasi sepelire* (*q*). Mox aqua calida cadaver abluebatur (*r*), ut vitalis spiritus, si quis forte superesset, excitaretur: & a *Pollinctore* (*s*) ungebatur, qui ex familia *Libitinarii* erat (*t*); ut etiam *Vespillones*, *Præficæ*, *Piatrices* (*u*), *Ustores*, *Custodes* (*x*), aliique: Libitinarius enim in templo Veneris Libitinæ omnia vendebat (*z*), quæ ad funus procurandum necessaria essent: eæque merces *arbitria* dicebantur (*a*). Lotum & unctum corpus veste, quæ defuncti dum viveret honestissima fuerat, induebatur; cives scilicet de plebe, toga alba (*b*); Magistratus & Sacerdotes prætexta: & sic alii aliis. Tum cadaver (cujus ori quadrantem indebant, quem *Charonti* inferorum portitori (*c*) pro naulo porrigeret, Græcis proprie Δανάκη (*d*) dictum) cadaver, inquam, coronatum (*e*) custode apposito in vestibulo ædium *componebatur* (*f*) in lecto, ita ut facies & pedes, tanquam abituri, (unde *porrectus* pro

(e) *Fest. V. Præcidanea agna.* (f) *Vid. Ovid. Trist. I. II. 51.*
(g) *Vid. Grut. Insc. P. 1127 I.* (h) *Vid. Virg. Æn. IV. 684.*
(i) *Id. Æn. IX. 486.* (k) *Hom. Iliad. λ. 452. Pedo Albin. I. 197.*
(l) *Vid. Suet. Ner. 42.* (m) *Plin. H. N. XI. 37. & Virg. vidend. Æn. IV. 244. & IX. 486. Ovid. epist. Penel. 101. & epist. Ariadnæ 120.* (n) *Id. Trist. III. III. 43.* (o) *Terent. Eun. II. III. 56.* (p) *Ovid. Trist. III. III. 40.* (q) *Plaut. Aul. III. VI. 39.*
(r) *Ennius ap. Serv. ad Æn. VI. 219.* (s) *Vid. Plaut. Prol. Poen. 63.* (t) *L. 5. §. 8. ff. de instit. act.* (u) *Vid. Fest. hac V.*
(x) *L. 14. §. 4. ff. de relig. & sumpt. fun.* (z) *Vid. Suet. Ner. 39. Horat. Serm. II. VI. 19.* (a) *Cic. post red. in Sen. 7. & pro domo 37.* (b) *Vid. Juven. III. 171. seqq.* (c) *Virg. Æn. VI. 298. Juven. III. 267.* (d) *Hesych. hac V. Suid. V. Πορθμήϊον.*
(e) *Plin. Hist. Nat. XXI. 3.* (f) *Tacit. Hist. I. 47.*

pro *mortuo* ponitur (g)) publicum spectarent (h): & hinc *componere* (quod Græci aliquando στέλλειν, vel συστέλλειν, vel περιστέλλειν dicunt (i)) quandoque ἀντὶ τοῦ *sepelire* ponitur (k): & etiam Latini *compositum* pro *sepulto* dicunt (l). Ante ædes defuncti (ditioris (m) certe) statuebatur arbor *Cupressus*, quæ funebris habebatur (n); & Diti, sive Plutoni sacra erat; quia semel recisa numquam renascitur (o): licet alii dicant hoc factum esse, ne Pontifex imprudens ædes funestas intraret, atque ita pollueretur (p).

§. II. *De ipsis Exequiis*.

Octavo tandem (q), ut videtur, die, populus per præconem certa formula (verbi gratia tali, *Exequias L. Titio L. F. quibus ire commodum est, jam tempus est* (r); *ollus effertur*) ad exequias convocabatur; ad quas magna frequentia convenire solebant. Itaque magno *concessu* (propriam hanc vocem nota (s)) efferebatur cadaver, si divitis alicujus esset, in lecto vel lectica, pretiosis stragulis strata (t); quæ ferebantur, vel a propinquis (u); vel, si summi viri fuissent, a viris plane honestissimis; quemadmodum Augustum a senatoribus (x), Julium Cæsarem magistratuum (y) humeris elatos fuisse legimus, & *Severi* Imperatoris urnam a Consulibus portatam (z); pauperiores vero in *Sandapila* a quatuor vespillonibus efferebantur (a). At omnium honoratissimum erat funus, quod *Censorium* appellabatur (b). Post ultimam conclamationem pompa funebris procedere incipiebat, *designatore* (Belgis, *een bidder*) eam ordinante (c), qui tum etiam lictoribus utebatur; & tibicine (d) (qui hac

(g) *Catull. carm. LXVIII. V. 6.* (h) *Virg. Æn. XI. 29. Pers. Sat. III. 103.* (De effigie mortui toro præfixa V. *Lips. ad Tac. Ann. III. 5.*) (i) *Casaub. ad Act. Ver. 6.* (k) *Horat. Serm. I. IX. 28. Ovid. Fast. V. 426.* (l) *Catull. Carm. ad Manl. V. 98.*
(m) *Lucan. III. 442.* (n) *Horat. Epod. X. 18. Serv. ad Æn. VI. 215. Ovid. Met. XV. 141.* (o) *Fest. V. Cupressi.* (p) *Serv. ad Virg. Æn. III. 64.* (q) *Serv. ad Æn. VI* (r) *Terent. Phorm. V. VIII. 37.* (s) *Cic. pro Flacc. 17. 218.* (t) *Propert. II. XIII. 21.*
(u) *Vid. Plut. Quæst. Rom. p. m. 267. Val. Max. VII. I. 1. Plin. H. N. VII. 44.* (x) *Suet. Aug. 100.* (y) *Id Jul. 84.* (z) *Herodian. IV. I.* (Germanici cineres tribunorum centurionumque humeris portati, *Tac. Ann. III. 2.*) (a) *Martial. VIII. 74.* (& ibi). (b) *Tac. Ann. IV. 15. & ibi Lips.* (c) *Horat. Epist. I. VII. 6.* (d) *Ovid. Fast. VI. 659.*

hac occasione proprio nomine *Siticen* (*e*), Græcis σιμβαύλις, dicebatur) præeunte, qui *Næniam*, sive *cantilenam funebrem* (ἐπιτύμβιον νόμον (*f*)) defuncti laudes celebrantem canebat: procerum vero funeribus etiam cornua & tubæ (*g*) sunt adhibita, qua re testabantur (*h*), defunctum neque veneno, neque ferro interiisse. Quia autem defunctus iis laudibus sæpe erat indignus, hinc *næniæ*, sive *mortualia* pro *nugis* ponuntur (*i*). Præficæ, mercede conductæ (*k*), plangendi modum ceteris præibant, & laudes quoque defuncti cantabant (*l*); quibus sæpe sententias, ex celebrioribus poetis petitas, & rei præsenti convenientes miscebant (*m*). (Majoris ætatis funera ad tubam (*) facesque & candelas (**) efferebantur: minoris vero ad tibias & cereos, immixtis tamen facibus. De *lectis* pluribus mortuo nobili sternendis vide, quos citamus, (***) de Proverbio, *licet ad tubicines mittas*, V. Comment. ad Petron. c. 129.)

In pompa funebri ferebantur insignia honorum, quos defunctus gesserat, & quidem inversa, ut etiam hodie fieri solet (*n*) (vel fracta (****)); spolia hostium (*o*), ornamenta triumphalia, dona militaria, & similia (*p*). Tum etiam *Imagines* majorum, & totius gentis in perticis præferebant (*q*); nec facibus parcebatur (*r*). Servi ex testamento defuncti manumissi funus pileati præcedebant (*s*): sequebantur propinqui, filii, si adessent, velatis, filiæ nudis capitibus (*t*), amici, aliique habitu lugentium; scilicet capillo passo, in veste pulla, sive atra (*u*), ornamentis positis, (ut, exempli gratia, equites annulos aureos, & phaleras ponebant (*x*)) quod etiam in luctu publico fieri solebat (*y*): tum etiam,

---

(e) *Gell.* XX. 2. (f) *Pollux Onom.* IV. 10. *segm.* 79. (De antiquitate cantus exsequialis v. *Falsteri Amœn.* Philol. T. II. p. 237.) (g) *Hor. Serm* I. 6. 43. (h) *Hyg fab.* 274. (i) *Plaut. Asin.* IV. I. *vers.* 43. (k) *Horat. de arte* 43. (vers. Hor. est 431. Sed nihil probat, quia masc. gen. legitur: *Ut qui conducti plorant in funere*. Nisi sit enallage generis, quod adfirmare non ausim. vid. potius Plaut. Truc. II. VI. 14. & Lucil. *S.* 22. *F. R.*) (l) *Nevius ap. Fest. V. Præfica*. (m) *Suet. Jul.* 84.

(*) (Serv. ad Æn. V. 138.) (**) (Lips. Exc. ad Tac Ann. III. 4.)

(***)) Cic. de Legg. II. 24. Serv. ad Æn. VI 862. & 875.)

(n) *Pedo Alb. de morte Drusi* 143. *Tac. Ann.* II. 1. (Virg. Æn. XI. 93. & ib. Serv.) (****) (Pedo ad Liv. vers. 177.)

(o) *Suet. ibid.* (p) *Lucan.* VIII. 733. (q) *Propert.* II. XIII. 19. (r) *Id.* IV. 11. *Ovid. epist Cydipp.* 172. (s) *Dion. Hal.* IV. 24. *l. un.* §. 5. *Cod. de Lat. lib. toll* (t) *Plut. Quæst. Rom.* 14. 3. *p.* 267. (u) *Vid Propert.* IV. XII. 97. *Juven.* X. 245. (x) *Liv.* IX. 45. (& 7.) (y) *Luc.* II. 18. 28. *Juven.* III. 213.

etiam, ut hodie, domus luctus tempore claudebantur (z). (In luctu vel mœrore vestes etiam scindebant. *Virg. Æn. v.* 685. quod Hebræis perusitatum fuisse S. literæ docent. Tum Coss. mortuo Druso sede vulgari sedebant, *Tacit. Ann. IV.* 8.)

Ita, si illustre funus esset, in forum (*a*) deferebatur (*b*), & a filio, vel propinquo (*c*) aliquo pro rostris oratione funebri laudabatur (*d*): quod vetus Romanorum institutum fuit, non vero, ut quidam voluere, a Græcis inventum (*e*). Quin originem a Poplicola habuisse docet Plutarchus *ejus vita p. m.* 102. quod institutum ad gloriam quidem & virtutem utilissimum fuit (*f*): historia tamen iis laudationibus mendosior facta est (*g*). Inde ad sepulchri, vel rogi locum procedebant; qui post legem duodecim Tabularum semper fuit extra Urbem; cum antea quisque fere domi suæ sepeliretur (*h*), & plerumque quidem juxta vias (*i*): quamquam, privilegio virtutis, vel dignitatis caussa dato (*k*), quidam in Urbe sepulti sint (*l*); ut præter alios etiam Virgines Vestales (*m*).

§. III. *De Sepultura & Combustione.*

Antiquissimis Reipublicæ temporibus Romani utebantur sepultura (*n*); (i. e. *humatione*. v. nos in Synon.) quanquam hoc perpetuum non fuerit, cum jam A. U. 253. cadavera cremata legamus (*o*); nisi hoc forte factum, quod omnes sepeliendi otium tunc non suppeteret: verum etiam leges Decemvirales clare de ustione loquuntur. Et male quidam Sullam primum crematum putant; quod primus ex gente Cornelia crematus fuisse dicatur (*p*). Quicquid ejus rei sit, florente maxime Republica usque ad extrema tempora Antoninorum, cadavera (honestiorum saltem) cremata sunt: at postea rursus ad sepulturam reditum est (*q*). Infantes etiam, inter septimum

(z) *Tacit. Ann. II.* 82. *Juven. XIII.* 129. (Pedo ad Liv. vers. 183.) (a) *Dion. Hal. IV.* 40. (b) *Horat. Serm. I. VI.* 43. (c) *Suet. Jul.* 6. (d) *Dion. Halic V.* 17. *omn.* (e) *Dion. Halic. d. l.* & *IX.* 54. (f) *Polyb VI.* 51. (g) *Liv. VIII. c. ult. Cic. Bruto c.* 17. (h) *Serv. ad Æn. V.* 61. & *VI.* 152. (i) *Juven. I. V. ult.* (k) *Cic. de LL. II. vers. fin.* (l) *Vid Dion. Hal. V.* 48. *qui paullulum variat. Plut. Poplic. p.* 109. (m) *Serv. ad Virg. XI.* 206. (n) *Plin. H. N. VII.* 54. *Vid. Ziphil. Petr. non longe ab init.* (o) *Dion. Hal. V.* 47. (p) *Cic. de LL. II.* 22. (Similis Servii locus ad Virg. mihi excidit). (q) *Virg. Æn. VI.* 177.

mum mensem mortui, non cremabantur, sed sepeliebantur (*r*). Ita loquor ex usu communi; licet sciam *sepelire* & *sepulchrum* etiam de *combustione* dici (*s*). Ad cadaver cremandum exstruebatur *Pyra* in formam aræ (*t*), vel turris ex lignis, facillime ignem concipientibus (*u*), circumpositis cupressis. Hæc simul cum cadavere imposito liquoribus quibusdam pretiosis conspergebatur (*v*); & a proximis consanguineis averso vultu faces ei subjiciebantur (*vv*): ac vestis pretiosa, ornamenta, arma defuncti, &c. in *Rogum* (qui pro qualitate fortunarum fiebat, Serv. ad IV. Æn. 685.) (ita dicebatur *Pyra jam ardens* (*x*)) conjiciebantur (*y*). Tum propinqui etiam (tus & aromata (*) immo) comas suas detonsas in rogum mittebant (*z*). Dum cadaver cremaretur, sanguis humanus ante rogum effundebatur, quo manes defuncti placari credebant. Ille sanguis olim quidem erat captivorum, vel servorum (*a*); at postea gladiatorum (*b*), qui inde *Bustuarii* sunt dicti: nam Rogus, cum plane jam consumptus esset, *Bustum* dicebatur (*c*); locus ipse vero, ubi cadaver cremabatur dicebatur *Ustrina* (*d*).

Cadavere cremato, favilla, olim quidem vino (*e*), postea vero aqua exstinguebatur; & ossa ac cineres a proximis (*f*) in Urnam legebantur: iisque odores & flores odoratos miscebant (*g*). Poterant autem discerni ossa ex situ & collocatione cadaveris (*h*), quod non ipsi igni impositum, sed æstu potius flammæ circumlambentis in cineres redactum videtur; ita tamen, ut ramusculi cupressorum & particulæ rogi super cadaver conciderent (*i*): quod uncis & hamis, quantum possent, prohibebant. Post hæc præsentes, ut lustrarentur, ter aqua pura a sacerdote conspergebantur (*k*); & jam discessuri extremum *Salve* & *Vale* mortuo inclamabant.

(r) *Plin. H. N. VII.* 29. (citatio falsa). (s) *Terent. Andr. I.* 1. *vers.* 101. *Plin. H. N. VII.* 54. (t) *Virg. d. l.* 214. *seqq.*
(u) *Ib.* 225. (v) *Virg. Æn. V. vers.* 223. *Mart. X.* 97.
(vv) *Id. Æn. XI.* 193. *seqq.* (x) *Serv. ad Virg. Æn: XI.* 185.
(y) *Id. ad Æn. X.* 581. (falsa citatio. Sed vid. Æn. VI. 217. & Serv. ad vers. 233.) (*) (Martial. VI. 15. 22. & X. 26. 6. Virg. Æn. VI. 225.) (z) *Ovid. epist. Canaces V.* 116.
(a) (Virg. & Serv.) *Ibid.* (b) *Horat. Serm. II. III.* 85.
(c) *Fest. hac V.* (d) *Fest. ibid.* (e) *Virg. Æn: VI.* 227.
(f) *Tibul. I. III.* 6. (g) *Id. III. II.* 23. (h) *Vid. Hom. Iliad.* Ψ. *v.* 240. (i) *Vid. Boxhorn. Quæst. Rom.* 25. *Kirchm. de funer. III.* 5. *Voss. de Idol. V.* 43. (k) *Vid. Virg. Æn. V.* 229.

bant (*l*), hac vel simili formula: *Æternum vale; Mos te ordine, quo natura jusserit, cuncti sequemur*. Denique præfica, vel quis alius, novissimo verbo *Ilicet* omnes dimittebat (*m*). Urna inferebatur sepulcro, cui inscribebatur *Titulus* (*n*), & *Votum* (S. T. T. L. i. e.) *Ut terra mortuo levis esset* (*o*), vel, *Ut ossa molliter cubarent* (*p*): vel Græce ita, Κούφη γῆ τοῦτον καλύπτοι (*q*); vel denique ut dicit Euripides Alcest. vers. 462.

.... Κοῦφα σοι χθὼν ἐπάνω πέσειε, γύναι (*r*).

Qui omnino etiam videndus est in *Helena*, v. 857. *seqq*. Domum reversi amici, cum cognatis funebri convivio excipiebantur, cum prius balneum ingressi fuissent (*s*), ut se a pollutione funeris purgarent. Et in illustri funere quandoque epulum populo datum fuit (*t*); aut *Visceratio* (*u*), (Græcis κρεανομία (*)) quæ est *crudæ carnis distributio* (*v*): quod epulum proprie *Silicernium* dicebatur; Græce περίδειπνον (*vv*). Nono etiam die, postquam funus elatum esset, celebrabantur sacra quædam *Novendialia* dicta, in Glossariis Græcis ἔννατα ἐπὶ νεκρῷ ἀγόμενα (*x*). Domus denique funesta purgabatur *Denicalibus* (scilicet feriis (*y*)): Græci enim νέκυν *mortuum* dicunt, & *Exveriis* (*z*).

(l) *Id. Æn. XI. 97.* (m) *Id. Æn. VI. 231.* (n) *Propert. IV. XI. 36. Vid Martial. VI. 52.* (o) *Tac. Agric. c ult.* (p) *Ovid. Trist. III. III. 75. Contra Tib. I IV. 60. Virg. Ecl. X. 31. Pers. S. I. 37. Juven. VII. 207.* (q) *Suid. V.* Κοῦφος: (r) *Vid. Bud. comm. ling. Gr. 218.* (s) *Cic. in Vatin. 13. & ibi Abram.*

(t) *Suet. Jul. 26.* (u) *Liv. VIII. 22.* (*) (V. Glossar a Labbæi, ubi κρεανομία &c. dicitur; & Casaub. ad Suet. J. C. c. 38.) (v) *Serv. ad Virg. Æn I. 111.* (vv) *Varro ap. Non. p. 76. ed. opt. Plant. Serv. ad Æn. V. 89. Suid. hac V.* (x) *Vid. Poll. On. VIII. 14. & ibi not. Serv. ad Æn. V 63.* (y) *Fest. hac V. Cic. de leg II. 22.* (z) *Fest. V. Everriator.*

F I N I S.

Τῷ δὲ Βασιλεῖ τῶν αἰώνων, ἀφθάρτῳ, ἀοράτῳ, μόνῳ σοφῷ Θεῷ τιμὴ καὶ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν. 1. Timoth. 1. vers. 17.

APPENDIX I.

DE

NOTIS ROMANORUM,

Sive SIGLIS maxime memorabilibus.

A

A *Notat* Abrogo. Absolvo. Anno. Annis. Ante. Apud. Augustus. Augusta. Augustalis. Aulus.
AA. Augusta. Augusti *duo*.] *& similia similiter.*
AAA. Augusti *tres*.]
A. A. A. F. F. Auro Argento Aere Flando Feriundo.
AA. COSS. Augustis *duobus* Consulibus.
A. A. V. S. E. V. Alter AmboVe Si Eis Videbitur.
A. A. V. S. L. M. Apud Agrum Vivens Sibi Locum Monumenti, *vel* Legavit Monumentum.
AA. VV. CC. CONSS. Augustis *duobus* Viris Clarissimis Consulibus.
AB. IN. E. L. F. E. Abdicavit. In Ejus Locum Factus Est.
A. B. M. Amico [Amicæ] Bene Merenti.
ABN. Abnepos.
ABS. Absolutus.
AB. V. C. Ab Urbe Condita.
A. D. Ante Diem.
AD. FRV. EMV. Ad Fruges Emundas.
AED. CVR. Ædilis Curulis.
AEL. Ælius. Ælia.
AEM. Æmilia *tribu*. V. pag. 7.
AER. Ærarium, &c.
AET. AVG. Æternitas Augusti.
A. F. A. N. Auli Filius Auli Nepos. *Similia similiter.*
A. FR. A Fronte.
AFR. Africa. Africanus.
AG. Agrippa. Agro, &c.
AGON. Agonalia.
A. H. D. M. Amico [Amicus] Hoc Dedit [Dedicavit] Monumentum.
A. K. Ante Kalendas.
A. L. Auli [Augusti]. Libertus [Liberta].
A. L. A. Amico [Aram] Libens Animo.
A. L. F. [P.]. Amico Libens Fecit [Posuit].
A. L. V. S. Animo Lubens Votum Solvit.
A. M. P. Amico Monumentum Posuit.
AN. A. V. C. Anno Ab Urbe Condita.
AN. C. H. S. E. Annorum Centum Hic Situs [Sita] Est.
ANN. Annonæ.
AN. P. M. L. Annorum Plus Minus Quinquaginta.
AN. V. P. M. II. Annis Vixit Plus Minus Duobus.
A. O. Amico Optimo. Alii Omnes.
AP. Appius. Appia *tribu*.
AP. CONS. Apollini Conservatori.

A. P.

A. P. F. Auro [Argento] Publico Feriundo.
A. P. R. V. F. Ad Populum Plebem Ve Ferant.
A. P. R. C. Anno Post Romam Conditam.
AQ. Aquilifer.
AR. DD. Aram Dedicavit.
ARG. P. X. Argenti Pondo Decem.
ARM. Armeniacus. Armilustria.
ARN. Arniensi *tribu*.
AR. VV. D. D. Aram Votivam Dono dedit.
A. S. L. Animo Solvit Libens.
A. S. L. F. Amico suo Libens Fecit.
A. T. A Tergo.
A. V. C. Ab Urbe Condita. [Anno Urbis Conditæ].
AVG. Augur. Augusta. Augustalis. Augustus.
AVG. LIB. Augusti Liberalitas [Libertus]. [Augustæ Liberta].
A. V. L. Animo Vovit Libens. Annos Vixit Quinquaginta.
AVR. Aurelia. Aurelius. Aurum.

B

B Balbus. Beatus. Bene. Bonus.
B9. bus *terminatio*, ut OMNIB9, *pro* Omnibus.
B. A. Bonis Avibus [Auguriis. Auspiciis].
BASC. Basilica.
B. D. S. M. Bene De Se Merito. [Meritæ. Merenti].
B. E. Bona Ejus.
B. F. [BF.] Beneficiarius. Benefecit. Beneficium. Bona Fide [Fortuna]. Bonum Factum.
B. F. P. Bonæ Fidei Possessor.
B. H. M. Bene Hic Maneat.
B. M. Beatæ [Bonæ] Memoriæ. Bene Maneat [Merenti]. Bonis Manibus.
B. M. H. E. Bene Merenti Hoc Erexit, &c.
B. M. M. P. Bene Merenti Monumentum Posuit.
B. M. P. [S.] C. Bene Merenti Poni [Sepulcrum] Curavit [Condidit].
B. O. Bene Optime. Bono Omine. Bona Omnia.
B. P. Bono Publico. Bonorum Possessor.
B. P. D. Bono Publico Datum [Dedit].
B. Q. [RE]. Bene Quiescat. [Requiescat].
B. R. [RP.] N. Bono Rei Publicæ Natus.
B. S. Bona Sua, &c.
B. V. Bene Vale. [Valeat. Vixit].
B. V. A. Bene Vixit Annis. Boni Viri Arbitratu. NB. B. in sequioribus potissimum monumentis pro V. occurrit, ut BIAR, BIX. pro *Viarum*, *Vixit*.

C

C Cajus. Caja. Caussa. Censor. Centum. Centuria. Civitate. Clarissimus. Cohors. Collegium. Colonia. Comitialis *dies*. Condemno. Conjux. Consul. Cornelius. Cum. Curavit.
Ɔ Caja. Centuria. &c.
9 Con *principio vocis*. Contra.
CA. Camillus. Cato. Caussa.

C. A. Cæsar Augustus. Cæsarea Augusta.
CAES. AVG. PON. MAX. COS. V. DICT. PERP. Cæsar Augus Pontifex Maximus Consul Quintum Dictator Perpetuus.
CAR. Carissimus. Carissima. Carmentalia.
C. B. M. F. Conjugi Bene Merenti Fecit.
C. C. Cajis *duobus*. Caussa Cognita. Conjugi Carissimo, mæ.
C. C. C. Censa Civium Capita. [Calumniæ Cavendæ Caussa].
C. C. Ɔ L. L. Cajorum *duorum*. Con Liberti.
C. C. S. Curavit Cum Suis. Curaverunt Communi Sumtu.
C. D. Cajus Drusus. Collegium Decurionum. Communi Dividundo.
C. E. Curavit Erigi.
C. E. C. Coloni Ejus Coloniæ.
CEN. Censor. Centum. Centuria. Centurio.
CEN. P. Censor Perpetuus [Primus].
CER. Cerealia.
C. F. Caji Filius [Filia]. Carissimus Filius. Clarissima Femina. Conjux [Conjugi] Fecit. Curavit Fieri.
C. F. C. Clavi Figendi Caussa.
C. F. M. Curavit Fieri Monumentum.
C. H. Curavit Heres.
C. H. M. Consecravit Hoc Monumentum. Curavit Hanc Memoriam.
CHO. Cohors.
C. I. C. Cajus Julius Cæsar.
CL. Claudius. Claudia *tribu*. Clarissimus. Colonia.
CL. V. Clarissimo Viro.
C. M. Cæsar Maximus. Cajus Marius. Caussa Mortis. Curavit Monumentum. Conjux Marito.
C. M. D. Conjux Marito [Conjugi Maritus] Dedit.
C. M. F. Conjux Marito [Conjugi Maritus] Fecit. Curavit Monumentum Fieri. Clarissimæ Memoriæ Femina.
C. M. S. Condidit Monumentum Sibi.
C. M. T. Curavit Monumentum Testamento.
C. M. V. Clarissimæ Memoriæ Viro. Curavit Monumentum Vivens.
C. MVN. Curator Municipii.
CN. Cnæus. Cnaea.
C. O. Civitas Omnis. Conjugi Optimo, mæ.
CO. Conjux. Conjugi.
COACT. A. CONL. ABD. I. F. L. F. E. Coactus A Conlega Abdicavit In Ejus Locum Factus Est.
COER. Coeravit. i. e. *Curavit*. Coeravere.
COH. Coheres. Cohors.
COH. I. PR. P. V. Cohors Prima Prætoria Pia Victrix.
COL. Collega. Collegium. Coloni. Colonia. Collocatum.
COL. AA. PATR. Colonia Augusta Patrensis.
COL. DED. Colonia Deducta. Colonis Dedit.
CO. M. Communi Matri.
COM. AS. ROM. ET. AVG. Commune Asiæ Romæ Et Augusto.
COM. HAB. C. Comitiorum Habendorum Caussa.
COMM. Commilitones. Commodus, &c.
COMM. CONS. Communi Consensu.

COMP.

COMP. Compari. Compitalia.
COM. R. P. Comes Rerum Privatarum.
COM. S. L. Comes Sacrarum Largitionum.
CON. Congiarium. Conjux. Conlega. Consul. Consularis.
CONCORD. EXERC. Concordia Exercituum.
CONLAC. F. Con Lacrymis Fecit, i.e. *Cum Lacr.* [*Ego lego*, Conlacrumantes Fecerunt].
CON. P. S. Consularis Provinciæ Siciliæ.
CONS. Consiliarius. Consualia. Consul. Consularis. Consulatu.
CONSEN. Consentibus *Diis*.
CON. SEN. ET. EQ. OR. P. Q. R. Consensu Senatus Et Equestris Ordinis PopuliQue Romani.
CON. SOL. D. Condendo Solum Dedit.
CONS. S. Conservatori Suo.
C. O. P. Comites Ordinis Primi.
COR. Cohors. Cornelius. Cornelia *tribu*. Corona. Corvinus.
COR. VAL. II. Coronis Vallaribus Duabus.
COS. Consul. Consules. Consularis.
COS. DES. S. D. Consuli Designato Salutem Dicit.
COS. ORD. Consul Ordinarius.
COSS. PRÆT. TRIBB. PL. S. P. PL. Q. R. Consulibus Prætoribus Tribunis Plebis Senatui Populo PlebiQue Romanæ.
COS. VIR. Consularis Vir.
COS. V. P. P. Consul Quintum Pater Patriæ.
C. P. Cinerarium Posuit. Curavit Ponendum.
C. P. S. Curavit Poni Sibi.
C. P. S. E. Curavit Pecunia Sua [Proprio Sumptu] Erigi.
C. P. T. Curavit Poni Titulum.
C. Q. S. S. E. Caussa Quæ Supra Scripta est.
C. R. Civis Romanus. Cives Romani. Curavit Refici.
CR. Creticus. Crispus.
CRAS. Crassus.
C. R. C. Cujus Rei Caussa.
CRUST. ET. SPORT. N. S. X. N. Crustulum Et Sportulas Nomine Suo Decem Nummos.
C. S. Communi sumptu. Consulum sententia. Cum Suis. Curavit Sibi. Conjugi Suo. [Suæ].
CS. Cæsar. Consiliarius. Consul.
C. S. C. P. T. M. Cum suis Curavit Poni Titulum Monumenti.
C. S. F. Communi Sumptu Factum, Curavit Sibi Faciendum. Cum Suis Fecit.
C. S. H. Communi Sumptu Heredum. Cum Suis Heredibus.
C. S. H. S. S. S. V. T. L. Communi Sepulcro Hic Siti Sunt. Sit Vobis Terra Levis.
C. S. H. S. T. T. L. Communi Sumptu Heredum. Sit Tibi Terra Levis.
C. S. S. Cum Suis Servis. Curavit Sibi Sepulcrum. Curavit Sibi Suis.
C. V. Centum Vir. Centum Viri. Clarissimus Vir. Consul quintum.
C. V. I. CELSA. Colonia Victrix Julia Celsa.
CU. MA. F. An. XV. Cum Marito Fuit Annos quindecim.
C. V. M. P. Contra Votum Memoriam Posuit. Curavit Vivens Monumentum Poni.

C. V. P. V. D. D. Clarissimus Vir Præfectus Urbi De Dicavit (Dono Dedit). Communi Voluntate Publice Votum Dederunt.
CUR. Cura. Curator. Curavit. Curia. Curio. Curulis.
CUR. AED. SAC. Curatori Ædium Sacrarum.
CUR. ANN. Curatori Annonæ.
CURAT. OP. PUB. Curatori Operum Publicorum.
CUR. D. S. Curavit De Suo.
CUR. ET. SUB. ASC. DED. Curavit Et Sub Ascia Dedicavit.
CUR. II. FRUM. COMP. Curator Iterum Frumenta Comparandi.
CUR. P. P. Curator Pecuniæ Publicæ.
CUR. RP. Curator Rei Publicæ.
CUR. SAC. PUB. P. R. Curator Sacrorum Publicorum Populi Romani.

D

D Data. Decimus. Decius. Decurio. Dedicavit. Dedit. Depositus. Devotus. Deus. Dictator. Dies. Diis. Divus. Donavit. Dominus. Domo.
D. A. C. Divus Augustus Cæsar.
DAC. Dacia. Dacius.
D. A. S. Divo Augusto Sacrum.
DAT. ET. PP. Data Et Proposita.
DAT. POP. Datum Populo.
D. B. I. Diis Bene Juvantibus.
D. B. M. Dedit Bene Merenti.
D. B. S. F. De Bonis Suis Fecit.
D. C. Divus Cæsar. Decurio Coloniæ. Decurionum Collegium.
D. C. A. Divus Cæsar Augustus.
D. C. ND. L. De Caussa NonDum Liquet.
D. CP. Datum Constantinopoli.
D. C. S. De Consilii Sententia.
D. D. Decurionum Decreto. Dedicavit. DeDicatum. Dedit Donavit. Dedit DeDicavit. Dono Dedit. Deo Domestico. Dis Deabus. Diis Dantibus. Dotis Dictio.
DD. Dederunt. DeDicavit. DeDicaverunt. Dies.
D. DD. Dono Dederunt, &c.
D. D. D. Datum Decreto Decurionum, &c. Dono Dedit Dedicavit.
D. D. D. D. Dignum Deo Donum Dicavit. Dono Datum Decreto Decurionum.
DDD. NNN. FFF. Domini Nostri Felices *tres*.
D. D. D. S. Dono Dedit De Suo.
D. D. L. Dono Dedit Lugens. (Libens).
D. D. L. M. Dono Dedit Libens Merito (Libero Munere).
D. D. M. Dedicatum Dis Manibus. Dono Dedit Monumentum.
DD. NN. AUGG. Dominorum Nostrorum Augustorum.
D. D. O. P. Dis Deabus Omnibus Posuit.
D. D. Q. Dedit DonavitQue, &c. Dis DeabusQue.
D. D. S. Dis Deabus Sacrum.
DE. Decius. Defunctus.
DEC. Decessit. Decius. Decurio.

DEC. DEC. MUN. MAL. Decreto Decurionum Municipii Malacitani.
DEC. HS. XII. N. Decurionibus Sestertios Duodecim Numero.
DEC. * XIII. AUG. XII. POP. XI. Decurionibus Denarios Tredecim. Augustalibus Duodecim. Populo Undecim.
DED. Dadicavit, &c.
D. F. HS. C. Det Fisco Sestertios Centum.
DEN. Denatus.
DEP. EST. IN. PA. Depositus Est In Pace.
DE. P. S. P. De Pecunia Sua Posuit.
D. E. R. I. S. C. De Ea Re Ita Senatus Censuit.
DESS. Designati.
DE. VIC. S. PORTIC. F. COIR. De Vicanorum Sententia Porticum Fieri Coiraverunt.
D. F. Decimi [Divi] Filius [Filia]. [Det Fisco.]
D. F. D. I. P. Decurionum Fide Dividenda In Publicum. [*Posse etiam exponi*. Inter Plebem.]
D. G. Dedit [Donavit] Gratis. [*Quidni* Gratus?]
D. H. Donavit Heredibus. Dono Habuit.
D. I. Dari Jussit. Diis Immortalibus. Dis Inferis.
DIAL. Dialis *Flamen*.
DIC. Dictator.
DIC. SEDIT. SEDAN. ET. R. G. C. Dictator Seditionis Sedandæ Et Rei Gerundæ Caussa.
DIG. M. Dignum Memoria. Digna Mulier.
DIL. S. Dilectissimus Servus.
D. I. M. Deæ Isidi Magnæ. Deo Invicto Mithræ. Dis Inferis Manibus [Malis.]
D. IMM. S.] Diis Immortalibus Sacrum.
D. I. S.] Dis Inferis Sacrum.
DIS. D. Q. Dis DeabusQue.
DISP. ET. TABUL. Dispensator Et Tabularius.
D. L. Dedit Libens [Locum. Lugens]. Donavit Locum. Decimi Libertus.
D. L. A. P. Donum Libens Animo Posuit.
D. L. D. L. D. D. D. Dono Libens Dedit. Locus Datus Decreto Decurionum.
D. L. D. P. Dis Locum Dedit Publice.
D. L. M. Datus Locus Monumenti. Dedit Libens Merito.
D. L. S. Dedit Locum Sepulturæ. Dis Laribus Sacrum.
D. M. Deæ [Deum] Matris. Dedit Mœrens. [Monumentum]. Dis Manibus. Divæ Memoriæ. Divino Monitu. Dolus Malus, &c. Domus Mortui. Dicatum Memoriæ.]
D. M. A. Dolus Malus Abesto.
D. M. AE. Deo Magno Æterno.
D. M. E. M. AE. Deo Magno [Dis Manibus] Et Memoriæ Æternæ.
D. M. F. V. C. Doli Mali Fraudis Ve Caussa.
D. M. L. Datus [Dicatus] Memoriæ Locus. Dedit Merito Libens.
D. M. M. I. Deæ Magnæ Matri Isidi, [Idææ].
D. O. M. Deo Optimo Maximo.
D. M. P. Dis Manibus [Defunctæ Monumentum] Posuit.
D. M. V. F. Dis Manibus Votum [Vivens. Universis [Fecit.
D. N. Dominus Noster.

DNA.

DNA. Domina.
D. N. M. Q. E. Devotus Numini Majestati Que Ejus.
D. O. M. S. Deo Optimo Maximo [Diis Omnibus Manibus]. Sacrum.
DON. DON. Donis Donatus.
D. P. Dedit Publice. De Pecunia. Diis Patriis [Penatibus]. Divus Pius. Donum Posuit.
D. PEC. R. De Pecuniis Repetundis.
D. P. M. V. Dies Plus Minus Quinque.
D. PP. Data Proposita. Data Publicata. Dis Perpetuis.
D. P. P. De Pecunia Publica [Propria].
D. P. S. De Pecunia Sua. Dedit Proprio Sumptu. Dis Penatibus [Perpetuis] Sacrum.
D. P. S. D. L. D. P. De Pecunia Sua Dedicavit. Locus Datus Publice.
D. Q. S. De Quo Supra. Dies Qui Supra.
DR. Drusus.
D. S. Data Subscripta. Deo Sancto. Deo Sacrum. De Suo.
D. S. B. H. S. S. De Suis Bonis Hoc Sibi Sumserunt [Suis].
D. S. D. D. De Suo Donum Dedit, &c.
D. S. I. M. Deo Soli Invicto Mithræ.
D. S. I. P. C. De Sua Impensa Poni Curavit.
D. S. P. Deo Sacrum Posuit. De Sua Pecunia. De Suo Posuit.
D. S. P. P. De Sua Pecunia Posuit. De Suo Posuere.
D. S. S. De Suo Sibi. De Senatus Sententia. De Suo Sumtu.
D. S. V. S. L. L. M. De Suo Votum Solvit Lubentissime Merito.
D. T. Dedit Testamento [Titulum. Tumulum]. Dum Taxat.
D. V. Dedit Vivens. Devota Vestæ. Devotus Vester [Vir]. Dies Quintus. Dis Volentibus. Donec Vixit.
DVL. Dulcis, Dulcissimus, &c.
D. V. S. Dedit Vivens Sibi. Dis Universis Sacrum.
DVVMV. Duum Vir. Duum Viratus.

E

E. Ejus. Ei. Eorum. Eis. Erexit, &c. Est. Ergo.
E. B. Ejus Bona.
E. C. Ejus Caussa. Erigi Curavit.
ED. Edicto.
E. D. Ejus Domus. [Dominus].
EDV. P. D. Edulium Populo Dedit.
EE. Esse.
EE. N. P. Esse Non potest.
E. F. Egregia Femina. Erigi Fecit. Ejus Filius.
EG. Egit. Egregius, &c.
EG. S. B. M. F. Erga Se Bene Merenti Fecit.
E. H. Ejus Heres.
E. H. E. Ex Heres Esto.
E. H. L. N. R. Ejus Hac Lege Nihil [illegible]gatur.
E. H. T. N. N. S. Extraneus Her[illegible] Tumulum Nunc Non Sequitur. Exterum Hereder[illegible] Titulus Noster Non Sequitur.
EID. MART. Eidius M[illegible]as.
E. I. M. C. V. Ex Jure Manu Consertum Vocavit.
E. L. Ea Lege. Ejus Locus. Edita Lex.

O 2 E. M.

Calvisiana parenti daretur (*e*); aut denique, ut recte stipularetur a filio operas. Quemadmodum autem filius invitus (*an supplendum est? non*) emancipabatur, sic nec pater cogi poterat, ut filium emanciparet, nisi certis quibusdam casibus: quorum primus est; si quis impubes arrogatus, dein pubes factus, dicat se læsum esse arrogatione (*f*). Secundus casus est; si male contra pietatem filium adficiat, hoc est, nimiam adversus eum exerceat severitatem (*g*). Tertius; si quis legatum ea conditione, ut liberos emanciparet, relictum agnoverit (*h*). Quartus; si pater lenocinium exerceat, & filiabus suis peccandi necessitatem imponere velit (*i*). Quintus denique; si pater nuptias incestuosas contraxerit (*k*). Sexto & ultimo solvitur patria potestas, si ab aliquo ex adscendentibus quis adoptetur (*l*).

CAPUT SEXTUM.

De Ritu Funerum.

§. I. *De iis, quæ mortem proxime sequebantur.*

HUmani dramatis postremus actus *morte* terminatur, eamque sequitur *Funus* (*). Summo autem studio veteres funus curabant; quia credebant animas insepultorum ad sedes quietas non admitti, vel saltem centum annos juxta *Stygiam* paludem oberrare, antequam eam transmittere (*a*) possent; unde, si ipsis cadaveribus potiri non possent, *tumulum* tamen *inanem*, sive κενοτάφιον (quod tamen locum religiosum non faciebat (*b*)) ipsis statuebant (*c*): aut, si cadaver inhumatum viderent, glebas saltem aliquas ei injiciebant (*d*): (*aut lapidabant*, Petron. c. 114. i. e. lapidibus obruebant.) quique illud non fecisset, piaculum commisisse credebatur, & porcam præcidaneam Cereri mactabat (*e*):

(e) *L. 2. ff. de eod.* (f) *L. 13. ff. de adopt.* (g) *L. ult. ff. si a par. quis man.* (h) *L. 92. ff. de cond. & demonstr.*
(i) *L. 12. Cod. de Episc. aud.* (k) *Novell. XII. 2.*
(l) *L. penult. Cod. de adopt.* (*) (*Funus* a funibus seu funalibus dictum. V. Lips. Excurs. ad *Tac. Ann. III. 4.*)
(a) *Virg. Æn. VI. 324.* (b) *l. 6. §. 1. ff. de relig. & sumpt. fun.*
(c) *Virg. ibid. 504. l. 42. ff. de relig. & sumpt. fun.*
(d) *Virg. d. l. 364. Hor. Od. I. XXVIII. 23. & 36.*

(*e*): unde nullum genus mortis æque abhorrebant ac naufragium (*f*). Et hinc maxime operam dabant, ut vivi sibi de sepulcro prospicerent (*g*). Ratio porro funeris curandi apud Romanos hæc fuit:

Cum aliquis jamjam esset moriturus, propinqui præsentes spiritum ejus ore excipiebant, sive legebant (*h*): &, qui morienti proximi erant (*i*), ejus oculos claudebant (*k*) (ut horror mortis, puto, minueretur (*l*)) quos postea in rogo rursus aperiebant (*m*). Tum ter, vel quater per intervalla mortuum *inclamabant* (*n*); quo facto *Conclamatum esse* dicebatur (*o*): & hinc est, quod etiam *conclamatum esse* dicimus, *cum res aliqua plane periit*. *Deponebatur* inde cadaver humi: unde *depositus* pro *mortuo* dicitur (*p*): & hinc etiam *deponere vino* est *ebrietate aliquem quasi sepelire* (*q*). Mox aqua calida cadaver abluebatur (*r*), ut vitalis spiritus, si quis forte superesset, excitaretur: & a *Pollinctore* (*s*) ungebatur, qui ex familia *Libitinarii* erat (*t*); ut etiam *Vespillones*, *Præficæ*, *Piatrices* (*u*), *Ustores*, *Custodes* (*x*), aliique: Libitinarius enim in templo Veneris Libitinæ omnia vendebat (*z*), quæ ad funus procurandum necessaria essent: eæque merces *arbitria* dicebantur (*a*). Lotum & unctum corpus veste, quæ defuncti dum viveret honestissima fuerat, induebatur; cives scilicet de plebe, toga alba (*b*); Magistratus & Sacerdotes prætexta: & sic alii aliis. Tum cadaver (cujus ori quadrantem indebant, quem *Charonti* inferorum portitori (*c*) pro naulo porrigeret, Græcis proprie Δανάκη (*d*) dictum) cadaver, inquam, coronatum (*e*) custode apposito in vestibulo ædium *componebatur* (*f*) in lecto, ita ut facies & pedes, tanquam abituri, (unde *porrectus* pro

---

(e) *Fest. V. Præcidanea agna.* (f) *Vid. Ovid. Trist. I. II. 51.* (g) *Vid. Grut. Insc. P. 1127 I.* (h) *Vid. Virg. Æn. IV. 684.* (i) *Id. Æn. IX. 486.* (k) *Hom. Iliad. λ. 452. Pedo Albin. I. 197.* (l) *Vid. Suet. Ner. 42.* (m) *Plin. H. N. XI. 37. & Virg. vidend. Æn. IV. 244. & IX. 486. Ovid. epist. Penel. 101. & epist. Ariadnæ 120.* (n) *Id. Trist. III. III. 43.* (o) *Terent. Eun. II. III. 56.* (p) *Ovid. Trist. III. III. 40.* (q) *Plaut. Aul. III. VI. 39.* (r) *Ennius ap. Serv. ad Æn. VI. 219.* (s) *Vid. Plaut. Prol. Pœn. 63.* (t) *L. 5. §. 8. ff. de instit. act.* (u) *Vid. Fest. hac V.* (x) *L. 14. §. 4. ff. de relig. & sumpt. fun.* (z) *Vid. Suet. Ner. 39. Horat. Serm. II. VI. 19.* (a) *Cic. post red. in Sen. 7. & pro domo 37.* (b) *Vid. Juven. III. 171. seqq.* (c) *Virg. Æn. VI. 298. Juven. III. 267.* (d) *Hesych. hac V. Suid. V. Πορθμεῖον.* (e) *Plin. Hist. Nat. XXI. 3.* (f) *Tacit. Hist. I. 47.*

pro *mortuo* ponitur (g)) publicum spectarent (*h*) : & hinc *componere* (quod Græci aliquando στέλλειν, vel συστέλλειν, vel περιστέλλειν dicunt (*i*)) quandoque ἀντὶ τȣ *sepelire* ponitur (*k*) : & etiam Latini *compositum* pro *sepulto* dicunt (*l*). Ante ædes defuncti (ditioris (*m*) certe) statuebatur arbor *Cupressus*, quæ funebris habebatur (*n*) ; & Diti, sive Plutoni sacra erat ; quia semel recisa numquam renascitur (*o*) : licet alii dicant hoc factum esse, ne Pontifex imprudens ædes funestas intraret, atque ita pollueretur (*p*).

§. II. *De ipsis Exequiis.*

Octavo tandem (*q*), ut videtur, die, populus per præconem certa formula (verbi gratia tali, *Exequias L. Titio L. F. quibus ire commodum est, jam tempus est* (*r*) ; *ollus effertur*) ad exequias convocabatur ; ad quas magna frequentia convenire solebant. Itaque magno *concessu* (propriam hanc vocem nota (*s*)) efferebatur cadaver, si divitis alicujus esset, in lecto vel lectica, pretiosis stragulis strata (*t*) ; quæ ferebantur, vel a propinquis (*u*) ; vel, si summi viri fuissent, a viris plane honestissimis ; quemadmodum Augustum a senatoribus (*x*), Julium Cæsarem magistratuum (*y*) humeris elatos fuisse legimus, & *Severi* Imperatoris urnam a Consulibus portatam (*z*) ; pauperiores vero in *Sandapila* a quatuor vespillonibus efferebantur (*a*). At omnium honoratissimum erat funus, quod *Censorium* appellabatur (*b*). Post ultimam conclamationem pompa funebris procedere incipiebat, *designatore* (Belgis, *een bidder*) eam ordinante (*c*), qui tum etiam lictoribus utebatur ; & tibicine (*d*) (qui hac

(g) *Catull. carm. LXVIII. V. 6.* (h) *Virg. Æn. XI. 29. Pers. Sat. III. 103.* (De effigie mortui toro præfixa V. *Lips. ad Tac. Ann. III. 5.*) (i) *Casaub. ad Act. Ver. 6.* (k) *Horat. Serm. I. IX. 28. Ovid. Fast. V. 426.* (l) *Catull. Carm. ad Manl. V. 98.*
(m) *Lucan. III. 442.* (n) *Horat. Epod. X. 18. Serv. ad Æn. VI. 215. Ovid. Met. XV. 141.* (o) *Fest. V. Cupressi.* (p) *Serv. ad Virg. Æn. III. 64.* (q) *Serv. ad Æn. VI.* (r) *Terent. Phorm. V. VIII. 37.* (s) *Cic. pro Flacc. 17. 218.* (t) *Propert. II. XIII. 21.*
(u) *Vid. Plut. Quæst. Rom. p. m. 267. Val. Max. VII. I. 1. Plin. H. N. VII. 44.* (x) *Suet. Aug. 100.* (y) *Id Jul. 84.* (z) *Herodian. IV. I.* (Germanici cineres tribunorum centurionumque humeris portati, *Tac. Ann. III. 2.*) (a) *Martial. VIII. 74.* (& alibi). (b) *Tac. Ann. IV. 15. & ibi Lips.* (c) *Horat. Epist. I. VII. 6.* (d) *Ovid. Fast. VI. 659.*

hac occasione proprio nomine *Siticen* (*e*), Græcis σιμβαύλης, dicebatur) præeunte, qui *Næniam*, sive *cantilenam funebrem* (ἐπιτύμβιον νομον (*f*)) defuncti laudes celebrantem canebat: procerum vero funeribus etiam cornua & tubæ (*g*) sunt adhibita, qua re testabantur (*h*), defunctum neque veneno, neque ferro interiisse. Quia autem defunctus iis laudibus sæpe erat indignus, hinc *næniæ*, sive *mortualia* pro *nugis* ponuntur (*i*). Præficæ, mercede conductæ (*k*), plangendi modum ceteris præibant, & laudes quoque defuncti cantabant (*l*); quibus sæpe sententias, ex celebrioribus poetis petitas, & rei præsenti convenientes miscebant (*m*). (Majoris ætatis funera ad tubam (*) facesque & candelas (**) efferebantur: minoris vero ad tibias & cereos, immixtis tamen facibus. De *lectis* pluribus mortuo nobili sternendis vide, quos citamus, (***) de Proverbio, *licet ad tubicines mittas*, V. Comment. ad Petron. c. 129.)

In pompa funebri ferebantur insignia honorum, quos defunctus gesserat, & quidem inversa, ut etiam hodie fieri solet (*n*) (vel fracta (****)); spolia hostium (*o*), ornamenta triumphalia, dona militaria, & similia (*p*). Tum etiam *Imagines* majorum, & totius gentis in perticis præferebant (*q*); nec facibus parcebatur (*r*). Servi ex testamento defuncti manumissi funus pileati præcedebant (*s*): sequebantur propinqui, filii, si adessent, velatis, filiæ nudis capitibus (*t*), amici, aliique habitu lugentium; scilicet capillo passo, in veste pulla, sive atra (*u*), ornamentis positis, (ut, exempli gratia, equites annulos aureos, & phaleras ponebant (*x*)) quod etiam in luctu publico fieri solebat (*y*): tum etiam,

(*e*) *Gell.* XX. 2. (*f*) *Pollux Onom.* IV. 10. *segm.* 79. (De antiquitate cantus exsequialis v. *Falsteri Amæn.* Philol. T. II. p. 217.) (*g*) *Hor. Serm.* I. 6. 43. (*h*) *Hyg fab.* 274. (*i*) *Plaut. Asin.* IV. I. *vers.* 43. (*k*) *Horat. de arte* 43. (vers. Hor. est 431. Sed nihil probat, quia masc. gen. legitur: *Ut qui conducti plorant in funere.* Nisi sit enallage generis, quod adfirmare non ausim. vid. potius Plaut. Truc. II. VI. 14. & Lucil. S. 22. *F. R.*) (*l*) *Nævius ap. Fest. V. Præfica.* (*m*) Suet. *Jul.* 84.
(*) (Serv. ad Æn. V. 138.) (**) (Lips. Exc. ad Tac Ann. III. 4.) (***)) Cic. de Legg. II, 24. Serv. ad Æn. VI 862. & 875.)
(*n*) *Pedo Alb. de morte Drusi* 141. *Tac. Ann.* II. 1. (Virg. Æn. XI. 93. & ib. Serv.) (****) (Pedo ad Liv. vers. 177.)
(*o*) *Suet. ibid.* (*p*) *Lucan.* VIII. 733. (*q*) *Propert.* II. XIII. 19. (*r*) *Id.* IV. 11. *Ovid. epist Cydipp.* 172. (*s*) *Dion. Hal.* IV. 24. *l. un.* §. 5. *Cod. de Lat. lib. toll* (*t*) *Plut. Quæst. Rom.* 14. 3. p. 267. (*u*) *Vid Propert.* IV. XII. 97. *Juven.* X. 245. (*x*) *Liv.* IX. 45. (& 7.) (*y*) *Luc.* II. 18, 28. *Juven.* III. 212.

etiam, ut hodie, domus luctus tempore claudebantur (z). (In luctu vel moerore vestes etiam scindebant. *Virg. Æn. v.* 685. quod Hebræis perusitatum fuisse S. literæ docent. Tum Coss. mortuo Druso sede vulgari sedebant, *Tacit. Ann. IV.* 8.)

Ita, si illustre funus esset, in forum (*a*) deferebatur (*b*), & a filio, vel propinquo (*c*) aliquo pro rostris oratione funebri laudabatur (*d*): quod vetus Romanorum institutum fuit, non vero, ut quidam voluere, a Græcis inventum (*e*). Quin originem a Poplicola habuisse docet Plutarchus *ejus vita p. m.* 102. quod institutum ad gloriam quidem & virtutem utilissimum fuit (*f*): historia tamen iis laudationibus mendosior facta est (*g*). Inde ad sepulchri, vel rogi locum procedebant; qui post legem duodecim Tabularum semper fuit extra Urbem; cum antea quisque fere domi suæ sepeliretur (*h*), & plerumque quidem juxta vias (*i*): quamquam, privilegio virtutis, vel dignitatis caussa dato (*k*), quidam in Urbe sepulti sint (*l*); ut præter alios etiam Virgines Vestales (*m*).

§. III. *De Sepultura & Combustione.*

Antiquissimis Reipublicæ temporibus Romani utebantur sepultura (*n*); (i. e. *humatione*. v. nos in Synon.) quanquam hoc perpetuum non fuerit, cum jam A. U. 253. cadavera cremata legamus (*o*); nisi hoc forte factum, quod omnes sepeliendi otium tunc non suppeteret: verum etiam leges Decemvirales clare de ustione loquuntur. Et male quidam Sullam primum crematum putant; quod primus ex gente Cornelia crematus fuisse dicatur (*p*). Quicquid ejus rei sit, florente maxime Republica usque ad extrema tempora Antoninorum, cadavera (honestiorum saltem) cremata sunt: at postea rursus ad sepulturam reditum est (*q*). Infantes etiam, inter septimum

(z) *Tacit. Ann. II.* 82. *Juven. XIII.* 129. (Pedo ad Liv. vers. 183.) (a) *Dion. Hal. IV.* 40. (b) *Horat. Serm. I. VI.* 43.
(c) *Suet. Jul.* 6. (d) *Dion. Halic V.* 17. *omn.* (e) *Dion. Halic. d. l. & IX.* 54. (f) *Polyb. VI.* 51. (g) *Liv. VIII. c. ult. Cic. Bruto c.* 17. (h) *Serv. ad Æn. V.* 61. *& VI.* 152. (i) *Juven. I. V. ult.* (k) *Cic. de LL. II. vers. fin.* (l) *Vid. Dion. Hal. V.* 48. *qui paullulum variat. Plut. Poplic. p.* 109. (m) *Serv. ad Virg. XI.* 206. (n) *Plin. H. N. VII.* 54. *Vid. Ziphil. Petr. non longe ab init.* (o) *Dion. Hal. V.* 47. (p) *Cic. de LL. II.* 22. (Similis Servii locus ad Virg. mihi excidit). (q) *Virg. Æn. VI.* 177.

mum mensem mortui, non cremabantur, sed sepeliebantur (*r*). Ita loquor ex usu communi; licet sciam *sepelire* & *sepulchrum* etiam de *combustione* dici (*s*). Ad cadaver cremandum exstruebatur *Pyra* in formam aræ (*t*), vel turris ex lignis, facillime ignem concipientibus (*u*), circumpositis cupressis. Hæc simul cum cadavere imposito liquoribus quibusdam pretiosis conspergebatur (*v*); & a proximis consanguineis averso vultu faces ei subjiciebantur (*vv*): ac vestis pretiosa, ornamenta, arma defuncti, &c. in *Rogum* (qui pro qualitate fortunarum fiebat, Serv. ad IV. Æn. 685.) (ita dicebatur *Pyra jam ardens* (*x*)) conjiciebantur (*y*). Tum propinqui etiam (tus & aromata (*) immo) comas suas detonsas in rogum mittebant (*z*). Dum cadaver cremaretur, sanguis humanus ante rogum effundebatur, quo manes defuncti placari credebant. Ille sanguis olim quidem erat captivorum, vel servorum (*a*); at postea gladiatorum (*b*), qui inde *Bustuarii* sunt dicti: nam Rogus, cum plane jam consumptus esset, *Bustum* dicebatur (*c*); locus ipse vero, ubi cadaver cremabatur dicebatur *Ustrina* (*d*).

Cadavere cremato, favilla, olim quidem vino (*e*), postea vero aqua exstinguebatur; & ossa ac cineres a proximis (*f*) in Urnam legebantur: iisque odores & flores odoratos miscebant (*g*). Poterant autem discerni ossa ex situ & collocatione cadaveris (*h*), quod non ipsi igni impositum, sed æstu potius flammæ circumlambentis in cineres redactum videtur; ita tamen, ut ramusculi cupressorum & particulæ rogi super cadaver conciderent (*i*): quod uncis & hamis, quantum possent, prohibebant. Post hæc præsentes, ut lustrarentur, ter aqua pura a sacerdote conspergebantur (*k*); & jam discessuri extremum *Salve* & *Vale* mortuo inclamabant.

(r) *Plin. H. N. VII.* 29. (citatio falsa). (s) *Terent. Andr. I.* 1. *vers.* 101. *Plin. H. N. VII.* 54. (t) *Virg. d. l.* 214. *seqq.*
(u) *Ib.* 225. (v) *Virg. Æn. V. vers.* 213. *Mart. X.* 97.
(vv) *Id. Æn. XI.* 193. *seqq.* (x) *Serv. ad Virg. Æn. XI.* 185.
(y) *Id. ad Æn. X.* 581. (falsa citatio. Sed vid. Æn. VI. 217. & Serv. ad vers. 233.) (*) (Martial. VI. 15. 22. & X. 26. 6. Virg. Æn. VI. 225.) (z) *Ovid. epist. Canaces V.* 116.
(a) (Virg. & Serv.) *Ibid.* (b) *Horat. Serm. II. III.* 85.
(c) *Fest. hac V.* (d) *Fest. ibid.* (e) *Virg. Æn. VI.* 227.
(f) *Tibul. l. III.* 6. (g) *Id. III. II.* 23. (h) *Vid. Hom. Iliad.* Ψ. *v.* 240. (i) *Vid. Boxhorn. Quæst. Rom.* 25. *Kirchm. de funer. III.* 5. *Voss. de Idol. V.* 43. (k) *Vid. Virg. Æn. V.* 229.

bant (*l*), hac vel simili formula: *Æternum vale; Nos te ordine, quo natura jusserit, cuncti sequemur*. Denique præfica, vel quis alius, novissimo verbo *Ilicet* omnes dimittebat (*m*). Urna inferebatur sepulcro, cui inscribebatur *Titulus* (*n*), & *Votum* (S. T. T. L. i. e.) *Ut terra mortuo levis esset* (*o*), vel, *Ut ossa molliter cubarent* (*p*): vel Græce ita, Κοῦφη γῆ τοῦτον καλύπτοι (*q*); vel denique ut dicit Euripides Alcest. verf. 462.

.... Κοῦφα σοι χθὼν ἐπάνω πέσειε, γύναι (*r*).

Qui omnino etiam videndus est in *Helena*, v. 857. *seqq*. Domum reversi amici, cum cognatis funebri convivio excipiebantur, cum prius balneum ingressi fuissent (*s*), ut se a pollutione funeris purgarent. Et in illustri funere quandoque epulum populo datum fuit (*t*); aut *Visceratio* (*u*), (Græcis κρεανομία (*)) quæ est *crudæ carnis distributio* (*v*): quod epulum proprie *Silicernium* dicebatur; Græce περίδειπνον (*vv*). Nono etiam die, postquam funus elatum esset, celebrabantur sacra quædam *Novendialia* dicta, in Glossariis Græcis ἔννατα ἐπὶ νεκροῦ ἀγόμενα (*x*). Domus denique funesta purgabatur *Denicalibus* (scilicet feriis (*y*)): Græci enim νέκυν *mortuum* dicunt, & *Exveriis* (*z*).

(l) *Id. Æn. XI.* 97. (m) *Id. Æn. VI.* 231. (n) *Propert. IV. XI.* 36. *Vid Martial. VI.* 52. (o) *Tac. Agric. c ult.* (p) *Ovid. Trist. III. III.* 75. *Contra Tib. I IV.* 60. *Virg. Ecl. X.* 33. *Pers. S. I.* 37. *Juven. VII.* 207. (q) *Suid. V.* Κοῦφος: (r) *Vid. Bud. comm. ling. Gr.* 218. (s) *Cic. in Vatin.* 13. *&* *ibi Abram.*
(t) *Suet. Jul.* 26. (u) *Liv. VIII.* 22. (*) (V. Glossar a Labbæi, ubi κρεανομία &c. dicitur; & Casaub. ad Suet. J. C. c. 38.) (v) *Serv. ad Virg. Æn I.* 111. (vv) *Varro ap. Non. p.* 76. *ed. opt. Plant. Serv. ad Æn. V.* 89. *Suid. hac V.* (x) *Vid. Poll. On. VIII.* 14. *&* *ibi not. Serv. ad Æn. V* 63. (y) *Fest. hac V. Cic. de leg II.* 22. (z) *Fest. V. Everriator.*

F I N I S.

Τῷ δὲ Βασιλεῖ τῶν αἰώνων, ἀφθάρτῳ, ἀοράτῳ, μόνῳ σοφῷ Θεῷ τιμὴ καὶ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν. 1. Timoth. 1. verf. 17.

APPENDIX I.

DE

NOTIS ROMANORUM,

Sive SIGLIS maxime memorabilibus.

A

A *Notat* Abrogo. Absolvo. Anno. Annis. Ante. Apud. Augustus. Augusta. Augustalis. Aulus.
AA. Augusta. Augusti *duo*.] & *similia similiter*.
AAA. Augusti *tres*.]
A. A. A. F. F. Auro Argento Aere Flando Feriundo.
AA. COSS. Augustis *duobus* Consulibus.
A. A. V. S. E. V. Alter AmboVe Si Eis Videbitur.
A. A. V. S. L. M. Apud Agrum Vivens Sibi Locum Monumenti, *vel* Legavit Monumentum.
AA. VV. CC. CONSS. Augustis *duobus* Viris Clarissimis Consulibus.
AB. IN. E. L. F. E. Abdicavit. In Ejus Locum Factus Est.
A. B. M. Amico [Amicæ] Bene Merenti.
ABN. Abnepos.
ABS. Absolutus.
AB. V. C. Ab Urbe Condita.
A. D. Ante Diem.
AD. FRV. EMV. Ad Fruges Emundas.
AED. CVR. Ædilis Curulis.
AEL. Ælius. Ælia.
AEM. Æmilia *tribu*. V. pag. 7.
AER. Ærarium, &c.
AET. AVG. Æternitas Augusti.
A. F. A. N. Auli Filius Auli Nepos. *Similia similiter*.
A. FR. A Fronte.
AFR. Africa. Africanus.
AG. Agrippa. Agro., &c.
AGON. Agonalia.
A. H. D. M. Amico [Amicus] Hoc Dedit [Dedicavit] Monumentum.
A. K. Ante Kalendas.
A. L. Auli [Augusti]. Libertus [Liberta].
A. L. A. Amico [Aram] Libens Animo.
A. L. F. [P.]. Amico Libens Fecit [Posuit].
A. L. V. S. Animo Lubens Votum Solvit.
A. M. P. Amico Monumentum Posuit.
AN. A. V. C. Anno Ab Urbe Condita.
AN. C. H. S. E. Annorum Centum Hic Situs [Sita] Est.
ANN. Annonæ.
AN. P. M. L. Annorum Plus Minus Quinquaginta.
AN. V. P. M. II. Annis Vixit Plus Minus Duobus.
A. O. Amico Optimo. Alii Omnes.
AP. Appius. Appia *tribu*.
AP. CONS. Apollini Conservatori.

A. P. F. Auro [Argento] Publico Feriundo.
A. P. R V. F. Ad Populum Plebem Ve Ferant.
A. P. R. C. Anno Post Romam Conditam.
AQ. Aquilifer.
AR. DD. Aram Dedicavit.
ARG. P. X. Argenti Pondo Decem.
ARM. Armeniacus. Armilustria.
ARN. Arniensi *tribu*.
AR. VV. D. D. Aram Votivam Dono dedit.
A. S. L. Animo Solvit Libens.
A. S. L. F. Amico suo Libens Fecit.
A. T. A Tergo.
A. V. C. Ab Urbe Condita. [Anno Urbis Conditæ].
AVG. Augur. Augusta. Augustalis. Augustus.
AVG. LIB. Augusti Liberalitas [Libertus]. [Augustæ Liberta].
A. V. L. Animo Vovit Libens. Annos Vixit Quinquaginta.
AVR. Aurelia. Aurelius. Aurum.

B

B Balbus. Beatus. Bene. Bonus.
B. B9. bus *terminatio*, ut OMNIB9, *pro* Omnibus.
B. A. Bonis Avibus [Auguriis. Auspiciis].
BASC. Basilica.
B. D. S. M. Bene De Se Merito. [Meritæ. Merenti].
B. E. Bona Ejus.
B. F, [BF.] Beneficiarius. Benefecit. Beneficium. Bona Fide [Fortuna]. Bonum Factum.
B. F. P. Bonæ Fidei Possessor.
B. H. M. Bene Hic Maneat.
B. M. Beatæ [Bonæ] Memoriæ. Bene Maneat [Merenti]. Bonis Manibus.
B. M. H. E. Bene Merenti Hoc Erexit, &c.
B. M. M. P. Bene Merenti Monumentum Posuit.
B. M. P. [S.] C. Bene Merenti Poni [Sepulcrum] Curavit [Condidit].
B. O. Bene Optime. Bono Omine. Bona Omnia.
B. P. Bono Publico. Bonorum Possessor.
B. P. D. Bono Publico Datum [Dedit].
B. Q. [RE.]. Bene Quiescat. [Requiescat].
B. R. [RP.] N. Bono Rei Publicæ Natus.
B. S. Bona Sua, &c.
B. V. Bene Vale. [Valeat. Vixit].
B. V. A. Bene Vixit Annis. Boni Viri Arbitratu. NB. B. in sequioribus potissimum monumentis pro V. occurrit, ut BIAR, BIX. pro *Viarum*, *Vixit*.

C

C Cajus. Caja. Caussa. Censor. Centum. Centuria. Civitate. Clarissimus. Cohors. Collegium. Colonia. Comitialis *dies*. Condemno. Conjux. Consul. Cornelius. Cum. Curavit.
Ɔ Caja. Centuria. &c.
9 Con *principio vocis*. Contra.
CA. Camillus. Cato. Caussa.

C. A.

C. A. Cæsar Augustus. Cæsarea Augusta.
CAES. AVG. PON. MAX. COS. V. DICT. PERP. Cæsar Augur Pontifex Maximus Consul Quintum Dictator Perpetuus.
CAR. Carissimus. Carissima. Carmentalia.
C. B. M. F. Conjugi Bene Merenti Fecit.
C. C. Cajis *duobus*. Caussa Cognita. Conjugi Carissimo, mæ.
C. C. C. Censa Civium Capita. [Calumniæ Cavendæ Caussa].
C. C. Ↄ L. L. Cajorum *duorum*. Con Liberti.
C. C. S. Curavit Cum Suis. Curaverunt Communi Sumtu.
C. D. Cajus Drusus. Collegium Decurionum. Communi Dividundo.
C. E. Curavit Erigi.
C. E. C. Coloni Ejus Coloniæ.
CEN. Censor. Centum. Centuria. Centurio.
CEN. P. Censor Perpetuus [Primus].
CER. Cerealia.
C. F. Caji Filius [Filia]. Carissimus Filius. Clarissima Femina. Conjux [Conjugi] Fecit. Curavit Fieri.
C. F. C. Clavi Figendi Caussa.
C. F. M. Curavit Fieri Monumentum.
C. H. Curavit Heres.
C. H. M. Consecravit Hoc Monumentum. Curavit Hanc Memoriam.
CHO. Cohors.
C. I. C. Cajus Julius Cæsar.
CL. Claudius. Claudia *tribu*. Clarissimus. Colonia.
CL. V. Clarissimo Viro.
C. M. Cæsar Maximus. Cajus Marius. Caussa Mortis. Curavit Monumentum. Conjux Marito.
C. M. D. Conjux Marito [Conjugi Maritus] Dedit.
C. M. F. Conjux Marito [Conjugi Maritus] Fecit. Curavit Monumentum Fieri. Clarissimæ Memoriæ Femina.
C. M. S. Condidit Monumentum Sibi.
C. M. T. Curavit Monumentum Testamento.
C. M. V. Clarissimæ Memoriæ Viro. Curavit Monumentum Vivens.
C. MVN. Curator Municipii.
CN. Cnæus. Cnaea.
C. O. Civitas Omnis. Conjugi Optimo, mæ.
CO. Conjux. Conjugi.
COACT. A. CONL. ABD. I. F. L. F. E. Coactus A Conlega Abdicavit In Ejus Locum Factus Est.
COER. Coeravit. i. e. *Curavit*. Coeravere.
COH. Coheres. Cohors.
COH. I. PR. P. V. Cohors Prima Prætoria Pia Victrix.
COL. Collega. Collegium. Coloni. Colonia. Collocatum.
COL. AA. PATR. Colonia Augusta Patrensis.
COL. DED. Colonia Deducta. Colonis Dedit.
CO. M. Communi Matri.
COM. AS. ROM. ET. AVG. Commune Asiæ Romæ Et Augusto.
COM. HAB. C. Comitiorum Habendorum Caussa.
COMM. Commilitones. Commodus, &c.
COMM. CONS. Communi Consensu.

COMP. Compari. Compitalia.
[COM. R. P. Comes Rerum Privatarum.
COM. S. L. Comes Sacrarum Largitionum].
CON. Congiarium. Conjux. Conlega. Conful. Confularis.
CONCORD. EXERC. Concordia Exercituum.
CONLAC. F. Con Lacrymis Fecit, i.e. *Cum Lacr.* [*Ego lego*, Conlacrumantes Fecerunt].
CON. P. S. Confularis Provinciæ Siciliæ.
CONS. Confiliarius. Confualia. Conful. Confularis. Confulatu.
CONSEN. Confentibus *Diis*.
CON. SEN. ET. EQ. OR. P. Q. R. Confenfu Senatus Et Equeftris Ordinis PopuliQue Romani.
CON. SOL. D. Condendo Solum Dedit.
CONS. S. Confervatori Suo.
C. O. P. Comites Ordinis Primi.
COR. Cohors. Cornelius. Cornelia *tribu*. Corona. Corvinus.
COR. VAL. II. Coronis Vallaribus Duabus.
COS. Conful. Confules. Confularis.
COS. DES. S. D. Confuli Defignato Salutem Dicit.
COS. ORD. Conful Ordinarius.
COSS. PRÆT. TRIBB. PL. S. P. PL. Q. R. Confulibus Prætoribus Tribunis Plebis Senatui Populo PlebiQue Romanæ.
COS. VIR. Confularis Vir.
COS. V. P. P. Conful Quintum Pater Patriæ.
C. P. Cinerarium Pofuit. Curavit Ponendum.
C. P. S. Curavit Poni Sibi.
C. P. S. E. Curavit Pecunia Sua [Proprio Sumptu] Erigi.
C. P. T. Curavit Poni Titulum.
C. Q. S. S. E. Cauffa Quæ Supra Scripta eft.
C. R. Civis Romanus. Cives Romani. Curavit Refici.
CR. Creticus. Crifpus.
CRAS. Craffus.
C. R. C. Cujus Rei Cauffa.
CRUST. ET. SPORT. N. S. X. N. Cruftulum Et Sportulas Nomine Suo Decem Nummos.
C. S. Communi fumptu. Confulum Sententia. Cum Suis. Curavit Sibi. Conjugi Suo. [Suæ].
CS. Cæfar. Confiliarius. Conful.
C. S. C. P. T. M. Cum fuis Curavit Poni Titulum Monumenti.
C. S. F. Communi Sumptu Factum, Curavit Sibi Faciendum. Cum Suis Fecit.
C. S. H. Communi Sumptu Heredum. Cum Suis Heredibus.
C. S. H. S. S. S. V. T. L. Communi Sepulcro Hic Siti Sunt. Sit Vobis Terra Levis.
C. S. H. S. T. T. L. Communi Sumptu Heredum. Sit Tibi Terra Levis.
C. S. S. Cum Suis Servis. Curavit Sibi Sepulcrum. Curavit Sibi Suis.
C. V. Centum Vir. Centum Viri. Clariffimus Vir. Conful quintum.
C. V. I. CELSA. Colonia Victrix Julia Celfa,
CU. MA. F. An. XV. Cum Marito Fuit Annos quindecim.
C. V. M. P. Contra Votum Memoriam Pofuit. Curavit Vivens Monumentum Poni.

C. V. P. V. D. D. Clarissimus Vir Præfectus Urbi De Dicavit (Dono Dedit). Communi Voluntate Publice Votum Dederunt.
CUR. Cura. Curator. Curavit. Curia. Curio. Curulis.
CUR. AED. SAC. Curatori Ædium Sacrarum.
CUR. ANN. Curatori Annonæ.
CURAT. OP. PUB. Curatori Operum Publicorum.
CUR. D. S. Curavit De Suo.
CUR. ET. SUB. ASC. DED. Curavit Et Sub Ascia Dedicavit.
CUR. II. FRUM. COMP. Curator Iterum Frumenta Comparandi.
CUR. P. P. Curator Pecuniæ Publicæ.
CUR. RP. Curator Rei Publicæ.
CUR. SAC. PUB. P. R. Curator Sacrorum Publicorum Populi Romani.

D

D Data. Decimus. Decius. Decurio. Dedicavit. Dedit. Depositus. Devotus. Deus. Dictator. Dies. Diis. Divus. Donavit. Dominus. Domo.
D. A. C. Divus Augustus Cæsar.
DAC. Dacia. Dacius.
D. AS. Divo Augusto Sacrum.
DAT. ET. PP. Data Et Proposita.
DAT. POP. Datum Populo.
D. B. I. Diis Bene Juvantibus.
D. B. M. Dedit Bene Merenti.
D. B. S. F. De Bonis Suis Fecit.
D. C. Divus Cæsar. Decurio Coloniæ. Decurionum Collegium.
D. C. A. Divus Cæsar Augustus.
D. C. ND. L. De Caussa NonDum Liquet.
D. CP. Datum Constantinopoli.
D. C. S. De Consilii Sententia.
D. D. Decurionum Decreto. Dedicavit. DeDicatum. Dedit Donavit. Dedit DeDicavit. Dono Dedit. Deo Domestico. Dis Deabus. Diis Dantibus. Dotis Dictio.
DD. Dederunt. DeDicavit. DeDicaverunt. Dies.
D. DD. Dono Dederunt, &c.
D. D. D. Datum Decreto Decurionum, &c. Dono Dedit Dedicavit.
D. D. D. D. Dignum Deo Donum Dicavit. Dono Datum Decreto Decurionum.
DDD. NNN. FFF. Domini Nostri Felices *tres*.
D. D. D. S. Dono Dedit De Suo.
D. D. L. Dono Dedit Lugens. (Libens).
D. D. L. M. Dono Dedit Libens Merito (Libero Munere).
D. D. M. Dedicatum Dis Manibus. Dono Dedit Monumentum.
DD. NN. AUGG. Dominorum Nostrorum Augustorum.
D. D. O. P. Dis Deabus Omnibus Posuit.
D. D. Q. Dedit DonavitQue, &c. Dis DeabusQue.
D. D. S. Dis Deabus Sacrum.
DE. Decius. Defunctus.
DEC. Decessit. Decius. Decurio.

DEC. DEC. MUN. MAL. Decreto Decurionum Municipii Malacitani.
DEC. HS. XII. N. Decurionibus Sestertios Duodecim Numero.
DEC. * XIII. AUG. XII. POP. XI. Decurionibus Denarios Tredecim. Augustalibus Duodecim. Populo Undecim.
DED. Dadicavit, &c.
D. F. HS. C. Det Fisco Sestertios Centum.
DEN. Denatus.
DEP. EST. IN. PA. Depositus Est In Pace.
DE. P. S. P. De Pecunia Sua Posuit.
D. E. R. I. S. C. De Ea Re Ita Senatus Censuit.
DESS. Designati.
DE. VIC. S. PORTIC. F. COIR. De Vicanorum Sententia Porticum Fieri Coiraverunt.
D. F. Decimi [Divi] Filius [Filia]. [Det Fisco.]
D. F. D. I. P. Decurionum Fide Dividenda In Publicum. [*Posse etiam exponi*. Inter Plebem.]
D. G. Dedit [Donavit] Gratis. [*Quidni* Gratus?]
D. H. Donavit Heredibus. Dono Habuit.
D. I. Dari Jussit. Diis Immortalibus. Dis Inferis.
DIAL. Dialis *Flamen*.
DIC. Dictator.
DIC. SEDIT. SEDAN. ET. R. G. C. Dictator Seditionis Sedandæ Et Rei Gerundæ Caussa.
DIG. M. Dignum Memoria. Digna Mulier.
DIL. S. Dilectissimus Servus.
D. I. M. Deæ Isidi Magnæ. Deo Invicto Mithræ. Dis Inferis Manibus [Malis.]
D. IMM. S.] Diis Immortalibus Sacrum.
D. I. S.] Dis Inferis Sacrum.
DIS. D. Q. Dis DeabusQue.
DISP. ET. TABUL. Dispensator Et Tabularius.
D. L. Dedit Libens [Locum. Lugens]. Donavit Locum. Decimi Libertus.
D. L. A. P. Donum Libens Animo Posuit.
D. L. D. L. D. D. D. Dono Libens Dedit. Locus Datus Decreto Decurionum.
D. L. D. P. Dis Locum Dedit Publice.
D. L. M. Datus Locus Monumenti. Dedit Libens Merito.
D. L. S. Dedit Locum Sepulturæ. Dis Laribus Sacrum.
D. M. Deæ [Deum] Matris. Dedit Mœrens. [Monumentum]. Dis Manibus. Divæ Memoriæ. Divino Monitu. Dolus Malus, &c. Domus Mortui. Dicatum Memoriæ.]
D. M. A. Dolus Malus Abesto.
D. M. AE. Deo Magno Æterno.
D. M. E. M. AE. Deo Magno [Dis Manibus] Et Memoriæ Æternæ.
D. M. F. V. C. Doli Mali Fraudis Ve Caussa.
D. M. L. Datus [Dicatus] Memoriæ Locus. Dedit Merito Libens.
D. M. M. I. Deæ Magnæ Matri Isidi, [Idææ].
D. O. M. Deo Optimo Maximo.
D. M. F. Dis Manibus [Defunctæ Monumentum] Posuit.
D. M. V. F. Dis Manibus Votum [Vivens. Universis [Fecit.
D. N. Dominus Noster.

DNA.

DNA. Domina.
D. N. M. Q. E. Devotus Numini Majestati Que Ejus.
D. O. M. S. Deo Optimo Maximo [Diis Omnibus Manibus]. Sacrum.
DON. DON. Donis Donatus.
D. P. Dedit Publice. De Pecunia. Diis Patriis [Penatibus]. Divus Pius. Donum Posuit.
D. PEC. R. De Pecuniis Repetundis.
D. P. M. V. Dies Plus Minus Quinque.
D. PP. Data Proposita. Data Publicata. Dis Perpetuis.
D. P. P. De Pecunia Publica [Propria].
D. P. S. De Pecunia Sua. Dedit Proprio Sumptu. Dis Penatibus [Perpetuis] Sacrum.
D. P. S. D. L. D. P. De Pecunia Sua Dedicavit. Locus Datus Publice.
D. Q. S. De Quo Supra. Dies Qui Supra.
DR. Drusus.
D. S. Data Subscripta. Deo Sancto. Deo Sacrum. De Suo.
D. S. B. H. S. S. De Suis Bonis Hoc Sibi Sumserunt [Suis].
D. S. D. D. De Suo Donum Dedit, &c.
D. S. I. M. Deo Soli Invicto Mithræ.
D. S. I. P. C. De Sua Impensa Poni Curavit.
D. S. P. Deo Sacrum Posuit. De Sua Pecunia. De Suo Posuit.
D. S. P. P. De Sua Pecunia Posuit. De Suo Posuere.
D. S. S. De Suo Sibi. De Senatus Sententia. De Suo Sumtu.
D. S. V. S. L. L. M. De Suo Votum Solvit Lubentissime Merito.
D. T. Dedit Testamento [Titulum. Tumulum]. Dum Taxat.
D. V. Dedit Vivens. Devota Vestæ. Devotus Vester [Vir]. Dies Quintus. Dis Volentibus. Donec Vixit.
DVL. Dulcis, Dulcissimus, &c.
D. V. S. Dedit Vivens Sibi. Dis Universis Sacrum.
DVVMV. Duum Vir. Duum Viratus.

E

E Ejus. Ei. Eorum. Eis. Erexit, &c. Est. Ergo.
E. E. B. Ejus Bona.
E. C. Ejus Caussa. Erigi Curavit.
ED. Edicto.
E. D. Ejus Domus. [Dominus].
EDV. P. D. Edulium Populo Dedit.
EE. Esse.
EE. N. P. Esse Non potest.
E. F. Egregia Femina. Erigi Fecit. Ejus Filius.
EG. Egit. Egregius, &c.
EG. S. B. M. F. Erga Se Bene Merenti Fecit.
E. H. Ejus Heres.
E. H. E. Ex Heres Esto.
E. H. L. N. R. Ejus Hac Lege Nihil Rogatur.
E. H. T. N. N. S. Extraneus Heredem Tumulum Nunc Non Sequitur. Exterum Heredem Titulus Noster Non Sequitur.
EID. MART. Eidius Martias.
E. I. M. C. V. Ex Jure Manu Consertum Vocavit.
E. L. Ea Lege. Ejus Locus. Edita Lex.

E. M. Ejus Mater. Egregiæ Memoriæ (Mulieri), Erexit Monumentum.
EM. Emeritus. Emit.
EMP. Emptor. Empta.

EM. VR. Eminenti Viro.
EN. Endotercisus *h. e. Intercisus dies*. Enim.
EOR. Eorum.
EP. Epistola. Epitaphium.
EP. M. Epistolam Misit.
EPUL. INDICT. Epulum Indictum.
EQ. Eques. Equiria.
EQ. M. Equitum Magister.
EQ. M. P. Equum Meruit Publicum.
EQ. O. Equester Ordo &c.
EQ. P. Equus Publicus &c.
EQ. R. E. P. Eques Romanus Equo Publico.
EQ. SING. Eques Singularis.
ER. Erit. Erogator.
E. R. A. Ea Res Agitur.
E. S. ET. LIB. M. E. Et Sibi Et Libertis Monumentum Erexit.
E. S. S. P. Q. R. Ex Sententia Senatus Populique Romani.
ESQ. Esquilina *tribu*.
E. T. F. I. S. Ex Testamento Fieri Jussit Sibi.
ET. L. L. P. Q. E. Et Libertis Libertabus Posterisque Eorum.
ET. S. A. D. Et Sub Ascia Dedicavit.
ET. S. ET. S. LIB. L. P. Q. E. Et Sibi Et Suis Libertis Libertabus Posterisque Eorum.
E. V. Egregius Vir, &c. (Ex Voto).
E. V. L. S. Ejus Votum Libenter Solverunt. Ei Votum Libens Solvit.
EVOC. Evocatus.
EXACT. TRIB. CIVIT. GALL. Exactor Tributorum Civitatum Galliæ.
EX. A. D. C. A. Ex Auctoritate Divi Cæsaris Augusti.
EX. A. D. K. Ex Ante Diem Kalendas.
EX. A. P. Ex Argento Publico.
EX. C. C. Ex Civitatis (Coloniarum, Communi) Consensu.
EX. D. Ex Decreto (Decuria, Domo, Dono).
EX. E. Exheres Esto.
EX. EA. P. Q. I. S. AD. AER. D. E. Ex Ea Pecunia Quæ Jussu Senatus ad Aerarium Delata est.
EX. GER. I. Ex Germania Inferiori.
EX. H. L. N. R. Ex Hac Lege Nihil Rogatur.
EX. I. Q. Ex Jure Quiritium.
EX. M. D. Ex Monitu Dedit.
EX. NUM. FRUM. LEG. Ex Numero Frumentariorum Legionis.
EX. ORD. ARUS. Ex Ordine Aruspicum.
EX. PR. Ex Prætorio. — Prætoria *Nave*.
EXQ. Exquilina *tribu*.
EX. R. Exactis Regibus.
EX. S. C. P. Ex Senatus Consulto Posuit. Ex suo Curavit Ponendum.

EX.

EX. S. D. Ex Senatus Decreto. Ex Suo Dedit.
EX. T. F. I. Ex Testamento Fieri Jussit.
EX. V. Ex quinta. Ex Visu. Ex Voto.
EX. V. S. P. Ex Voto Sacrum (Suo, Suscepto) Posuit.

F

F Faciundum. Factum. Fecit. Fieri. Familia. Fastus *dies*. Felix. Feliciter. Femina. Fides. Filius. Filia. Frater. Fronte. Fuit.
FAB. Fabius. Fabia *tribu*. Fabrum.
FAL. Falerina *tribu*.
FAM. Familia. Familiaris.
F. C. Faciundum Curavit. Fidei Commissum. Fiduciæ Caussa. Fraude Creditoris. Filio Carissimo, *vel* Filiæ. Fecit Conjux.
F. D. Fides Data &c. Factum Dedicavit. Flamen Dialis.
F. E. Factum Est. Fecit Erigi. Fides (Filius) Ejus.
F. E. D. Factum Esse Dicitur.
FEL. P. R. Felicitas Populi Romani.
FER. Feralia.
FER. LAT. C. Feriarum Latinarum Caussa.
FER. NEP. Feriæ Neptuni.
F. E. S. Fecit Et Sacravit. Fecit Et Suis.
F. F.) Fabrefactum. Fabricaverunt. Fecerunt. Fieri Fecit.
FF.) Filii. Filius Familias. Fratres. Flando (Feriundo.
F. F. F. Ferro Flamma Fame. Flavii Filius Fecit (Fuit). (Flando. Faciendo. Feriundo).
F. FL. Fratris Filius.
FF. PP. FF. Fortissimi, Piissimi. Felicissimi.
F. F. Q. Filiis FiliabusQue.
F. H. Fecerunt Hoc. Fecit Heres &c. Filius Heres. Femina Honesta.
F. HC. Familiæ Herciscundæ.
F. I. Fide Jussor. Fieri Jussit.
F. I. A. P. Felix Julia Augusta Pia.
FI. B. Fide Bona.
FID. M. Fides Militum.
F. L. Favete Linguis. Fecit Locum. Feminæ Lectissimæ.
FL. Filius. Filia. Flamen. Flaminica. Flaminius. Flavia *tribu*. Flavius.

FLCA. Falcidia *lex*.
FLO. Floralia.
F. M. Fati Munus. Fecit Monumentum (Memoriam. Mœrens. Merenti). Fieri Mandavit.
F. MART. CAR. MONET. Feriæ Martis Carnæ Monetæ.
F. M. I. Fati Munus Implevit. Fieri Monumentum Jussit.
F. N. C. Fidei Nostræ Commisit.
F. O. Fratri Optimo.
FONT. Fontinalia.
FOR. Forum. Fortuna. Fortis.
FOR. RE. EX. S. C. Fortunæ Reduci Ex SenatusConsulto.
F. P. Fastus Primo. Fecit Patri (Publice). Filius Patri. Filio Pater (Posuit). Fas Prætori. Feriæ Publicæ.

F. R. Finium Regundorum, &c.
FR. Forum. Frater. Fronte. Frumentarius.
FR. D. Frumenti Dandi.
FS. Familias. Fratres Filiis.
F. T. C. Fieri Teſtamento [Titulum] Curavit.
F. V. C. Fidei Veſtræ Commiſſum. Fieri Vivens Curavit. Fraudis Ve Cauſſa.
F. V. S. L. M. Fecit Vivens Sibi Locum Monumenti. Fecit Voto Suſcepto Libens Merito.

G

G Gajus. Gaudium. Genius. Gens. Genus, &c. Geſta. Gratia.
GAL. Galeria *tribu*. Galerius. Gallus.
G. B. D. M. P. Genio Bono Dicavit Monumentum Publice.
G. D. Germanicus Dacicus. Gratis Dedit.
GEM. Gemina *legio*. Gemellus.
GER. Germanicus.
GG. Gemina *legio*. Geſſerunt.
G. L. Genio Loci. Gaji Libertus, &c.
GL. E. R. Gloria Exercitus Romani.
GL. P. Gloria Parentum [Populi. Patriæ].
G. M. Genio Malo.
GN. Gens. Genius. Genere. Gnæus.
GN. N. T. M. D. D. Genio Numini Tutelari Monumentum [Merito] De Dicatum.
G. P. Galliæ Procurator. Genio Poſuit [Parentum].
GR. Gerit. Grex. Gratis.
GRAC. Gracchus.
GR. D. Gratis Dedit.
G. S. Genio Sacrum.
G. V. Genio Urbis. Gnæus Valerius. Gravitas Veſtra.
G. V. S. Genio Urbis Sacrum. Gratis [Gratus] Votum Solvit.

H

H Habet. Heres, &c. Hic. Hoc. Honeſtus. Honor. Hora, &c.
H. A. C. Heres Amico Curavit.
H. A. E. C. Hanc Ædem Ei Condidit. Hanc Aram Eligi Curavit.
H. A. I. R. Honore Accepto Impendium Remiſit.
H. B. Heres Bonorum. Hora Bona.
H. B. V. P. Heres Bonorum Ve Poſſeſſor.
H. C. CV. Hic Condi Curavit.
HC. L. S. P. S. Hunc Locum Sepulturæ Poſuit Sibi.
H. D. D. Heredes Dono Dedere. Honori Domus Divinæ.
HER. S. Herculi Sacrum.
H. E. S. Hic Eſt Situs [Sepultus].
H. ET. L. Heredes Et Liberti.
H. F. Heres Fecit. Hic Fundavit. Honeſta Femina.
H. H. Heredes. Homo Honeſtus. [Hiſpaniarum].
H. H. M. S. Heredes Hoc Monumentum Sequitur.
H. I. Hic Jacet.
HILAR. TEMP. Hilaritas Temporum.
H. K. N. Have Kariſſime Nobis.

H. L.

H. L. Hac Lege. Hic Locus, &c. Hoc Legavit. Honesto Loco.
H. L. D. Heres Libens [Hoc Libens. Hunc Locum] Dedit.
H. L. H. N. S. Hic Locus Heredes Non Sequitur.
H. L. N. Honesto Loco Natus.
H. L. R. Hac Lege Rogatum.
G. M. Hoc Mandavit. Hoc Monumentum. Honesta Mulier. [Hanc Memoriam]. Honesta Missione. Hora Mortis.
H. M. AD. H. N. T. Hoc Monumentum Ad Heredes Non Transit.
H. M. D. M. A. Huic Monumento Dolus Malus Abesto.
H. M. E. H. N. S. Hoc Monumentum Exterum Heredem Non Sequitur.
H. M. E. N. R. Hoc Monumentum Exterum Non Recipit.
H. M. G. N. S. Hoc Monumentum Gentiles Non Sequitur.
H. M. IN. F. P. X. IN. A. P. X. Hoc Monumentum In Fronte Pedes Decem. In Agro Pedes Decem. [*Vid. Schol.* ad Horat. *Serm. I. Sat. VIII.*]
H. M. S. M. Hoc Monumentum [Hanc Memoriam] Sibi Mandavit.
H. M. S. S. E. H. N. S. Hoc Monumentum Sive Sepulcrum Exteros Heredes Non Sequitur.
H. N. D. M. A. Heredi Non Datur Monumenti Actio.
H. O. Hostem Occidit. Hoste Occiso.
HO. Homo. Honestus. Honor. Hora.
HOR. Hora. &c. Horatia *tribu*.
HOS. Hospes. Hostis.
H. O. S. Hic Ossa Sita.
[H. O. S. E. H. N. S. Hæc Ollarum Schola [Series] Exterum Heredem Non Sequitur.]
H. P. Hasta Pura. Hic Positus. Hic Posuit. Hora Pessima.
H. R. Hic Requiescit. Honesta Ratio.
H. R. E. I. Q. M. E. A. Hanc Rem Ex Jure Quiritum Meam Esse Ajo.
[H. R. I. P. Hic Requiescat in Pace].
H. R. I. R. Honore Recepto Impensam Remisit.
H. S. Herculi Sacrum. Heredem Solvi. Hic Situs &c. Hoc Sepulcrum. Hora Secunda. [Hoc Solus].

H. S. *Sive* HS. Sestertius. Sestertium.
H. S. E. T. F. I. H. F. C. Hic Situs Est. Testamento Fieri Jussit. Heredes Faciundum Curaverunt.
H. S. F. H. T. F. Hoc Sibi Fecit. Heredes Titulum Fecerunt.
H. S. H. N. S. Hoc Sepulcrum Heredes Non Sequitur.
H. S. S. Hic Siti [Sepulti] Sunt.
H. S. T. N. E. Huic Sepulcro Titulus Non Est.
H. S. V. F. M. Hoc Sibi Vivens Fieri Mandavit.
H. T. V. P. Hunc Titulum Vivus Posuit.
H. V. Hispaniæ Utriusque. Honestus Vir. Honore Usus. Horis quinque. Hoc Volens. Hoc Vivus. Hoc Votum.

I

I Immortalis. Imperator. In. Inferis. Inter. Invicto. Jovi. Iterum. Julius. Jussit. *Semel*. *Unum*. *Assis nota*.
Jan. Januarius.

JAN. CLV. Janus Clusus. Janum Clusit.
IA. T. C. Intra Tempus Constitutum.
I. B. In Brevi.
I. C. Intra Circulum. Julius Cæsar. Juris Consultus.
J. C. E. V. Justa Caussa Esse Videtur.
I. D. Inferis Diis. Jovi Dedicatum. Isidi Deæ. Juri Dicundo, &c. Juris Dictio.
ID. Idus, &c.
I. D. P. Idemque Probavit. Juri Dicundo Præest, &c.
I. D. T. S. P. In Diem Tertium Sive Perendinum.
I. E. Id Est. In Edictis. Judex Esto.
I. F. In Foro. In Fronte. Inter Fuit. Jussu Fecit.
I. F. P. R. E. A. D. P. In Foro Pro Rostris Et Ante Diem Pridie.
I. H. Jacet Hic. Justus Homo.
I. H. D. D. In Honorem Domus Divinæ (Deorum Dearum).
II. *Iterum. Secundum. Duo.*
II. VIR. I. D. QQ. Duum Vir Juri Dicundo Quin-Quennalis.
I. L. Illius Libertus. (Liberta). In Loco. Intra Limitem. Jure Legis. Justa Lex.
I. L. D. In Loco Divino. Ipse (Illi) Libens Dedit, &c.
I. L. P. (R. *vel* S.) In Loco Publico (Religioso. Sacro).
IMM. II. HON. IIII. Immunis Iterum Honoratus Quartum.
IMP. Imperator. Imperatrix. Imperio.
IMP. RECEPT. Imperio (*Nonne præstat*, Imperatore?) Recepto.
IN. MAG. M. E. IN. E. L. F. E. In Magistratu Mortuus est. In Ejus Locum Factus Est.
INF. AER. PP. R. H. S. M. N. Inferat Ærario Populi Romani Sestertios Mille Nummos.
IN. M. (PR.) O. E. In Magistratu (Prælio) Occisus Est.
IN. R. P. S. FUNC. In Re Publica Sua Functus.
INTEG. FAM. Integræ Famæ.
I. O. M. C. Jovi Optimo Maximo Conservatori.
I. O. M. S. P. Q. R. V. S. PR. S. IMP. CAES. QUOD. PER. EU. R. P. IN. AMP. ATQ. TRAN. S. E. Jovi Optimo Maximo Senatus PopulusQue Romanus Votis Susceptis Pro Salute Imperatoris Cæsaris Quod Per Eum Respublica In Ampliore Atque Tranquilliore Statu Est.
I. P. In Pace. In Possessione. Indulgentiss. Patrono. Justus Possessor. Jussit Poni.
I. Q. Jure Quiritum.
I. Q. P. IdemQue Probavit.
I. R. Jovi Regi. Junoni Reginæ. Jure Romano (Rogavit).
I. S. In Senatu. In Suis. (In Suos). Jovi Sacrum. Judicatum Solvi. Judicium Solvit. Judicio Senatus.
I. S. C. In SenatusConsulto. Judex Sacrarum Cognitionum.
I. S. L. M. Ipse Solvit Lubens Merito.
I. S. M. R. Juno Sospita Magna Regina.
I. SN. R. In Senatu Romano.
I. S. S. Inferius Scripta Sunt.
I. S. V. P. Ipsi Sibi (Impensa Sua) Vivi Posuere.
I. T. C. Intra Tempus Constitutum.
IVD. Judex. Judicium.

IVD. CAP. Judæa Capta.
I. V. E. E. RP. F. S. V. C. Ita Ut Eis E Republica Fideve Sua Videbatur Censuere.
IVG. Jugali.
IVL. Julius. Julia.
JVRD. Juridicus. Jurisdictio.

K

K Kaeso. Kaja. Kalendæ. Kalumnia. Kaput. Kariſſimus, &c. Kardo. Karthago.
K. C. Kalumniæ Cauſſa. Kapite Cæſus (Cenſus). Karthago Civitas.
K. D. Kalendæ Decembres. Kapite Deminutus.
K. F. Kal. Febr. Kardo Finalis. Karis. Fil.
K. L. V. Kaput Legis Quintum.
K. N. Kaeſonis Nepos. Kal. Novembr. Kariſſime Nobis.
K. P. Kariſſime Parens. Kardo Poſitus. Kaſtra Poſuit.
K. Q. (S.) Kalendæ Quinctiles (Sextiles).

L

L Laribus. Latinus. Latum. Legavit. Legio. Lex. Libens. Libertus. Libra. Locavit. Locus. Longum. Lucius. Luſtrum. Quinquaginta. Ludus.
L. A. D. Libens Animo Dedit, &c. Locus Alteri Datus.
L. AG. Lex Agraria.
L. AP. Ludus Apollinis, &c.
L. B. M. D. Locum (Liberto, Libertæ) Bene Merenti Dedit.
LB. S. Libens Solvit.
L. C. Latini Cives (Coloni). Lege Cavetur. Libertatis Cauſſa. Locus Conceſſus. Lucius Cornelius.
L. D. P. Libertus Domino (Liberto Dominus) Dedit. Locus Datus Publice.
L. D. S. C. Locus Datus Senatus Conſulto (Sepulturæ Cauſſa. Sententia Collegii). Libens De Suo Curavit.
L. E. D. Lege Ejus Damnatus. Libens Ei Dedit. Locus Ei Datus.
LEG. Legatum. Legatus. Legavit. Lege. Legio, &c.
LEG. I. ADI. P. F. ANT. Legio Prima Adjutrix Pia (Fidelis) Felix Antoniana.
LEG. V. M. P. C. Legio Quinta Martia (Macedonica) Pia Conſtans.
LEG. XIV. G. M. V. Legio Decima Quarta Gemina Martia Victrix.
L. E. LI. M. C. S. Lubens Et Libens Merito Cum Suis.
L. EM. Locus Emtus.
LEM. Lemonia *tribu*. Lemuria.
LEP. Lepidus.
L. F. Libens (Libertus. Lugens. Luſtrum) Fecit. Lucii Filius.
L. F. F. O. M. M. D. S. Libens Fieri Fecit Omni Meliori Modo De Suo.
LG. Legatus. Legavit. Legio.
L. H. F. C. Libertus Heres (Locum Hunc. Libens. Libertus. Lugens Hoc) Faciundum Curavit.
L. I. Lex Julia.

LIB. Liber. Liberalia. Liberalitas. Libertus &c. Libertas.
LIB. LIB. P. Q. E. Libertis Libertabus PosterisQue Eorum.
LIB. TAB. Librarius Tabularii.
L. I. D. A. C. Lex Julia De Adulteriis Coercendis.
L. IV. REP. Lex Julia Repetundarum.
L. L. Libens Lubens. Libentissime. Libertis Libertabus. Lucii Libertus, &c.
L. L. Dupondius. Legibus. Liberti *duo*.
L. L. Q. S. P. Q. S. Libertis LibertabusQue Suis PosterisQue Suorum.
HS. Sestertius.
L. M. Legavit [Locavit] Memoriam [Monumentum. Libens Merito. Libero Munere. Locus Monumenti. [Mortuorum], &c. Lucius Muræna.
L. M. E. Locum Monumenti Elegit. [Erexit].
L. O. Liberto Optimo. Libertis Omnibus.
L. P. Locus Proprius. [Propitius. Publicus]. Lege Punitus.
L. P. C. R. Latini Prisci Cives Romani. Libens Poni Curavit Requietorium.
L. P. F. F. V. A. VI. Lugens Pater Filio Fecit. Vixit Annos Sex.
L. PR. Locus Privatus, &c.
L. Q. S. Locus Qui Supra.
L. R. Lege Rogatur. Lex Romana. Locus Religiosus. Locavit Requietorium.
L. S. Laribus Sacrum. Libens Solvit. Liberto Suo. Locus Sacer. Locus Sepulturæ.
L. S. M. C. P. Locum Sibi Monumenti Curavit Poni.
L. T. [illegible] avit Testamento. [Titulum]. Legem Tulit. Lucius [illegible] tius [Titius].
L. V. L[illegible]ar. Libens Vovit.
LVD. PL[illegible] CIRC. Ludi Plebeji In Circo.
L. VOC. [illegible] Voconia. Lucius Voconius.
LVPER. N. R. [illegible]percalia. Nefastus Primo.
LV. P. F. Ludos Publicos Fecit.
LVSTR. MISS. Lustrum Missum.

M

M Magister. Magistratus. Magnus. Manibus. Marcus. Marca. Mars. Mater. Memoriæ. Menses. Miles. Militavit. Millia. Missio. Monumentum. Mortuus. Mulier.
M. Manius.
MAC. AVG. Macellum Augusti.
MAEC. Maecia *tribu*.
MAG. EQ. Magister Equitum.
MAG. QVINQ. COLL. FABR. TIG. Magister Quinquennalis Collegii Fabrum Tignariorum.
M. A. G. S. Memor Animo Grato Solvit.
MAI. Major.
MAM. Mamercus.
MAN. IRAT. H. Manes Iratos Habeat.
MAR. Marius. Maritus. Marmor.
MAR. VLT. Mars Ultor.
MATR. Matralia. [*Matris Matutæ festum*].
MAX. POT. Maximus Pontifex.
M. B. Memoriæ Bonæ. Merenti Bene. Mulier Bona.

M. B.

M. B. M. F. Monumentum [Matri . Mulieri . Marito] Bene Merenti Fecit.

M. C. Marcus Cato. [Cenfor. Cicero]. Memoriæ [Mortis] Cauffa. Monumentum Condidit. [Curavit], &c. [Matri [Mulieri] Cariffimæ].

M. CS. Marcus Cæfar.

M. C. T. Monumentum Curavit Teftamento.

M. D. Manibus Dis. Matri Deum &c.

M. D. M. I. Magnæ Deum Matri Idææ. [Ifidi].

M. E. Memoriam Erexit. Mortuus Eft.

M. E. M. D. D. E. Municipibus Ejus Municipii Dare Damnas Efto.

MEN. Menenia [*tribu*].

MERC. Mercator. Mercurius. Mercurialis.

MERK. D. Merkedonius [Mercedinus] Dies.

M. F. P. Malæ Fidei Poffeffor. Mater Filio Pofuit.

M. H. Mulier Honefta. Mandavit Hoc, &c.

M. H. AD. H. N. T. Monumentum Hoc Ad Heredes Non Tranfit.

M. H. E. Mihi Heres Efto.

M. H. E. N. R. Monumentum Hoc [Heredem] Extraneum Non Recipit.

M. H. H. N. S. Monumentum Hoc Heres [*potius* Heredem] Non Sequitur.

M. H. S. M. Memoriam Hanc Sibi Mandavit, &c.

M. I. Matri Idææ. [Ifidi] Maximo Jovi. Monumentum Juffit.

MIL. COH. X. IV. VRB. Miles Cohortis Decimæ Juvenum Urbanorum.

MI. ME. H. DD. S. Mihi Meifque Hoc DeDicavi Sepulcrum.

MIN. Minervæ. Minor. Minutia *tribu*.

M. L. Marci Libertas. Merito Lubens. Miles Legionis. Militis Locus. Monumentum Legavit, &c.

ML. CL. PR. RA. Miles Claffis Prætoriæ Ravennatis.

ML. PR. Miles Prætorianus.

M. M. Magnæ Matri, [Mœftæ Memoriæ].

MM. Marci *duo*. Memoriæ Meritiffimo. Milites.

M. M. D. Matri Magnæ Deum. Matri [Marito. Merenti] Monumentum Dedit.

M. N. Marci Nepos. Meo Nomine. Millia Nummum.

M. P. Mille Paffus. Millia Paffuum. Memoriam [Mœrens, Menfam] Pofuit &c.

M. R. Miles Romanus. Municipium Ravennas.

M. S. Manibus Sacrum. Merito Solvit. Municipi Suo.

MS. Majeftati. Menfes.

M. S. A. Moneta Sacra Augufti.

M. S. C. Monumentum Sibi Conftituit, &c.

M. S. P. Memoriæ Suæ Pofuit, &c.

M. S. S. H. N. S. Monumentum Sive Sepulcrum [Supra Scriptum] Heredem Non Sequitur.

M. T. C. Marcus Tullius Cicero.

M. V. Manibus Univerfis. Minervæ Victricis *legionis*. Monumentum Vivens.

MVN. Munere. Municeps. Municipium, &c.

M. V. S. Merito Votum Solvit.

N

N Natione. Natus. Nefastus [*dies*. Nepos. Neptuno. Nobilis. Nomine. Nonis. Noster. Numerarius. Numerius Numero. Nummus.
NAT. Natalis. Natus. Natione. Natta.
N. C. Nero [Nobiliss.] Cæsar. Non Credo.
N. C. N. O. Nec Clam Nec Precario.
[N. D. D. Numini Dicatissimus. Devotissimus].
N. D. F. E. Ne De Familia Exeat.
NIG. VIN. Negotiator Vinarius.
NEP. RED. Neptuno Reduci.
NEPT. Neptunalia.
N. F. C. Nostræ Fidei Commissum.
N. F. [G.] N. Nobili Familia [Genere] Natus.
N. H. V. N. AVG. Nuncupavit Hoc Votum Numini Augusto.
N. I. Nomine Ipsius. Numinis Jussu.
N. L. Nominis Latini. Non Licet. Non Liquet. Non Longe. Numero Quinquaginta.
N. L. M. F. ET. TV. Nobis [Nostrum. Novum] Locum Monumenti Fecit Et Tumulum.
N. M. Non Minus.
N. M. N. S. Novum Monumentum Nomine Suo.
N. M. Q. E. D. Numini MajestatiQue Ejus Devotissimus.
N. P. Nefastus Primo. Nomine Proprio.
N. R. Natione Romanus. Non Restituerunt.
NR. CL. Nero Claudius.
N. S. Nomine Suo. Non Sequitur. Novum Sepulcrum. Numerii Servus.
N. T. M. Numini Tutelari Municipii.
N. TRAN. H. L. Non Transilias [Ne Transeas] Hunc Locum.
N. V. N. D. N. P. O. Neque Vendetur Neque Donabitur Neque Pignori Obligabitur.
N. VV. H. INF. S. Neminem Volumus Hoc Inferri Sepulcro.

O

O Obtulit. Omnibus. Oportet. Optimo. Optio. Ordo.
OB. AN. L. Obiit Anno Quinquagesimo.
OB. C. S. Ob Cives Servatos.
OB. M. E. Ob Merita Ejus.
OB. M. P. ET. C. Ob Merita Pietatis Et Concordiæ.
OB. R. B. G. Ob Res Bene Gestas.
O. C. Omnis Civitas. Ope Consilio. Ordo Clarissimus.
OC. Occasus. Occisus.
O. D. M. Opera Donum Munus.
O. D. S. M. Optime De Se Merito.
O. E. B. Q. C. Ossa Ejus Bene Quiescant Condita.
O. E. R. Ob Eam Rem.
O. F. Opus Fecit. Omni Fide.
O. H. F. Omnibus Honoribus Functus. Ossuarium Hoc Fecit.
O. H. S. S. Ossa Hic Sita Sunt.
O. L. Operas [Ollam] Locavit.
OL. D. D. Ollam Dono Dedit.
O. L. O. C. Opere Locato. Opere Conducto.

O. M.

O. M. Optime Merito. Optimo Maximo.
O. M. T. Optimo Maximo Tonanti.
O. P. Optimo Patri. [Principi. Patrono].
OP. Opiter. Oportet. Oppidum. Optimo. Opus.
OP. ET. S. P. Optimo Et Sancto Patrono [Patronæ].
OPIC. Opiconsiva.
OPIF. Opifera.
ORB. PAR. Orbati Parentes.
OR. M. Ordo Militaris. Ornamentis Militaribus.
OSS. Ossarium. Ossuarium.
O. V. F. Omnia [omnibus] Vivens Fecit. Optimo Viventi [Viro] Fecit.

P

P. Pace. Pactum. Passus. Pater. Pecunia. Pedes. Perpetuus. Pius. Plebs. Pontifex. Populus. Possessor, &c. Posuit. Potestas. Prætor. Princeps. Pro. Provincia. Publice. Publia. Publius. Puer. Pupillus.
P. A. Pius Augustus. Posuit Aram.
PAL. Palatina *tribu*. Palilia.
PAP. Papia *tribu*.
[P. A. P. B. M. Patri Avo Patrono Bene Merito].
PAR. Parenti, &c. Parilia. Parthicus.
PAR. INF. P. Parentes Infelicissimi Posuerunt.
PATR. Patricius. Patronus.
PATR. COL. CVR. R. P. II. VIR. MVNICIP. PROC. AVG. VIAE. OST. ET. CAMP. Patrono Coloniæ Curatori Rei Publicæ Duum Viro Municipii Procuratori Augustali Viæ Ostiæ Et Campanæ.
P. C. Pactum Conventum. Patres Conscripti. Patrono Coloniæ. Pecunia Constituta. Pedes Centum. Ponendum [Publice] Curavit, &c. Præfectus Castrorum. [Corporis] Pro Consul.
P. C. L. Publius Cornelius Licinius. Publii ConLibertus.
P. C. N. Posuerunt Communi Nomine.
P. C. R. Ponendum Curavit Requietorium.
P. D. Patriciatus Dignitas. Publice Dedit. Ponendum Decrevit.
P. D. S. Proposita Data Scripta. Posuit De Suo.
P. E. Posteris Ejus [Eorum]. Publice Erexerunt.
P. EQ. M. Publico Equo Meruit.
PER. Peregrinus. Permissu. Perpetuus. Pertinax.
P. EX. R. Post Exactos Reges.
P. F. Pia Fidelis. Pius Felix. Publice Fecit, &c. Pater Filio, &c.
P. H. C. Patrono Heres [Ponendum Hoc] Curavit. Provinciæ [Prætor] Hispan. Citerior.
P. I. Pater Indulgentiss. Poni Jussit. Princeps Juventutis.
P. I. A. V. P. V. D. Prætorem Judicem ArbitrumVe Postulo Vti Des.
P. I. R. P. Q. I. S. I. F. P. R. E. A. D. P. Populum Jure Rogavit PopulusQue Jure Scivit In Foro Pro Rostris Et Ante Diem Pridie.
P. I. S. Pius in Suis [Suos]. Ponendum Jussit Sibi. Posteris Item Suis. Publica Impensa Sepultus.
P. K. Parens Karissime. Pridie Kalendas. Prætor Kandidatus.

P. L. Posuit Libens [Lugens] . Publii Libertus.
P. L. C. Pecunia Lugduni Cusa.
P. M. Passus Mille. Plus Minus. Patronus Municipij, &c.
P. M. T. P. IMP. P. P. Pontifex Maximus Tribunitia Potestate Imperator Pater Patriæ.
PO. Poblilia *tribu*. Populus. Posuit.
POM. Pompeius. Pomptina [*tribu*].
P. O. M. S. Parenti [Patrono] Optime Merito Sacrum.
POPLIF. Poplifugium.
PORT. Portumnalia.
POST. Postumus.
P. O. S. V. L. T. Posuit.
POT. Potestate.
P. P. Pater Patratus. [Patriæ]. Parenti [Patrono. Populus. Publice]. Posuit. Perpetuus. Præfectus. Prætorio. PræPositus. Propria [Publica] Pecunia. Proprætor. Publii *duo*.
PP. Papinia *tribu*. PerPetuus. Præposita. PræPositus. Posuere. PrimiPilus. ProPosita.
P. P. F. Pia Pollens Felix.
P. P. L. V. Pro Præde Litis Vindiciarum.
P. PL. V. Populum PlebemVe.
P. P. O. C. V. Præfectus Prætorio Orientis Clarissimus Vir.
P. P. P. Pro Pietate [Propria Pecunia] Posuit. ProPrætor Provinciæ.
P. P. P. C. PrimiPilo Prætoriæ Cohortis, &c.
[P. P. P. P. P. Præfecto Prætorio Per Provinciam Pannoniam].
P. P. R. V. P. I. C. Pace Populo Romano Ubique Parta Janum Clusit.
P. Q. E. Posterisque Eorum.
P. Q. S. V. F. Posterisque suis Vivens Fecit.
P. R. Populus Romanus. Pro Rostris. Posuit Requietorium.
PR. Pater. Præses. Prætor. Pridie. Princeps. Primigenia.
PRAE. AER. Præfectus Ærarii.
P. R. C. A. Post Romam Conditam Annis.
PR. CER. Prætor Cerealis.
P. R. E. Post Reges Exactos.
PRIM. Primipilus. Primo. Primus.
PRI. STIP. H. S. E. Primo Stipendio Hic Situs est.
PR. M. S. Pro Merito Suo.
PR. N. Pro Nepos.
PRO. AVG. Providentia Augusti.
PROC. ProConsul. ProCurator.
PRO. MAG. L. D. ProMagister Larium Divinorum.
PRON. ProNepos.
PRO. PR.] Pro Prætor.
PROPR.]
PROQ. P. ProQuæstor Provinciæ.
PRO. S. Pro Salute.
PROT. Protector.
PROV. Provincia. Providentia.
PR. P. Præses Provinviæ. Pro Prætor.
PR. PER. Prætor Peregrinus.
PR. PR. Præfectus Prætorio. Pro Prætor.
PR. P. R. E. V. Procurator Privatæ Rei Egregius Vir.

[P. R.

[P. R. Q. Populo Romano Quiritium].
PR. Q. AER. ET. ALIM. ProQuæstor Ærarii Et Alimentorum.
PRR. Prætores.
PR. S. Prætoris [Pro] Sententia. Patri Suo.
PRS. P. Posteris Posuit. Præses Provinciæ.
PR. TVT. Prætor Tutelaris.
PR. VR. Prætor Urbanus.
P. R. V. X. Populi Romani Vota Decennalia.
P. S. Pecunia Sua. Plebiscitum. Posteris Suis. Posuit Sibi. Proprio [Privato. Publico]. Sumptu Proserpinæ Sacrum. Pro Salute. Publicæ Saluti.
P. S. O. Pecunia Sua Ordinavit. Posuit Suis Omnibus.
P. S. P. Q. P. [R.] Pro Se ProQue Patria [Republica].
P. S. T. Q. H. Præcipito Sumito TibiQue Habeto.
PT. Pater. Præter.
P. T. S. Posuit Titulum Sibi.
P. V. Pedes Quinque. Perfectiss. [Præstantiss. Primarius]. Vir. Pia Victrix. Præfectus Vigilum (Urbi].
PV. Provincia. Publilia *tribu*.
PVBL. L. Publico Luctu.
P. V. D. Postulo Uti Des. Pro Voto Dedit.
P. V. F. Posteris Universis Fecit.
PV. HO. Publico Honore.
P. VI. S. Pedes Sex Semis.
PVP. Pupillus. Pupinia [*tribu*].
P. V. V. L. S. ProUt Voverat Lubens Solvit.

Q

Q Quadrati. Quæsitus. Quæstor. Quantum. Quartum. Que-Qui, &c. Quinta. Quinctus. Quinquennalis. Quirites.
Q. A. Quæstor Ædilis.
Q. A. M. QuemAdModum.
Q. A. NQ. N. Quando Ais NEque Negabo [Negas].
Q. B. F. Qui BixIt Feliciter.
Q. B. M. V. Quæ Bene Mecum Vixit.
Q. C. M. P. I. Quintus Cæcilius Metellus Pius Imperator.
Q. D. C. Qua de Caussa.
Q. D. E. R. F. P. D. E. R. V. I. C. Quid De Ea Re Fieri Placeret. De Ea Re Universi Ita Censuerunt.
Q. D. R. P. G. V. Qua De Re Peto Gravitatem Vestram.
Q. E. R. E. T. P. I. R. D. T. Q. DT. X. D. P. F. Quanti Ea Res Erit Tantæ Pecuniæ Judicium Recuperatorium Dabo TestibusQue Duntaxat Decem Denuntiandi Potestatem Faciam.
Q. F. E. I. S. F. D. C. S. Quod Factum Esse in Senatu Ferunt De Consulum Sententia.
Q. I. S. S. Qui Infra Scripti Sunt, &c.
Q. L. F. Quem Locum [Qui Libens] Fecit.
QN. A. N. N. Quando Neque Ais Neque Negas.
Q. N. T. S. Q. P. Quando Negas Te Sacramento Quinquagenario Provoco.
Q. P. Quæstor [Prætorius. Provincialis. Publicus].
QQ. Quamquam. Quinquennalis. Quoque.
Q. Q. L. H. S. QuoQuo Vorsum Latitudo Huis Sepulcro.

[La-

[Latum Hoc Sepulcrum].
Q. Q. V. P. L. QuoQuo Vorsum Pedes Quinquaginta.
QR. QuaRe.
Q. R. C. F. Quando Rex Comitiavit Fas.
Q. R. F. E. V. Quod Recte Factum Esse Videbitur.
Q. S. N. T. E. PR. TR. PL. Q. D. E. Q. E. V. A. P. PL. V. F. Quod Si Non Tulerit Eos Prætores Tribuni Plebis Qui Deinceps Erunt Quod Eis Videbitur Ad Popylum Plebem-Ve Ferant.
Q. S. P. P. S. Qui Sacris Publicis Præsto Sunt.
Q. S. S. S. Qui Supra Scripti [Quæ Supra Scripta] Sunt.
Q. ST. D. F. Quando Stercus Delatum Fas.
Q. V. A. Qui [Quæ] Vixit Annis.
Q. V. F. COS. D. E. R. Q. F. P. D. E. R. I. C. Quod Verba Fecit Consul De Ea Re Quid Fieri Placeret De Ea Re Ita Censuerunt.
QVI. Quirina *tribu*.
QVI. LEGIS. T. V. Qui Legis Titulum Vale.
QVINQ. Quinquatria. Quinque. Quinquennalitas.
QVIR. Quirina *tribu*. Quirinalia. Quirites.
QVINQ. MAG. IV. Quinquennalitius Magister Juvenum.
QVOD. V. M. S. EX. EA. P. Q. I. S. AD. AE. D. E. Quod Viæ Munitæ Sunt Ex Ea Pecunia Quæ Jussu Senatus Ad Aerarium Delata Est.

R

R Rationalis. Ravennas. Recte. Requietorium. Res. &c. Responsum. Respublica. Restituit. Retro. Rogavit. Roma. Romanus. Rostris.
RAP. Rapax *legio*.
RAT. S. R. Rationalis Sacrarum Rationum [Remunerationum].
R. C. Romani Cives. Romana Civitas.
R. CC. Remissio Ducentesimæ.
R. D. Requietorium Dedit. Regis Domus &c.
R. E. C. H. Requietorium Ejus Curavit Hic. [Ei Curavit Heres.]
REGIF. Regifugium.
R. G. C. Rei Gerundæ Caussa.
RG. F. Regis Filius. [Filia. Familia].
R. L. P. Recte Legi Possit.
RO. Roma. Romani. Romilia *tribu*.
ROB. Robigalia.
R. P. Res Publica. [Privata] Retro Pedes. Romæ Percussa. Romana Pecunia.
R. P. C. C. Rei Publicæ Constituendæ Caussa, &c.
R. R. Recta Regione. Rejectis Ruderibus.
R. S. Romæ Signata.
RS. Responsum. Rescriptum.
RVF. Rufus. Rufinus.
RVR. Rura. Rursum.
R. XL. Remissa Quadragesima.

S

S Sacellum. Sacrum. Salus, &c. Scriptus. Semis. Senatus, Sententia. Sepulcrum. Sequitur. Servus, Sibi. Sine.

ne. Sit. &c. Situs. Sive. Solvit. [Sodalis]. Stipendium. Sub. Suis.
SAB. Sabatina *tribu*.
SAC. VRB. S. P. Sacerdote Urbano Sibi Præeunte.
S. A. D. Sub Ascia Dedicavit.
SAR. Sarranus.
SARM. Sarmaticus.
SAT. Saturnalia.
S. C. Senatus Consultum, &c. Sumtu Communi.
SCA. Scaptia *tribu*.
S. C. D. S. Sibi Curavit De Suo.
S. C. F. E. Senatus Consultum Factum Est.
SCL. Scilicet.
SC. L. CM. Sacræ Largitionis Comes.
SC. MM. Sanctæ [Sacræ] Memoriæ.
S. C. P. S.] Senatus Consulto Plebiscitum.
SC. PS.]
SCR. ADF. Scribundo Adfuerunt.
SCR. SVL. P. Scriba Sulmonensis Populi.
S. D. Sacrum Diis. Salutem [Dedit]. Sententiam Dicit. Sibi [Soli] Dedit.
S. D. S. Sibi De Suo. Soli Deo Sacrum.
SEP. September. Septimius.
SER. Serratus *nummus*. Sergia *tribu*. Sergius. Servilius. Servius. Servus.
S. E. S. O. Sibi Et Suis Omnibus.
S. E. T. L. Sit Ei Terra Levis.
SEV. Severus. Sevir.
SEX. Sextus. Sexta.
S. F. Satis [Sibi. Suis]. Fecit. Sine Fraude. Sacris Faciundis.
S. H. L. Sibi Hoc Legavit.
SIGN. LEG. Signifer Legionis.
SIG. PR. SA. Signum Pro Salute.
S. I. M. Soli Invicto Mithræ.
SI. P. P. S. F. Signum Posuit Pecunia Sua Factum.
S. I. R. Sua Impensa Restituit. Sacrum Junoni Reginæ.
SI. V. G. V. Si Vales Gaudeo Valeo.
S. L. Sacrarum Largitionum. Sacrorum Ludorum. Senatus Legitimus. Solvit Libens. Suis [Liberis] Libertis.
S. L. M. N. Sibi Locum Monumenti Nuncupavit.
S. M. Sacrum Manibus [Memoriæ]. Sine Malo. Solvit Merito. Sacra [Signata] Moneta.
S. M. A. G. S. Sacrum Memori Animo Gratis [Gratus] Solvit.
S. M. A. L. S. Sacrum Memori Animo Libens Solvit.
S. M. P. E. Sibi Monumentum Publice Elegit [Erexit].
S. M. T. S. Sacra Moneta Treviris Signata.
SN. Senatus. Sententia. Sine.
S. N. C. Sestertios Nummos Centum.
S. N. L. Socii Nominis Latini.
S. N. S. Q. Si Negat Sacramento [Sacramentum] Quærito.
S. P. Sacerdos Perpetua. Sacri Palatii. Sacrum [Sibi] Posuit. Sua Pecunia. Sumtu Proprio.
SP. Spectatus. Spectavit. Sportula. Spurius. Stipendium. Supra.
S. P. C. S. Sibi Posuit Cum Suis. Sua Pecunia Curavit Sibi.

S. P.

S. P. D. Salutem Plurimam Dicit, &c.

SPD. Supra Dictus.
SPEC. Spectavit. Speculator.
S. P. EJVSQ. C. C. Q. Q. Solo Privato Ejus Collegium Consensu QuinQuennalitiorum.
SPL. Splendidus. Splendidiſſimus.
S. P. P. Sibi Posteris Posuit, &c.
S. P. P. D. D. Sumtu Proprio Positum Dono Dedit, &c.
S. P. Q. Sibi PosterisQue. Senatus PopulusQue.
S. P. Q. R. CL. V. Senatus PopulusQue Romanus Clypeum Vovit.
S. Q. D. E. R. A. P. P. V. L. O. E. COSS. PRR. TR. PL. Q. N. S. Q. E. V. A. P. P. V. F. Si Quid De Ea Re Ad Populum PlebemVe Latu Opus Est Consules Prætores Tribuni Plebis Qui Nunc Sunt Quod Eis Videbitur Ad Populum PlebemVe Ferant.
S. Q. S. S. E. Q. I. N. S. R. E. H. L. N. R. Si Quid Sacri Sanctique Est Quod Jus Non Sit Rogari Ejus Hac Lege Nihil Rogatur.
S. R. L. E. E. I. C. Q. O. R. E. Si Rem Lex Ex Ejus Jussu CaussaQue Omnium Rerum Esto.
S. S. Sacri Scrinii. Sanctiſſ. [Sententia] Senatus. Sibi Suis. Suo Sumptu. Supra Scriptus, &c.
SS. Sanctiſſimis. Sestertiis. Suaviſſimis, &c. Suis.
S. S. C. S. D. E. T. V. Secundum Suam Caussam Sicuti Dixi Ecce Tibi Vindictam.
S. S. S. Sancto Silvano [Soli Sanctiſſimo] Sacrum. Supra Scriptæ Summæ [Scripta Sunt].
S. S. T. N. Supra Scriptorum Tantum Nomine.
ST. *Silentii nota*. Sententia. Stipendium. Stadium. Statuit. Status.
S. T. A. Sine Tutoris Auctoritate.
STE. Stellatina *tribu*.
S. T. T. L. Sit Tibi Terra Levis.
S. T. V. B. E. E. Q. V. Si Tu Vales Bene Est Ego Quidem Valeo, [& *ſimilia ſimiliter*].
SVB.] Suburrana *Sive* Sucuſaria *tribu*.
SVC.]
SVF. Suffectus.
S. V. F. Sibi Vivens Fecit.
S. V. G. E. V. Si Vales Gaude Ego Valeo.
S. V. L. Q. V. V. B. E. E. E. Q. V. Si Vos LiberiQue Vestri Valetis Bene Est Ego ExercitusQue Valemus.
S. V. P. HAC. F. Sponſione Utriuſque Partis Hac Facta.
SVSC. EX. VIS. Suſceptum Ex Viſu.
S. V. T. L. Sit Vobis Terra Levis.

T

T. Tantum. Tempus. Terra. Testamento. Testis. Tibi. Titus. Triarii. Tribunus. Tullius. Turma. Tutela. Tutor.
T. *Nomini militis adpoſitum* ſuperſtitem *notabat*, *uti* Θ, *ubicumque invenitur*, mortuum.
T. A. Tutoris Auctoritate.

TAB.

TAB. Tabulæ. Tabularius.
TB. Tiberius. Tibi. Tribunus.
TB. D. F. M. AD. Tibi Dulciss. Filio Meo Adoptato.
T. C. Testamento Cavetur. [Constituit]. Titulum Curavit.
TEMP. FEL. Temporum Felicitas.
TER. Terentina *tribu*. Terentius. Tercenarius. Terminalia. Tertia. Tertium.
TESS. Tesserarius.
T. F. Titus Flavius, &c.
T. F. I. EX. V. H. Testamento [Titulum] Fieri Jussit Ex Voluntate Heredis.
T. F. L. [M.] Testamento Fieri Legavit [Mandavit].
T. H. R. Testamento Heredem Reliquit.
TI. Tiberius.
T. M. Titulum Monumenti. Testamento Mandavit &c.
T. P. Terminum [Titulum] Posuit. Tribunitia Potestate.
TP. B. Tempus Bonum..
T. P. I. EX. ARG. P. C. Testamento Poni Jussit Ex Argenti Pondo Centum.
TR. Æ. Tribuni Ærarii.
TR. CAP. Triumviri Capitales.
TR. CEL. Tribuni Celerum.
T. R. E. S. P. R. Terra Regesta Ex Sua Pecunia Restituit.
TRO. Tromentina *tribu*.
TR. P. Treviris Percussa. Tribunus Plebis. Tribunitia Potestate.
T. R. T. H. Tuas Res Tibi Habeto.
TR. V. MON. TriumViri Monetales.
T. T. F. V. Testamento Titulum Fieri Voluit. Titulum Fecit Vivens.
T. V. Titulo Usus. Testamento Vovit.
TVB. Tubilustrium.
TVL. Tullius. Tullus.
TVT. Tutela.

V

V Valeo, Vale. Vesta. Vester. Veteranus. Vicit. Victor. Victoriatus *nummus*. Vir. Virgo. Vivens. Vivus, &c. Volero. Volusus. Vopiscus. Votum. Vovit. Urbs. Uxor. Quinque. Quintum.
V. A. Veterano Adsignatum. Vixit Annis. Votum Animo.
V. ÆT. Virtus Æterna.
VAL. Valerius. Valeria. Valerianus.
V. B. A. Viri Boni Arbitratu.
V. C. Vale Conjux. Vivens Curavit. Vir Clarissimus (Consularis). Urbis Conditæ.
V. D. Vir Devotus. (Doctus). Vivus (Votum) Dedit. Volentibus Diis.
V. D. A. Vale Dulcis Amice (Amica. Anima).
V. D. N. V. Vale Deus Nostræ Urbis.
V. D. P. R. L. P. Unde De Plano Recte Legi Possit.
V. E. Verum Etiam. Vir Egregius (Excellens). Visum Est. Votum Ejus.
VEL. Velina *tribu*.

VE.

VE. Veſtamen. Veteranus.
VES. Veſpaſianus.
VEST. Veſtalis. Veſtalia.
VET. Veturia *tribu*. Veteranus.
V. F. Vale feliciter. Verba Fecit. Vir Fortis, &c. Vivus [Notum] Fecit. Voluit Fieri. Uſus Fructus.
V. F. N. M. N. S. Vivens Fecit Novum Monumentum Nomine Suo.
V. G. Verbi Gratia.
V. I. Vir Illuſtris [Juſtus].
VI. Vixit. Sex.
VIC. Vicarius. Vicit. Victor. Victoria. Victrix. (*Poteſt quoque notare Nonaginta Quatuor*).
VIN. Vinalia.
VIR. Virgilius. Virgo. Virtus.
V. L. P. [S.] Votum Libens Poſuit. [Solvit].
V. M. Vir Magnificus. Vivens Mandavit. Volens Merito.
V. M. M. Votum Merito Minervæ. (Magnæ Matri).
V. M. S. Voto Merito Suſcepto. Votum Merito Solvit.
V. MVN. Vias Munivit.
V. N. Quinto Nonas. Urbs Noſtra.
VO. Voconius. Voleto. Votinia *tribu*. Voluſus.
VO. DE. Vota Decennalia.
VOL. Volcanalia. Voltinia *tribu*.
VOLT. Volturnalia, &c.
V. OP. Vir Optimus.
VOT. E. Voti Ergo.
VOT. QQ. MVLT. X. Votis Quinquennalibus Multis Decennalibus.
V. P. Vicarius Præfecti. Vir Perfectiſſimus. [Patritius. Primarius. Probus. Prudens]. Urbis Præfectus. Votum [Vivus] Poſuit. Utriuſque Pannoniæ.
V. P. R. Veteri Poſſeſſori Redditum. Vota Pro Reditu.
V. PR. [Q.] Vir Prætorius. [Quæſtorius].
V. R. Votum Reddidit. Urbs Roma. Uti Rogas.
V. S. Vice Sacra. Voto Solemni [Suſcepto]. Votum Solvit. Vir Sacer [Sanctus]. Uxor Sanctiſſima. Vivens Statuit.
V. S. C. Voti Sui Compos, &c.
V. S. I. Vice Sacra Judicans.
V. S. L. D. B. P. Voto Suſcepto Libens Deæ Bonæ Poſuit [Dedit Bono Publico].
V. S. L. M. Vivens Sibi Locum Monumenti, &c. Votum Solvit Libens Merito. Voto Soluto Libero Munere.
V. S. S. Vivens Sibi Statuit [Suis]. Votum Sacrum [Suſceptum] Solvit, &c.
V. S. T. Voto Suſcepto Tulit.
V. T. F. I. Uſus Titulo. [Vivens Titulum] Fieri Juſſit.
V. V. Virgo Victrix. Veſtalis Valens. Votum Vovit. Voverunt.
V. V. C. C. Viri Clariſſimi.
V. V. L. Virginum Veſtalium Liberta [Libertus].
V. V. M. Virgo Veſtalis Maxima.
VXO. C. L. B. P. Uxori Cariſſimæ Locus Bene Poſitus. (*Melius forte*) Uxori Conjux Lugens Buſtum Poſuit.

X. De-

X.

X. Decem. Decimus. Denarius.
X. E. Decimæ Erogator.
XV. Decem Vir. Quindecim.
XX. ANNALIB. Vicennalibus *Votis*.
XX. Her. Vigesima Hereditatum.

Z.

ZEN. Zenobius.

APPENDIX II.

Ad Pag. 207.

QUando non adolescentulos modo, sed & viros hæsitantes vidimus circa dies, ex Romanorum more numeratos, quod eos ad nostram rationem sine Kalendario ægre redigere sciebant, excogitavimus præceptum generale, quo id facillime potest confieri: modo hunc versiculum memoria teneamus.

Majus sex Nonas, *October*, *Julius & Mars*.

„ Scilicet Numerum Nonarum vel solum, vel additis Idibus, vel denique numerum dierum totius mensis auge binario: & ab summa datum diei numerum subtrahe, sive is dies Romanus est, sive hodiernus Europæus. Residuum dabit quod quærebas. *Ex. causa.*

Quæritur, qui dies Europæis hodie sint (1) III. Non. Quinct. (2) V. Eid. Jun. (3) XII. Kal. Jan. & contra, (4) quo nomine 4. Januar. (5) 7. Maji, (6) 16. Maji Romani adpellaverint?

Hæc Problemata sic solvuntur.

(1) Quinctilis VI. Nonas habet. Adde II. fiunt VIII. unde subtractis III. dato Nonarum numero, remanent V. Itaque III. Non. Quinct. nobis est dies *quintus* Julii.

(2) Junius IV. Non. & VIII. Id. numerat, quarum summa est XII. additis II. habes XIV. hinc V. subtracta ostendunt IX. Junii.

(3) December diebus XXXI. constat. Itaque a XXXIII. subduc XII. habebis XXI. Decembris.

(4) Januarius IV. habet Nonas. Ergo a VI. subtractis IV. remanent II. Non. i. e. *pridie* Non. Januar.

(5) Majus VI. Non. habet. Si igitur ab VIII. subducantur VII. relinquitur I. adeoque sunt ipsæ Nonæ Majæ.

(6) Idem Majus VI. Non. & VIII. Idus numerat; ex quibus fiunt, additis duobus, XVI. unde si XVI. subducantur, remanet nihilum. Itaque dies hic in Kalendas incidit. Atqui Majus mensis numerat dies XXXI. adjice duo, & a XXXIII. subtractis XVI. habebis XVII. Kalendas Junias).

AP-

APPENDIX III.

CALENDARIUM ROMANUM.

JANUARIUS.

A 1 K.Janu. Jani & Junonis. Jovi & Æsculap. in *insc. Tib. Ovid.* Gamelia Junoni hoc mense celebrabantur, unde & mensi nomen.
b 2 4 Dies ater.
c 3 3 Cancer occidit. Tertia mensis cujusque Minervæ sacra. *Pausan.*
d 4 Pr.Non. Votum pro salute Principis. *C. Tac.*
e 5 Nonæ. Lyra oritur, tempestatem significat.
f 6 8 Isidis ἄφισις, id est, accessus. *Plut.* Octavus cujusque mensis.
g 7 7 Dies Neptuno sacer est apud Atheniens. *Plut.*
A 8 6 Sacrificium Janii. Vetus Kal.
b 9 5 Agonalia. *Ovid.* Delphinus oritur.
c 10 4 Media hyems.
d 11 3 Carmentalia. Juturnæ ædes dic. in campo Mart.
e 12 Prid.Id. Compitalia. *Gell.* & *Macrob.*
f 13 Idus. Jovi. Octavius Augustus dictus, & provinciæ
g 14 19 K.F. in formam redactæ, *Ovid.* & tibicines habitu muliebri urbem lustrabant. *Plut.*
A 15* 18 Carmentalia Relata, & Porrimæ, & Postuertæ.
b 16 17 Concordiæ templum a Camillo positum.
c 17 16 Sol in Aquario.
d 18 15
e 19 14
f 20 13
g 21 12
A 22 11
b 23 10 Lyra occidit.
c 24 9 Leonis quæ est in pectore clara stella occidit.
d 25 8 Sementinæ Feriæ. *Ovid. Varro*, *Fest. Macrob.*
e 26 7 Non statæ quidem, sed indictæ.
f 27 6 Castori & Polluci temp. ad Juturnæ stagnum.
g 28 5
A 29 4 Equiria in campo Mart. Vet. Kal.
b 30 3 Paci.
c 31 Prid. Kal. Sacr. Deis Penat. Vet. Kal. qui Patrii & Urbani dicuntur.

FEBRUARIUS.

d 1 K. Febr. Sospitæ Templi Dic. Lucaria, ab Asyli luco. *Ovid. Fest.* item Jovi Sacr. de bidente. Dianæ sacra fiebant, a cervis elaphobolia nuncupata.
e 2 4 Lyra & medius Leo occidunt.
f 3 3 Delphinus occidit.
g 4 Prid.Non.
A 5 Nonis. Aug. dictus P. P. *Ovid.* Aquarius oritur. Ze-
b 6 8 phyrus flare incipit.

c 7 7
d 8 6
e 9 5 Veris initium.
f 10 4
g 11 3 Arctophylax oritur.
A 12 Prid. Id.
b 13 Idus. Fauni Festum & Jovis. Fabiorum cædes.
c 14 16 K.M. Corvus, Crater, & Anguis oriuntur.
d 15 15 Lupercalia. *Plut. Ovid. Varr.*
e 16 14 Sol in piscibus. Venti per sex dies vehementius flant.
g 18 12 Quirinaliorum Stultorum Feriæ. *Fest. Ovid. Varr.* Et Fornacalium indictio deæ Fornacali, quæ & Fornax dicta fuit, a quo indicta. *Plin. Ovid.* & Diis Manib. Sacra Feralia.
A 19 11 Deæ Mutæ.
b 20 10 Charistia. *Val. Max. Ovid.* id est, sacra cognatorum. Vet. Kal.
c 21 9 Terminalia. *Ovid.* Bedas vero VII. Kal. & Regifugium. V. Kal. Mart. cui convenit locus
d 22 8 bissexti.
e 23 7 Regifugium. *Ovid.* Quidam VI. Kal.
f 24 6
g 25 5
A 26 4
b 27 3 Equiria in campo Mart. *Varr. Fest.* & *Ovid.*
c 28 Prid. K. Tarquinii Superati. *Plut.*

M A R T I U S.

d 1 K. Mart. Matronarum Dies Festus. *Fest. Porph. Serv. Ov.*
e 2 6 Matronalia. Junonis. Lucinæ. Martis, Anciliorum Festum nec nubere bonum quousque condantur. Munychia sacra deæ Munychiæ, id est, Dianæ.
f 3 5 Alter e piscibus occidit.
g 4 4
A 5 3 Arctophylax occidit. Vindemiator oritur.
b 6 Pr. Non. August. Pont. Max. Vestæ. *Ovid.*
c 7 Nonæ. Pegasus oritur. Vejovis templum ad duos lucos Asyli. *Ovid.*
d 8 8 Corona oritur.
e 9 7
f 10 6
g 11 5
A 12 4
b 13 3
c 14 Prid. Id. Equiria Altera apud Tiberim, vel, si aquis increverit, in Cælio monte. *Ovid. Fest.*
d 15 Idus. Annæ Perennæ. Parricidium, id est, cædes C. Cæs. *Plin.* & *Suet.*
e 16 17 K. A. Scorpius medius occidit. Lysander Athenis potitus. *Plut.*
f 17 16 Liberalia. *Varro:* quo virilem togam pueri ingenui sumebant. *Ov.* Agonia. *Varro.* Milvius oritur.

g 18

g 18 15 Sol in Ariete.
A 19 14 Quinquatria. Minervæ natalis, & Minerval magistris solvebatur.
b 20 13 Quinquatria alter Quinquatrium dies.
c 21 12 Quinquatr. Primus dies sæculi, quidam VIII. *Bedas*.
d 22 11 Quinquatr.
e 23 10 Quinquatr. Tubilustrium. Sacrorum tubæ lustrantur. *Varro*.
f 24 9
g 25 8 Æquinoctium vernum. Hilaria Matris Dium
A 26 7 Festa. *Lamprid. Macrob.*
b 27 6 Matris Deum. *Ammian. Marc. Herod.*
c 28 5 Megalesia. *Varro*.
d 29 4
e 30 3 Jani Concordiæ, Salutis, Pacis.
f 31 Prid. Lunæ, id est, Dianæ in Aventino. *Ovid.*

APRILIS.

g 1 K. Apr. Scorpius occidit. Veneris Sacrum cum florib. & myrto. *Plut. Ovid.* Item Fortunæ Virili. Thargelia sacra Apollini & Dianæ. Mensis hic Græcis auspicatissimus.
A 2 4 Plejades occidunt.
b 3 3
c 4 Pr. Non.
d 5 Nonæ. Megalesia Matri Deum. K. V. *Ovid.*
e 6 8 Fortunæ Publicæ Primigeniæ in colle Quir. *Ovid. Varr.* Dianæ Nativitas.
f 7 7 Apollinis Dies Natalis, qui dies quoque Socr. & Platon. sunt. *Laert.*
g 8 6 Ludi ob Victoriam Cæs. Libra occidit, dies pluvius. Orion occidit.
A 9 5 Cerealia Ludi Circen. instaurationis dies Circensibus additus. *Macrob.*
b 10 4
c 11 3
d 12 Prid. Id. Magna Mater Romam Adducta. *T. Liv. XXIX.*
e 13 Idus. Jovi Victori & Libertati. *Ovid.*
f 14 18 K. M.
g 15 17 Fordicidia vel Fordicalia, de forda bove. *Varro, Ovid.*
A 16 16 Auguft. Imper. salutatus. Hyades occidunt.
b 17 15
c 18 14 Equiria in circo max. & Vulpium Combustio. *Ovid.*
d 19 13 Sol in Tauro.
e 20 12
f 21 11 Palilia, Romæ natalis. *Varro, Ovid. Fest. Plut.* alii. Agonia altera. *Ovid.* quæ & Agonalia dicuntur.
g 22 10
A 23 9 Vinalia Priora Jovi & Veneri. *Ovid. Plut. Var. Plin. Fest.*
b 24 8 Ilii destructio.
c 25 7 Medium Ver. Aries occidit. tempest. signif. Ca-

Canis oritur. Robigalia. *Plin. Fest. Ovid. Varro*, alii.

d 26 6 Latinæ Feriæ in sancto monte. *T. Liv.* Apaturia etiam hoc mense agebantur, a Venere dicta. Tribus dieb. celebrantur: quidam Pyanepsione agi dicunt.

e 27 5

f 28 4 Floralia. *Plin.* Kl. u. *Ovid.*

g 29 3

A 30 Prid.Kl. Vestæ Palatinæ. *Ovid.* Hoc mense, ut *Plut.* in *Romulo* & *Probl.* Larentialia, & distinguit a Laurentialibus, quæ mense Decembr. celebrantur.

M A J U S.

b 1 K.Maji. Capella oritur. Larib. Præstitib. ara posita. *Ovid.* & Bonæ Deæ sacr. *Macr. Plut. Varr. Lactant. Ovid.* alii, & Florales Ludi triduo V. K. Umbraculorum festum, quæ σκίρα dicuntur Σκιρρὰς Pallas.

c 2 6 Argestes flare incipit. Hyades oriuntur.

d 3 5 Centaurus oritur.

e 4 4

f 5 3 Lyra oritur.

g 6 Pr.Non. Scorpius medius occidit.

A 7 Nonæ.

b 8 8

c 9 7 Lemuria quæ noctu agebantur, & triduo. *Ovid.*

d 10 6 *Var. Porph.* Malum nubere, & Luminaria.

e 11 5 Lemuria. Vet. Kal. Orion. occidit.

f 12 4 Martis Ultoris. Bisultorem ait *Ovid.* alii post Lem. Vet. Kal.

g 13 3 Plejades oriuntur. Æstatis initium. Lemuria V. Kal.

A 14 Prid.Id. Taurus oritur.

b 15 Idus. Argeorum simulacra scirpea de ponte in Tiberim dejiciebantur. *Dionys. Euseb. Plut. Ovid. Macrob.* alii. Et Mercatorum Dies Festus. *Fest. Ovid.* Mercurium hoc die natum *Martialis* ait. Ædes dedic. T. L. & Fer. Jovi. Vet. Kal.

c 16 17K.Jun.

d 17 16

e 18 15

f 19 14 Sol in Geminis.

g 20 13

A 21 12 Agonia s. Agonalia Jani. *Ovid. Varr.*

b 22 11 Vejovi. V. Kal. alii superioribus diebus. Canis oritur.

c 23 10 Volcani Feriæ V. K. Volcanalis flamen rem div. Majæ faciebat. *Macrob.* Tubilustrium. *Varro*, *Ovid.* alii X. Kal. V. K. *Ovid.* alii XIII.

d 24 9 Regifugium alterum. V. Kl. *Ovid.* alii aliter.

e 25 8 Templum Fortunæ Datum. V. K. *Ovid.* Aquila oritur.

f 26 7 Arctophylax occidit.

g 27 6 Hyades oriuntur.

A 28 5

b 29 4

c 30 3

d 31 Prid. K.

JUNIUS.

e 1 K Junii. Junonis Monetæ ædes. *Macrob.* Bedas. Carnæ Deæ in Cælio monte. Marti Sacr. extra port. Capenam. Tempestati delubrum. *Ovid.* Fabariæ Kal. Marc. Aquila oritur. Hecatombæ hoc mense plures, unde & illi nomen. Anni initium apud Athenienſ. vel quod Sol Hecatombæus diceretur.
f 2 4 Hyades oriuntur, dies pluvius.
g 3 3 Bellonæ Sacr.
A 4. Pr. Non. Herculis ædes in Circo.
b 5 Nonæ. Templum Fidei. Sponsoris Jovis. Dion. alii. Sacrum Fidio Semipatri. Vet. Kal. *Ovid.*
c 6 8 Vestæ Templum.
d 7 7 Piscatorii Ludii in Camp. Mart. *Ovid. Fest.*
e 8 6 Mentis templum dic. *Ovid.* Vet. Kal. Arctophylax occidit.
f 9 5 Vestæ. Vet. Kal. *Ovid.* Asini coronantur. Ara Jovis Pistoria.
g 10 4 Delphin vesperi oritur. Matralia.
A 11 3 Fortis Fort. Concordiæ ædes. Matris Matutæ.
b 12 Prid. Id. *V. K. Ovid.*
c 13 Idus. Jovis invicti. Minusculæ Quinquatrus Minervæ. *Varr. Fest. Censorin.*
d 14 18 K. Ju.
e 15 17 Stercus ex Æde Vestæ defertur. *Fest. Varr. Ovid.* Hyades oriuntur.
f 16 16 Zephyrus flat. Orion oritur.
g 17 15 Delphinus totus apparet. Æqui & Volsci a Posthumo fugati.
A 18 14
b 19 13 Sol in Cancro. Minervæ in Aventino. V. K.
c 20 12 Ophiuchus oritur. Summani Sacrum ad Circum Max. Vet. Kal. *Ovid.*
d 21 11
e 22 10
f 23 9 Flaminius victus a Pœnis. *Ovid.*
g 24 8 Fortis Fortunæ. Vet. K. *Ovid. Varr.*
A 25 7 Naves Coronatæ per Tiberim convivia ducebant.
b 26 6 Orionis zona oritur. Solstitium.
c 27 5 Jovis Statoris & Laris. *Ovid.*
d 28 4 Quirini templum in colle Quirin. *Ovid.* Vet. Kl. III. Kal.
e 29 3
f 30 Prid. K. Herculis & Musarum. *Ovid.* Populifugia in Junio dies: *Varro.*

JULIUS.

g 1 K. Julii. Hoc die apud Rom. fiebant migrationes ex ædibus in alienas ædes; id quod ex *Cicer. Suetonio*, & *Mart.* colligunt docti.
A 2 6
b 3 5
c 4 4
d 5 3
e 6 Pr. Non. Capitol. incensum tempore Syllæ.
f 7 Nonæ. Romulus non apparuit. *Lampr. in Commodo. Plut.*
g 8 8 Caprotinæ. Juno Caprotina.
A 9 7 Ancillarum Festum. *Macrob. Plut. Ovid. Varro.*
b 10 6
c 11 5 Ludi Apollinares. *T. Liv.* Vet. K. *Varr. Livius*

vius alio loco tertio Non. ait.
d 12 4 Jul. Cæsar. Natalis, unde mensis, M. Anton.
e 13 3 consule legem ferente, *Macr.*
f 14 Prid. Id. Fortunæ Mulieb. Dedic. *Dion. Liv.*
g 15 Idus. Castoris & Poll. Equites Rom. ab æde Honoris in equis in Capit. *Plin.* Vet. Kal. *Dion.*
A 16 17 K. A.
b 17 16 Alliensis Dies Atra. Sera. *Plin. Tacit. XVII.*
c 18 15 Kal. *Plut. XVI.* Kal. *in Camillo.*
d 19 14
e 20 13
f 21 12 Mundi natalis. Solinus ex Ægyptiorum facerd.
g 22 11 sententia.
A 23 10
b 24 9
c 25 8 Hoc mense rutilæ canes caniculæ sacrificanban-
d 26 7 tur. Vide *Festum.*
e 27 6
f 28 5 Neptunalia etiam hoc mense. Vet. Kal. & *Var-*
g 29 4 *ro.*
A 30 3
b 31 Prid. K.

A U G U S T U S.

c 1 Kal. Aug. Spei, ad forum olitorium. V. Kal. Consecratio templi Martis. *Dion. in histor.* Boedromia celebritas hoc mense agebatur, unde & mensis dictus. Apollo etiam Boedromius vocatus. *Plut. Pauf. Harpocr.* alii. Xerxes victus. *Plut.*
d 2 4 Feriæ quod Cæs. Hisp. citeriorem vicit. Vet. Kal.
e 3 3
f 4 Pr. Non.
g 5 Nonæ. Saluti in colle Quir. Vet. K. & Spei.
A 6 8
b 7 7
c 8 6 Solis Indigetis in colle Quir. V. Kal.
d 9 5
e 10 4 Aræ opis & Cereris in Vico Jugario. Vet. Kal.
f 11 3 Herculi Magno Custodi in Circo Flam. Vet.
g 12 Prid. Id. Kal.
A 13 Idus. Dianæ Sacra. *Martial.* Currebant in nemus A-
b 14 19 K. S. ricinum. Item Natalis Augusti. *Porph.* Dies
c 15 18 Festus Servorum & Ancillarum. *Plut.* & Ver-
d 16 17 tumno in Loreto majore. V. Kal.
e 17 16 Portunalia ad Pontem. *Æmil.* Vet. Kal. & *Varr.* Jano ad theat. Marcelli. V. Kal.
f 18 15 Consualia. *Plut. in Numa, vel seq.* die Sabinarum raptus.
g 19 14 Augusti mors. *Dion. Hist. Suet.*
A 20 13 Vinalia Secunda. *Plin.*
b 21 12 Vinalia Rustica. *Varr. Festus* vero XIV. Kal. idem
c 22 11 & Vet. Kal. Mysteria magna. *Plut.* & Liber pater ex urbe in Eleusinem transferebatur.

d 23 10 Volcanalia in Circo Flam. Vet. K.
e 24 9
f 25 8 Opiconsivæ in Capitolio. Vet. Kal. *Varro*.
g 26 7
A 27 6 Volturnalia. *V. K. Varr.* cujus feriæ mense Octobr. Vortumnalia.
b 28 5 Harpocratis festum hoc mense fiebat ab Ægyptiis. *Plut.*
c 29 4 Volcanalia. *Festus*.
d 30 3 Mundus Cereris patet.
e 31 Prid. K. Nat. C. Cæs. Germanici. Vet. K.

SEPTEMBER.

f 1 K. Sept. Volcani Tutela Septemb. V. K. Mæmactes Jupiter, & inde mensis. *Harpocr.* & alii.
g 2 4 Augusti Victoria Navalis ex M. Ant. & Cleop. *Dion.*
A 3 3
b 4 Pr. Non.
c 5 Nonæ.
d 6 8
e 7 7
f 8 6 Hierosolyma a Tito Vespas. capta Josephus.
g 9 5
A 10 4
b 11 3
c 12 Prid. Id.
d 13 Idus. Prætor. Max. Clavum pangit. *T. Liv.* & Capi-
e 14 18 K. O. tolii dedic. ab Horatio. *Plut.* T. L. Jovi. Vet. Kal.
f 15 17 Ludi. V. Kal. qui Romani & Magni. *Asc. Pæd.*
g 16 16 Ludi. Vet. K. Parentatio eorum, qui contra Persas pugnando occubuerunt. *Plut.*
A 17 15 Ludi. Vet. Kal.
b 18 14 Ludi. Vet. Kal.
c 19 13 Thoth, idest, Mercurio Ægyptii sacrificant. *Plut.*
d 20 12 Romuli Natalis. *Plut.*
e 21 11
f 22 10
g 23 9 Natalis Augusti. *Dion. Hist. Suet.*
A 24 8
b 25 7 Veneri. Vet. Kal.
c 26 6
d 27 5
e 28 4
f 29 3
g 30 Prid. Kal. Epulum Minervæ. V. K. Meditrinalia hoc mense celebrabantur Meditrinæ deæ, quo die primum mustum bibebant. *Fest. Varr.*

OCTOBER.

A 1. Kal. Oct. Martis Tutela Octob. Vet. Kal.
b 2 6 Pyanepsia hoc mense celebrabantur.
c 3 5
d 4 4 Mundus Cereris patet. *Fest.*

e 5 3
f 6 Pr. Non.
g 7 Nonæ.
A 8 8 Panopfia Apollini. Immo Pyanepfia.
b 9 7 Etefione plectitur.
c 10 6 Ofchophoria, id eft, Ramalia celebrabantur.
d 11 5 *Plut. Svid. Comment. in Nicand.*
e 12 4
f 13 3
g 14 Prid. Id.
A 15 Idus. Mercatores Mercurio. Virgilii Natalis. *Martial.*
b 16 17. K.N. October equus Marti immolatur. *Feft.*
c 17 16
d 18 15
e 19 14
f 20 13
g 21 12
A 22 11 Chalcea Minervæ folemnitas, vel ut Phanodemus ait, Vulcani. Hyperides. *Harpocr.*
b 23 10
c 24 9
d 25 8
e 26 7
f 27 6
g 28 5 Myfteria minora hoc menfe agebantur. *Plut. Galenus.*
A 29 4 Sacrum hoc menfe Libero fiebat. V. K.
b 30 3 Et Vertumni Feriæ. *Varr.*
c 31 Prid. Kal.

N O V E M B E R.

d 1 K. Nov. Hoc menfe Jovis epulum celebrabatur. V. K.
e 2 4 Anthefteria hoc menfe agebantur, quæ & Bacchanalia. *Theoph. Svid. Harpocr.*
f 3 3
g 4 Pr. Non.
A 5 Nonæ.
b 6 8
c 7 7 Mundum patere. *Feft.*
d 8 6
e 9 5
f 10 4 Limina Baccho. *Thucyd.*
g 11 3 Maria clauduntur. *Veget.* alii, ufque in VI. Id. Mart.
A 12 Prid. Id. Choes. *Suid.*
b 13 Idus. Pithœgia.
c 14 18 K.D. Chytra. Alii in Lenæone menfe conftituunt: *Comm. in Hefiod. Harpocr.*
d 15 17 Ludi plebeji per hos dies. *Svet.*
e 16 16
f 17 15
g 18 14
A 19 13
b 20 12
c 21 11
d 22 10
e 23 9

f 24 8 Bruma, quæ & Brumalia Festum Roman. Constant. *in re rust.*
g 25 7
A 26 6
b 27 5 Hic mensis fuit in tutela Dianæ. V. K. & inferiæ fiebant Gallis defossis & Græcis in foro
c 28 4
d 29 3 Boario. *Plut.*
e 30 Prid. Kal.

DECEMBER.

f 1 K. Dec. Fortunæ Muliebris festum; quoniam hoc die bellum sublatum. Postea translatum in prid. Non. Quintil. *Dion. Halic.* in VIII. Posidonia a certamine Pallad. & Neptuni.
g 2 4
A 3 3
b 4 Pr. Non.
c 5 Nonæ. Faunalia. *Porphyr.*
d 6 8
e 7 7
f 8 6
g 9 5
A 10 4
b 11 3 Alcyonii dies.
c 12 Prid.
d 13 Idus.
e 14 19 K. Jan. Brumalia festum hoc mense & Ambrosia. *Proclus in Hesiod.*
f 15 18
g 16 17
A 17 16 Saturnalia incipiunt, & per tres dies durant: quibus adduntur Sigillaria, quæ septem dies
b 18 15 complent. *Macr.*
c 19 14 Opalia & Saturnalia. *Macr. Varr.*
d 20 13
e 21 12 Angeronalia Angeronæ deæ. *Macr.* Herculi & Cereri de mulso. *Macr.*
f 22 11 Feriæ Larib. dicatæ. *Macrob.* Compitalia Ludi Laribus. *Plin.*
g 23 10 Feriæ Jovis. Larentinalia vel Laurentinalia. *Plut. Varr. Ovid.*
A 24 9 Juvenalis Dies VIII. Saturn. additus. *Svet.* unde & Juvenales Ludi.
b 25 8
c 26 7
d 27 6
e 28 5
f 29 4
g 30 3 December. Saturno Sacer. *Macr.*
A 31 Prid. Tutela vero Vestæ. *Vet. Kal.*

INDEX

Rerum & Verborum Memorabilium.

D

Deus

E

F

Fa-

Galea

G

H

Hy-

Ju-

K

L

Lar

M

Po-

Ker-

N

O

Oſci-

Po-

Proverbia, Formulæ ac Notæ, in hoc opusculo explicatæ.

R

S

San-

pic-


V

X

Z

F I N I S.





MAG 2010436

Digitized by Google

